
DEFENSIO CENSURAE SACRAE FACULTATIS THEOLOGIAE PARISIENSIS LATAE 27. IUNIJ ANNI 1560...

ÿtienne-Agard Dechamps




4
D
VITT EMANUELE

DISPVTATIO
THEOLOGICA
DE LIBERO ARBITRIO.

DEFENSIO CENSVRÆ SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS

Latæ XXVII. Iunij anni MDLX.

SEV

DISPVTATIO THEOLOGICA DE LIBERO ARBITRIO,


QVA PLVRES NOVI DOGMATIS propositiones ab illa Censura meritò proscribi, & S. Augustini, aliorum Patrum, ac veterum Theologorum doctrinæ aduersari demonstratur.

Auctore ANTONIO RICARDO *Theologo.*

Editio tertia prioribus multò auctior.







PARISIIS,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis, & Reginæ Regentis Architypographi: ET GABRIELIS CRAMOISY. viâ Iacobæâ sub Ciconiis.

M. DC. XLVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO
REGIÆ STIRPIS
PRIMO PRINCIPI
HENRICO
BORBONIO
CONDÆO.



VANTVM *tibi Gallia, & Religio debeant* (PRINCEPS SERENISSIME) *nemo certiùs, quàm vtriusque hostes intelligunt. Mirantur illi te suis vbique consiliis, atque conatibus occurrere,*

cúmque nullam acceperint plagam, cuius te auctorem, vel administrum non agnoscant, tua in Regnum & Ecclesiam merita suis cladibus metiuntur. Magnum te profectò, quem Regis Deique causæ sustinendæ parem virtus effinxit, Gallia prædicat, hostes experiuntur.

Fecit laus hæc tua singularis, vt te huius disputationis Patronum optarem, in qua mihi cum illius hominis defensoribus pugna est, cuius nomen posteritas ignoraret, nisi Regum nostrorum gloriæ, & veteri Ecclesiæ doctrinæ bellum indixisset. Suam ille claritatem ex Apostolicis fulminibus, quibus afflatus est, & ex atrocibus in Galliam calum-

niis, quæ & illum[a] *consecrarunt,* accepit. *Nouerat Francorum Reges Catholicæ veritatis* propugnaculum, columnam, scutum, *& esse, & à*[b] *Romanis Pontificibus appellari: quare antequam Ecclesiæ doctrinam conuellere moliretur, propugnaculum illud exscindere, columnam euertere, scutum perrumpere conatus est. Experiri voluit in Gallica maiestate, quid in Apostolicam posset, & Ecclesiæ oppugnationem ex primogeniti filij eius iniuriis auspicari.*

Atque vt omnes intelligerent quò suis in Francorum Reges calumniis spectaret, ea præcipuè illis ornamenta detrahere nititur, quæ Ro-

[a] Mars Gallicus auctori suo Episcopatum conciliauit.

[b] Innoc. III. Gregorius IX.

mani Pontifices contulerunt, ratus se Apostolicæ sedis in definiendis fidei controuersiis auctoritatem suspectam redditurum, si eius in ornandis commendandisque principibus fidem accusaret. Quid Regibus nostris maiori summorum [c] *Pontificum consensu delatum est, quàm* Christianissimi *nomen, quod, vt auitam hæreditatem, constanti pietate retinent? At iste tamen insanâ calumniandi libidine in illud Gallicæ maiestatis patrimonium* [d] *inuolat, atque vt ipsi Clodouæo tam illustre nomen abiudicet,* [e] Religiosum *principem, quem* [f] *antiquissimi Scriptores* Sanctum, & Dei amore plenum *vocant,*

[c] Stephan. II Paul. I. Adriani I. Nicol. I. Ioan. VIII. Adriani II. Innoc. III. Honor. III. Gregorij IX. Vrbani IV. Innocét. IV. &c.

[d] Mars Gallicus lib. 1. à c. 16. ad 28.

[e] Aimonius.

[f] Kalendarium Ecclesiæ S. Genouefæ. Fredegarius, Gregor. Turon. Fortunatus, Adreualdus.

cant,[g] Ottomannicũ *potiùs*,*quàm* Christianissimum *fuisse* *conten-dit. Tum ad cæteros Galliæ Reges delapsus, ait*[h], multis *quidem* datum Christianissimi nomen,*sed* vt potiùs quid esse deberent, quàm quid essent elogij splendore monerentur. *Alios verò* titulo Christianissimi Regis gloriantes medullam eius, Christi religionem, euertisse, *&*[i] Christianissimos esse apicum titulorúmque suffragiis, non rerum ipsarum testimoniis. *Sic Regibus nostris augustum illud nomen adimit, quo vno Summi Pontifices, non eorum tantùm panegyricum, sed etiam historiam texuerunt.*

g Libro 1. cap. 16. & 21.

h cap. 21.

i cap. 27.

Pari temeritate titulos omnes inuadit, quibus primarii illius vim Apostolica sedes explicuit. Aiunt [k] Gregorius IX. *Romani Pontifices fatale esse* [k] Regno Francorum pro exaltatione Catholicæ fidei dominica prælia dimicare, *& Galliam* [l] Honorius III. [l] Christi pharetram *esse, vnde lectissimas subinde sagittas educit, ad Christianæ Religionis hostes in variis orbis partibus profligandos. Iste verò scribit* [m] Mars Gallicus libro 2. c. 23. [m], Fatale iamdiu videri Gallico solo, vt non pauci, qui in eo principati sunt, Christianam Religionem in præcipuis Europæ regionibus grauiter læserint. *Addunt Pontifices Romani, posteriores Galliæ*

Reges [n] deuotionis constantiam, [n Innoc. III.]
& fidei puritatem à progenitoribus suis, quasi hæreditario iure, accepisse, *atque illis* [o] hæ- [o Pius II.]
reditarium esse ac proprium pugnare contra Turcas, & vincere, fidem saluare, & Romanam Ecclesiam honestare.
Hic verò contendit eosdem Reges [p] tantâ constantiâ Christianam [p Mars Gallicus lib. 1. cap. 23.]
Religionem lædere, vt huiusmodi Religionis iniurias à maioribus quasi hereditasse videantur. *Denique quod Summi Pontifices testantur, Gallorum Reges esse* [q] exterminatores Hære- [q Gregorius IX.]
ticorum, *&* [r] Turcarum expu- [r Pius II.]
gnatores, *toties iste rescindit*,

[f] Mars Gallicus libro 2. c. 25.

quoties pugnat eosdem esse [f] suscitatores Turcarum, faces Hæresum in interitum fidei conspirantium.

Horret calamus singula percensere, quæ in Reges nostros effundit. Compendio dicam: sicut laudes omnes, quas optare ambitio, & mereri virtus potest, Regibus Gallis Summi Pontifices eodem ore detulerunt, quo diuina fundunt oracula: Sic iste hæc ipsa ornamenta eâdem manu illis eripit, quâ proscriptas ab Apostolica sede opiniones instaurare conatur. Felicem Galliam, quæ eos laudum suarum præcones habet, quorum lingua veritatis sedes est, & arbitra: eum

dignitatis suæ hostem infensissimum, qui & communem Ecclesiæ doctrinam oppugnauit.

Tibi verò (PRINCEPS SERENISSIME) *qui Galliæ tantùm & Ecclesiæ prodes, quantùm iste nocere voluit: tibi, inquam, tam est illustre ad laudem duas illas dotes complecti, quarum vel vna Heroem faceret; quàm est illi ad nominis infamiam turpe duplici nota maculari, quarum vel altera Gallorum omnium execrationem illi conciliaret. Scient posteri quo tu amore, quo iste odio Galliam, & veterem Ecclesiæ doctrinam prosecutus sit. Nam vt duplici ingenij sui fœtu prouidit,*

vt etiam post fata vtramque oppugnaret : sic geminâ prole effecisti, vt cùm te superi repetent, tuum neutra patrocinium desideret. Diuisit ille se ipsum in libros, sic tanquam in liberos, ac primogenitum quidem Galliæ hostem esse voluit, alterumCatholicæ veritatis inimicũ: tu virtutes tuas partiris in filios, & maiorem natu Galliæ scutum, minorem verò Ecclesiæ columnam designasti. Quæ tua vota sic implent, vt iis publica vox ea ipsa nomina iam imposuerit, quæ iste operibus suis falsò inscripserat. Ludouicus totius Europæ iudicio MARS GALLICVS : *Armandus Gallicani Cleri suffragio* AVGVSTINVS

habetur. Ille toti pene orbi veterum Gallorum Heroas omnes in se vno reuixisse probauit : hic in Theologica illa dimicatione, cuius Sorbona theatrum fuit, spectator Galliæ Clerus, tu ipse iudex & arbiter, S. Augustinum ore suo loqui demonstrauit.

Fuit illa serenissimi filij tui disputatio, Parisiensis, quam defendo, Censuræ apologia perillustris. cui si totus interesse Christianus orbis potuisset, non alia defensione indigeret hæc causa. Nam qui aderant Illustrissimi Præsules, primarij ordinum omnium viri, Doctorésque innumeri eam insolitis laudibus, festo plausu, & admi-

ratione comprobarunt. Cùm ergo tanto duce in huius causæ defensionem ingrediar, publicum mihi fauorem, patrocinium tuum, atque adeo victoriam ausim polliceri.

Serenissimæ Celsitudini Tuæ

Addictissimus ANTONIVS RICARDVS.

THE-

THESES THEOLOGICÆ à Sereniſſimo Principe ARMANDO BORBONIO Principe de CONTY in Sorbona propugnatæ, Præſide Illuſtriſſimo D. D. IOANNE PAVLO DE GONDY Archiepiſcopo Corinthiaco Coadiutore Pariſienſi, die 10. Iulij anno 1646.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

Quando Deus creauit hominem inexterminabilem? Sapientiæ 2.

IN principio, cùm ab illo primus homo in ſtatu innocentiæ conditus eſt, præter quem ſtatum, & ſtatum naturę lapſæ, in quo poſt illius peccatum poſteri eius naſcuntur & viuunt; Tertius, qui ſit puræ naturæ ſtatus, reipſa nullus eſt, non eſt tamen impoſſibilis. Potuit itaque homo inſt tu ad vltimum finem, qui tantùm naturalis eſſet: potuit, quamuis innocens, naſci cum ignoratione & concupiſcentia, ita vt ignorantia & difficultas eſſent eius primordia natura-

lia: potuit denique citra peccatum obnoxius esse morti, cæterísque corporis miseriis. Homini etiam in statu naturæ lapsæ cõuenire liberum arbitrium, quatenus indifferentiam ad bonum & malum significat, docent sacræ litteræ, statuunt Concilia, Tridentinum maximè, confirmant sancti Patres, ac præsertim S. Augustinus; ratio denique multiplex demonstrat. Hæc libertas inest essentialiter soli potentiæ voluntatis, quæ præter indifferentiam electionis requirit actiuam vim se ad vtramlibet partem determinandi. Ei porrò libertati hominis sola & omnis necessitas antecedens repugnat.

ACTVALIS gratia non est actus ita charitati addictus, vt ab ea Theologica virtute elici aut imperari, vel ad eius exercitiũ mouere necessariò debeat: Timor enim gehennæ, siue attritio ex eo metu concepta, & amor concupiscentiæ circa Deum sunt honesti actus supernaturales, & ex spiritu gratiæ: non est etiam ex necessitate motio fidei diuinæ, vel diuinam fidem præsupponens:

neque enim omnia Infidelium opera ſunt peccata; ſed exercent ipſi actus honeſtos, & ex gratia: Eſt igitur actus intellectus & voluntatis, ſaltem in modo ſupernaturalis, à Deo per Chriſtum ad ſalutem conceſſus. Hæreticos inter meritò computatur Pelagius, qui gratiam Dei per Chriſtum ad ſalutem eſſe neceſſariam negauit. Semipelagiani quoque, qui aliquod ſalutis initium inſtar congrui meriti in viribus liberi arbitrij poſuerunt: Catholica quippe doctrina atque veritas eſt, diuinam gratiam, quæ à dono creationis, & à beneficio legis ac doctrinæ diſtincta ſit, ad ſalutem & media ſalutis prorſus requiri; Itémque eam gratiam ſic omnia liberi arbitrij opera antecedere, vt in nulla ipſius vel condigna, vel congrua merita cadere poſſit.

Gratia ſufficiens in ipſo lapſæ naturæ ſtatu omnibus adultis, etiam ſceleratis, adeóque etiam reprobis hominibus conceditur: Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri efficaci voluntate conditionata; & Chriſtus pro omnibus planè mortuus eſt: Deus quoque neminem adultum poſt præ-

lia: potuit denique citra peccatum obnoxius esse morti, cæterísque corporis miseriis. Homini etiam in statu naturæ lapsæ cōuenire liberum arbitrium, quatenus indifferentiam ad bonum & malum significat, docent sacræ litteræ, statuunt Concilia, Tridentinum maximè, confirmant sancti Patres, ac præsertim S. Augustinus; ratio denique multiplex demonstrat. Hæc libertas inest essentialiter soli potentiæ voluntatis, quæ præter indifferentiam electionis requirit actiuam vim se ad vtramlibet partem determinandi. Ei porrò libertati hominis sola & omnis necessitas antecedens repugnat.

ACTVALIS gratia non est actus ita charitati addictus, vt ab ea Theologica virtute elici aut imperari, vel ad eius exercitiū mouere necessariò debeat: Timor enim gehennæ, siue attritio ex eo metu concepta, & amor concupiscentiæ circa Deum sunt honesti actus supernaturales, & ex spiritu gratiæ: non est etiam ex necessitate motio fidei diuinæ, vel diuinam fidem præsupponens:

neque enim omnia Infidelium opera sunt peccata; sed exercent ipsi actus honestos, & ex gratia: Est igitur actus intellectus & voluntatis, saltem in modo supernaturalis, à Deo per Christum ad salutem concessus. Hæreticos inter meritò computatur Pelagius, qui gratiam Dei per Christum ad salutem esse necessariam negauit. Semipelagiani quoque, qui aliquod salutis initium instar congrui meriti in viribus liberi arbitrij posuerunt: Catholica quippe doctrina atque veritas est, diuinam gratiam, quæ à dono creationis, & à beneficio legis ac doctrinæ distincta sit, ad salutem & media salutis prorsus requiri; Itémque eam gratiam sic omnia liberi arbitrij opera antecedere, vt in nulla ipsius vel condigna, vel congrua merita cadere possit.

GRATIA sufficiens in ipso lapsæ naturæ statu omnibus adultis, etiam sceleratis, adeóque etiam reprobis hominibus conceditur: Deus enim vult omnes homines saluos fieri efficaci voluntate conditionata; & Christus pro omnibus planè mortuus est: Deus quoque neminem adultum post præ-

uiſum præciſè originis peccatum reprobat; ac tandem nulli rationis compoti diuina mandata ſunt obſeruatu impoſſibilia: Infantes etiam, qui obeunt in maternis vteris, nec vlla humana induſtria poſſunt baptizari, ſufficientia tamen auxilia ſalutis habent. Gratiæ efficacis eſſentia, ſeu formalis ratio non conſiſtit in motione voluntatem phyſicè vel moraliter ad conſenſum prædeterminante; non in ſpeciali motionis congruitate, quæ in ſufficiente gratia locum non habeat: non in ea motione, prout diuinæ conditionalium ſcientiæ ſubeſt; non in denominatione à conſenſu petita: Eſt ergo ipſa gratiæ entitas prout de facto conſenſum infert tanquam connotatum efficacitate adæquatè ſumpta poſterius. Inefficax gratia redditur per ſolam creatam voluntatem; At efficax ſimul atque indiuiſibiliter per hanc & per ipſam gratiam.

AVGVSTISSIMVM Euchariſtiæ ſacramentum componitur intrinſecè ex ſpeciebus panis & vini, corpore ac ſanguine Chriſti, & ex verbis conſecrationis; non autem ex actione trãſſubſtantiatiua yſúque ſacra-

menti. Vnum eſt formaliter vnitate ſpecifica totali; eiúſque vnitatem numericam in toto terrarum orbe non impedit diuerſitas numerica ſpecierum homogenearum, earúmque diuiſio, aut multitudo ſumentium. Miſceri debet aqua vino in conſecratione calicis ex præcepto Eccleſiaſtico, eáque conuertitur immediatè, ſi non ſemper, at plerumque certè in ſanguinem Chriſti.

AGNOSCENDAM eſſe in Euchariſtia veram ac propriè dictam Tranſſubſtantiationem contra Lutherum & Caluinũ fides Catholica docet: Per eam autem nec producuntur ſubſtantialiter corpus & ſanguis Chriſti, nec ſola præſentia localis, nec modus aliquis ſubſtantialis ipſis intrinſecus: ſed ſeparantur accidentia panis & vini à ſubiecto proprio, vniuntúrque corpori ac ſanguini Chriſti in ratione contenti ſubſtantialis, hoc eſt apti & capacis contineri & adæquari loco, & mobilis quocumque ad motum ſpecierum.

TOTVS Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie panis & vini, tam diſtributiuè ſumpta quàm

collectiuè: imò ſub qualibet particula, ſiue poſt fractionem, ſiue ante. Solum corpus ponitur vi verborum ſub ſpeciebus panis, anima verò & diuinitas per concomitantiam. Qui ſub vtraque ſpecie communicat, plus cæteris paribus recipit gratiæ, quàm qui ſub vna. Neceſſaria eſt Euchariſtia neceſſitate præcepti diuini & Eccleſiaſtici. Diſpoſitio per ſe neceſſaria ad communionem eſt, vt nemo ad eam accedat cum conſcientia peccati mortalis, quod antè per ſacramentum Pœnitentiæ non expiauerit.

AVDIENDI non ſunt, qui publicam præterea pœnitentiam pro omnibus peccatis mortalibus antè fieri volunt, in dilatione potiſſimùm, vt falsò iactant, Communionis conſiſtentem. Quaſi verò aut Deo magis ſatisfiat eo pudore, qui ex ſeparatione à corpore Chriſti enaſcitur, quàm aliis quibuſcumque operibus cum iſto pudore non coniunctis: Aut optandum enitendúmve ſit, vt diſcernantur à Iuſtis ij, qui labuntur in peccata mortalia; aut ſine longa ſatisfactione remiſſio peccatorum quoad maculam obtineri non poſſit, nec

homines momento de ſtatu peccati tranſeant ad gratiam vi perfectæ contritionis; Aut denique ipſæ externæ pœnitentiæ interdum tales ſint, vt defectum interni doloris ſuppleant.

VENIALE peccatum actu commiſſum in ipſa ſumptione Euchariſtiæ non impedit receptionem gratiæ ſanctificantis. Non eſt ſemper nouum peccatum veniale accedere ad communionem cum peccato veniali actuali & habituali. Melius eſt per ſe loquendo frequentiùs ad Euchariſtiam ſumendam accedere quàm rariùs. Licèt generalis vna regula pro omnibus afferri non poſſit, magis tamen vnicuique ad frequentiam eius quàm ad raritatem inclinandum eſt: Neque ad frequenter communicandum expectandum eſt donec ſimus ab omnibus malis habitibus & vitiorum phantaſmatis liberi, & amore Dei puriſſimo purgati, ipsíque perfectè vniti.

TOTA eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione vtriuſque ſpeciei: licèt earum ſumptio ad illius integritatem per-

tinere dicenda ſit, nequaquam tamen verbalis oblatio, fractio aut diſtributio ſacramenti. Ne cum diſpenſatione quidem Eccleſiæ poteſt vna ſpecies ſine alia conſecrari; imò probabilitate non caret eum inualidè tentaturum conficere corpus Chriſti, qui id tentaret animo non conficiendi ſanguinis; ſicut & probabile eſt non potuiſſe Apoſtolos in triduo mortis Chriſti conſecrare. Tantum valet Miſſæ ſacrificium oblatum pro pluribus, quantum pro vno. quod ſoli Deo offerri poteſt, *qui creauit hominem inexterminabilem.*





AD BENEVOLVM ET ERVDITVM LECTOREM PRÆFATIO



NNVS abiit, & ampliùs (Erudite Lector) ex quo Parisiensis Censuræ calumniatores, ipsúmque adeo noui dogmatis artificem pudendi latrocinij accusaui, atque, vt multis videtur, planè conuici. Nec illi tamen, qui vel leues eius iniurias integro solent volumine vlcisci, verbum fecere vllum, quo hanc maculam abstergere conarentur. Sunt qui istud silentium in criminis confessionem interpretentur, puténtq; eos idcirco ad hanc plagij accusationem nihil respondisse, quia nec doctoris sui furta negare possunt, cùm manifesta sint: nec ea eleuare dicendo, aut aliqua excusatione defendere, cùm sint turpissima. Nolim ego ita suspicari antequam eos hac extremâ prouocatione pertentarim.

Iterum ergo nouæ opinionis architectum

de furtis & rapinis postulo; neque Catholici alicuius doctoris, sed Lutheri, Caluini, Bezæ, Molinæi, Zanchij, & aliorum ex eadem natione scriptorum deprædatorem appello. Ex quibus non opinionem duntaxat suam, sed & rationes, quibus illam firmat, S. Augustini testimonia, quibus munit, corollaria, quibus illustrat, effugia omnia, omnésque calumnias, quibus communis sententiæ auctores proscindit, arripuisse contendo. Sic prorsus vt qui eius scripta cum Hæreticorum libris contulerit, non sit dubitaturus nihil illum protulisse noui, sed rancida tantùm & obsoleta Lutheranorum argumenta recoxisse, probrosúmque ex consutis Caluinistarum fragmentis centonem concinnasse.

Tantâ porrò latrocinatur audaciâ, vt tum maximè rapinas suas obtrudat, cùm se aliquid de suo allaturum profitetur. Quàm magnifica, quàm

Libro 2. de grat. Christi cap. 3. 13

noua pollicetur hæc inscriptio: *Discrimen gratiæ sanitatis, & medicinalis à recentiorum notitia valde abstrusum, & quare?* Quis non putet eo loco noui aliquid produci, quod omnes huius æui scriptores latuerit: cùm præsertim illud vtriusque gratiæ discrimen, quasi nobilissimum industriæ suæ fœtum exosculetur, venditet importunè, titulis plus quadraginta præfigat, inculcet per fas & nefas, quæstionibus ferè omnibus intexat, dogmatis sui basim, fundamentum, clauim appellet? Et

tamen arcana illa doctrina, huic inaudita sæculo, illud celebre vtriusque gratiæ discrimen, in Caluini libris explicatum fusissimè, & iisdem S. Augustini testimoniis comprobatum tam sæpe occurrit, vt hoc præcipuè argumento suam de gratia opinionem firmet, illúdque quasi inuictum, & aduersùs Catholicos decretorium, Tridentinis Patribus, Sorbonicis, Alberto Pighio, aliísque Orthodoxis plus vicies impingat.

Pari audaciâ ex Hæreticis reliqua furatur, in quibus triumphat ambitiosiùs. Quantâ verborum vanitate ea sibi arrogat, quæ de peccandi necessitate ex Adamo profecta, déque Augustinianæ illa peccati definitione: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest*, fusissimè disserit? At illa tamen omnia ex iisdem Caluinianæ factionis auctoribus mutuatus est. Nihilo modestiùs ea sibi tribuit, quæ aduersùs gratiam sufficientem tanto ardore animi, tantâ verborum atrocitate disputat, quamuis ex iisdem fontibus illa deriuarit. Indidem quoque argumenta corrasit omnia, quibus Prædestinatianos ex Hæreticorum catalogo expungere conatur. Si vacat, pauca percurre, quæ pag. 134. in eam rem adnotaui, miraberis profectò hominis pudorem, qui ex recenti libello Iacobi Vsserij Caluinistarum in Hibernia Primatis totam hanc de Prædestinatiana hæresi disputationem ad verbum ferè descripsit. Intelliges

etiam quid causæ sit, cur de Concilio Arelatensi, in quo hæresis illa proscripta est, ipse quidem prorsus tacuerit, eius verò defensores tam multa in vtraque Apologia scriptitarint. Nimirum, cùm ille viueret, nondum exierat in lucem aliud eiusdem Vsserij Caluinistæ opus, in quo illius Concilij auctoritatem infringere nititur, quódque vtriusque Apologiæ consarcinatores expilarunt: rati se in omnes Hæreticorum libros ius direptionis, illúdque hæreditarium, habere.

Nisi tam infamis plagij crimen præcisâ iustáque defensione nuperi dogmatis fautores purgauerint, licebit Caluinianæ sectæ eadem illis exprobrare, quæ Stoicis M. Piso apud Ciceronem obiicit libro 5. de Finibus: *Non vnam*, inquit, *aut alteram à nobis, sed totam ad se nostram Philosophiam transtulerunt; atque vt reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant; sic illi vt sententiis nostris pro suis vterentur, nomina, tanquam rerum notas, mutauerunt.* Licebit quoque Caluino ipsum dogmatis illius opificem vt plagiarium, & operum suorum lauernam (ita Ausonius loquitur) in ius vocare: suámque aduersùs illum causam his agere verbis, quæ habet libro 1. de libero arbitrio, quæque in rem nostram bellissimè cadunt. *Miror*, inquit, *quâ fronte ausus fuerit, nullâ mei mentione factâ, tam familiariter sumere de meis libris, quod in suum transcriberet. Neque enim*

quo iure id faciat, video: nisi fortè præscriptionem obtendat, quia sic facere pridem solitus sit. Nam in magno illo libro quem edidit, integras sæpe ex Institutione mea paginas, vbi visum est, infulcit, ac suo commodo sic adaptat, quasi aliunde non sumpsisset. Velim nunc scire quo iure, aut titulo mea sic pro suis vsurpet. Grauis sanè & acerba expostulatio, quæ quàm vera sit in re nostra, quilibet potest experiri. *Lectores obsecro*, subdit Caluinus, *si tantùm habent otij, vt eius libros cum meis conferant. Nihil dico: nisi quòd, non sine risu ac stomacho, perspicient nimis perditam hominis impudentiam: neque enim clanculum furatur, aut raptim: neque artificio tegere ita studet suas rapinas, vt apud se natum videatur, quod apud me legit, sed ita palam mea ad verbum recitat, vt videatur paginas ipsas totas pigritiâ assuisse, quo describendi laborem fugeret. Si fateretur auctorem, eum dicerem mutuari: nunc quid causari potest, quo minus plagiarius palam vocetur?* Si nihil habent noui doctoris Patroni, quod tam iustæ accusationi opponant, quid æquus super ea re iudex pronuntiabit? Licebit denique cæteris Caluiniani nominis proceribus in eum certatim inuolare, vt ablata sibi quisque vindicet; timendúmque erit,

Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Erit fortaſſe, qui ad illam furti accuſationem depellendam id vnum cauſetur, fieri potuiſſe, vt nouæ opinionis faber, etſi Caluinum alióſque ſectarios, quos expilaſſe dicitur, legerit nunquam, in eaſdem tamen cum illis ſententias caſu inciderit. Audiui complures recenti ſectâ afflatos, qui ita eius Auctorem de plagio purgarent. Ridiculè. Si de vna tantùm aut altera ratione, ſi de vno S. Auguſtini teſtimonio ageretur, accipi vtcunque illa excuſatio poſſet. At cùm de omnibus noui dogmatis partibus, fundamentis, rationibus, conſectariis, reſponſionibus, calumniis, & præcipuis S. Auguſtini, aliorúmque Patrum teſtimoniis, quibus iſta firmantur, ſermo ſit, nunquam profectò perſuadebunt tantam in iis omnibus conſenſionem fortuitò contigiſſe, niſi antè probauerint fieri poſſe, vt qui Virgilium viderit nunquam, Æneidem alteram Virgilianæ perſimilem iiſdémque ſententiis, carminibus, ac verbis conſtantem caſu pertexat.

Sed placet aliquid Aduerſariis gratificari. Eſto, ſingulari miraculo contigerit, vt eorum anteſignanus, etſi Caluinum ne attigerit quidem, in omnibus tamen huiuſce quæſtionis partibus cum illo conſpiraret, nihílque afferret prorſus, quod non eſſet à Caluino multo antè pronuntiatum. Sit ita ſanè, per me licet: nec ſic tamen euaſerint. Nam ſi ita habet, quid ab illis nouæ ſententiæ

interpolator tantopere prædicatur? Quid diuinæ gratiæ vindex acerrimus? Quid Catholicæ de libero arbitrio veritatis instaurator? Quid Augustinus alter nuncupatur? Quid demersas tot sæculis veritates primus in lucem euocasse, quid S. Augustini mentem ignotam huic ætati eduxisse è tenebris, & Scholasticæ Theologiæ caliginem, quasi clariori face illatâ, dispulisse proclamatur? Certè vel tituli tam illustres illi sunt abiudicandi, vel ipsi Caluino multo potiori iure attribuendi. Nam si nouo doctori ob impugnatam gratiam sufficientem corona decernitur; quid debetur Caluino, qui & primus, & iisdem argumentis, iisdem S. Augustini testimoniis, aduersùs eandem gratiam acerrimè dimicauit? Si laudis aliquid meretur ille, quòd de peccandi necessitate ex Adamo contracta, & de vtriusque gratiæ discrimine, illa scripserit, quæ Caluinianæ nationis principes tot antè libris mandauerant: quàm gloriosum & illustre Caluino, ac Luthero fuit, eadem omnia eo tempore protulisse, quo erant prorsus inaudita, quóque suspicari nemo poterat, eos aliunde, quàm ex Augustino, cui se vni adhærere sanctissimè iurabant, illa deprompsisse?

Qui ista expenderit, arbitrabitur sanè actum esse de noui Doctoris gloria, & titulos omnes, quibus eius patroni ambitiosè illum exornant,

Caluino deberi, nisi ostenderint noui aliquid ab illo prolatum fuisse, quod à Caluino eiúsque commilitonibus scriptum non fuerit. Quapropter quæso te (Erudite Lector) si quem ex nouæ opinionis consecraneis familiarem habes, illum per doctoris sui famam obtestare, vt ex decumano eius opere ea seligat, quæ non ex Caluino emendicata, non ex aliis accersita Hæreticis, sed ex eius nata ingenio, vel ex diuturna illa, cui tot annos impendisse dicitur, S. Augustini lectione expressa, æquus rerum æstimator dubitare non possit. Hoc si ab illo extorseris, ausim ego vicissim polliceri demonstraturum me vel illa nihil admodum ad quæstionis cardinem pertinere, vel ex Caluinista aliquo percelebri totidem ferè verbis esse transcripta.

Sed vereor vt id ab eo elicere non possis. Quidlibet tentabit priùs, quàm se tam periculoso certamini committat. Si hominem premas vehementiùs, id inclamabit vnum: *Non omnia, quæ scribit Caluinus sunt Hæretica.* Quæ sanè responsio non modò aperta latrocinij confessio est, sed erroris quoque suspicionem, quam amoliri nititur, plurimùm auget. Neque enim ex Caluinistis ea nouus Doctor arripuit, quæ illi nobiscum habent communia: sed ea duntaxat selegit, in quibus à Catholicis dissident, quæque Concilij Tridentini canonibus, & Romanæ Ecclesiæ decre-

tis aduersari tum Caluinistæ omnes, tum ipsi quoque, qui cum illis conflixere, Catholici vno ore testantur. Constabit illud in singulis noui dogmatis partibus, ac præcipuè in primaria eius opinione, quæ statuit solâ coactione liberum arbitrium pessumdari. Nam hæc sunt Caluinianæ Scholæ verba, fusiùs à nobis libro 1. cap. 1. sect. 1. §. 3. descripta: *Status controuersiæ est, an ad liberum arbitrium constituendum requiratur libertas à necessitate, an verò sufficiat illa, quæ est à coactione. Papistæ negant, nos affirmamus.* Item: *Differimus à Pontificiis, illi ad liberum arbitrium constituendum aiunt requiri non tantùm libertatem à coactione, sed etiam à necessitate, nos negamus.* Quæ dum Caluinistæ vnanimi consensu profitentur, adeo non reclamant Doctores Catholici, vt pari conspiratione affirment, hac præcisè opinione Caluini de libero arbitrio errorem contineri, eámque non Concilij tantùm Tridentini, sed SS. Patrum, & superiorum Conciliorum decretis esse proscriptam. Plures appellabo libro 1. cap. 3. qui ita pronuntiant, nec vnius tantùm nationis, aut instituti: sed Gallos, Belgas, Italos, Hispanos; Episcopos, Religiosos, Sæculares, vt omnes intelligant, hanc totius orbis Catholici vocem esse.

Liceat hîc mihi à nouitiis doctoribus sciscitari, cur hæc eorum sententia tam vnanimi Catholicorum consensu impunè repudietur. Nam si, vt iactant, vera est ac genuina Ecclesiæ do-

ctrina: si allaborante S. Augustino à Romanis Pontificibus, Conciliísque tam sæpe in fidei articulos relata est, vt qui vel de eius veritate dubitauerit Hæreticus sit atque Pelagianus: si denique, quod toties inculcant, est eiusmodi, vt ea ruente ruere Catholicam fidem, omnia diuinæ gratiæ mysteria collabi, & exitialem Pelagij hæresim reuiuiscere necesse sit: quid patitur Ecclesia eam à Catholicis doctoribus explodi, infamari, aboleri? Quid in tanta Catholicæ veritatis iniuria Apostolica sedes conniuet? Conniuet autem? Quid eam ipsam doctrinam supprimere conatur? Quid tam seuerè ne doceatur interdicit? Quid eandem cùm primùm ab aliquo auctore editur in lucem nouâ continuò bullâ retundit? Quid contrariam opinionem, quam Hæreticam esse ac Pelagianam Aduersarij tantùm non iurant, doceri impune, ac libris mandari permittit? Itáne verò, eò rerum deuenimus, vt iam Ecclesia grauissimis pœnis caueat, ne quis eam opinionem amplectatur, quam olim SS. Patres, quam superiora Concilia, quàm Romani Pontifices Catholicam ad fidem pertinere definierunt; aliam verò approbet, quam eadem Concilia, iidémque Patres, vt Pelagiani erroris fontem, anathemate perculerunt. Quamuis Aduersarij ingeniosi sint, & ad fucum faciendum eruditi, vix se tamen hoc argumento extricabunt. Nisi fortè palam & apertè profiteantur Catholicos omnes, qui

ſe Caluini ſtrage nobilitarunt, Pelagianâ labe infici, Pelagio velificari Summos Pontifices; eíque poſteriora Concilia aduerſùs Caluiniſtas atque Lutheranos collecta non obſcurè ſuffragari. Sciunt qui nouæ opinionis myſteriis initiantur, hæc ab arcanis eius placitis non penitus abludere. Ego certè aliquos noui, qui cùm Concilij Senonenſis atque Colonienſis auctoritate vrgerentur, eam proteruè abdicarunt: quíque Pelagianiſmi notam aſperſere nobiliſſimis Catholicæ fidei defenſoribus, atque in primis Franciſco Horantio, qui Tridenti, dum Concilio intereſſet, opus illud inſigne aduersùs Caluinum elaborauit, quo ſingula ferè noui dogmatis capita confutantur.

Verùm etſi hæc dicerent omnia: nec ſic tamen huius argumenti vis infringeretur. Addendum eſſet inſuper, Catholicam de libero arbitrio ſententiam, quæ tot annos ab Eccleſia Romana exulat, floruiſſe ſemper apud Lutheranos & Caluiniſtas, eóſque ab annis 120. S. Auguſtini doctrinæ hæredes ac patronos extitiſſe. Nam vt Romanæ Eccleſiæ Theologi, approbante Apoſtolica ſede, nuperum de libertate dogma execrantur atque repudiant: ſic illud Sectarij vt veterem Eccleſiæ & S. Auguſtini doctrinam acerrimè defendunt. Vtrúque porrò conſtabit ex Catholicis atque Hæreticis, quorum hîc tantùm appellabo nomina, clariſſima verò teſtimonia ſuo poſtea loco producam.

Auctores qui ab annis 120. nouam de libertate opinionem tanquam genuinam veteris Ecclesiæ & S. Augustini doctrinam defenderunt, & contrariam Pelagianismi criminati sunt.

MARTINVS LVTHERVS.
IOANNES CALVINVS.
MARTINVS BVCERVS.
PHILIPPVS MELANCTHON.
THEODORVS BEZA.
VOLPHANGVS MVSCVLVS.
PETRVS VERMELIVS Martyr.
HIERONYMVS ZANCHIVS.
PETRVS DV MOVLIN.
IOANNES PISCATOR.
DANIEL CHAMIERVS.
GVILLELMVS WITACHERVS.
DAVID PAREVS.
ZACHARIAS VRSINVS.
IOANNES SCHARPIVS.
AMANDVS POLANVS.
GVILLELMVS AMESIVS.
PAVLVS FERRIVS.
DORDRECHTANA SYNODVS.

Quibus consentiunt reliqui Caluinianæ atque Lutheranæ nationis proceres, atque illi præcipuè qui Concilij Tridentini decreta labefactare conati sunt.

Auctores qui ab annis 120. nouam de libertate opinionem vt Hæreticam, & Ecclesiæ atque adeo S. Augustini doctrinæ aduersantem proscripserunt.

ANDREAS DV-VALLIVS.	Galli.
NICOLAVS YSAMBERTVS.	
IOANNES PVTEANVS.	
MARIVS SCRIBONIVS.	
IOANNES MALDERVS Episcop. Antuerp.	Belgæ.
CVNERVS PETRI Episcop. Leouard.	
RVARDVS TAPPERVS.	
GVILLELMVS ESTIVS.	
IOANNES WIGERS.	
CARDINALIS BELLARMINVS.	Itali.
GABRIEL PENNOTTVS.	
ALEXANDER PESANTIVS.	
DIDACVS ALVARES Archiepiscopus Tranensis.	Hispani.
FRANCISCVS HORANTIVS.	
PETRVS DE CABRERA.	
FRANCISCVS CVMEL.	
PETRVS DE LEDESMA.	

Quibus & reliqui Catholici concinunt, qui aduersus Caluinum de libero arbitrio scripsere, atque in primis Albertus Pighius, Thomas Stapletonus, & Bartholomæus Camerarius.

Supereſt (Erudite Lector) vt paucis te admoneam, quid Diſputationi noſtræ hac editione acceſſerit. Poſteriores libros, quibus noua opinio SS. Patrum, & Theologorum auctoritate conuellitur, integros adieci. Priori verò multa ſparſim illigaui Hæreticorum atque Catholicorum teſtimonia, quæ mihi recèns occurrerunt. Quæſtiones etiam quatuor intexui, de amore Dei in omnes homines, de Chriſti morte pro omnibus, de Hæreſi Prædeſtinatiana, & Concilio Arelatenſi: quas vt perſtringerem, extorſit obſtinata Aduerſariorum furandi libido, qui Apologias duas, quibus has præcipuè quæſtiones ventilant, pudendis Hæreticorum ſpoliis infarciunt, ſicque Doctorem ſuum defendunt, vt ſimul Caluiniſtarum omnium cauſam agant: ſic illuſtriſſimum Epiſcopum Vabrenſem impetunt, vt doctores omnes Catholicos, qui de Caluino triumpharunt, oppugnent. Quàm ſit illud doctiſſimo Præſuli illuſtre ad gloriam, quàm eius calumniatoribus probroſum & turpe, ex iis intelliges quæ pag. 82. & ſequentibus de celebri illa, quam maximè agitant, circa Chriſti mortem controuerſia obſeruaui.

SVMMA PRIVILEGII
Christianissimi Regis.

CAVTVM *est auctoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisue locis suæ ditionis subiectis intra quinque proximos annos, Librum, qui sic inscribitur,* Defensio Censuræ sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, latæ 27. Iunij anni 1560. *&c.* Auctore ANTONIO RICARDO Theologo, *absque Sebastiani Cramoisy Architypographi regij permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium; qui secus fecerit mulctâ indictâ, prout ampliùs in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis 21. Ianuarij 1645.*

Sic signatum, CRAMOISY.




SYLLABVS CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.





DISPVTATIO THEOLOGICA DE LIBERO ARBITRIO.

ADITVS AD DISPVTATIONEM.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Causa scribendi.



RODIIT non ita pridem Libellus nescio quis contumeliosus in Sorbonam, totique Academiæ Parisiensi periniuriosus : qui hoc vnum molitur, vt Censuram, quâ Doctores Sapientissimi quædam de Libertate dogmata proscripserunt 27. Iunij, 1560. adulterinam, extortam, ineptam, inanem, ridiculam esse conuincat. Qua in re ita versatur, vt in hac vna Censura, omnia Sacræ Facultatis Decreta labefactet, atque conuellat. Nemo est enim ita plumbeus, qui iisdem rationibus, ac cauillis, quibus ista Censura oppu-

gnatur, reliquas omnes aut euertere, aut infamare non poſſit. Quis ferat tam grauem Sorbonæ iniuriam, tam fœdam labem inuri? Ego verò non patiar; ſed pro mea in Sacram Facultatem propenſiſſima voluntate, hanc ab ea calumniam omni conatu propulſabo.

Quod antequam aggredior, placet illam ipſam Cenſuram repræſentare, prout in Sorbonico Chartophylacio deſcripta ſeruatur. Huius Cenſuræ exempla quædam ſunt in Belgio, autographi noſtri planè conſimilia: niſi quòd in Præfatione partim detracta ſunt, quæ minùs ad cauſam ſpectant; partim addita, quæ lucis afferrent aliquid, doceréntque, quinam harum Propoſitionum auctores in Belgio fuiſſent. Vidi ego Lutetiæ, miſſa Louanio apographa huiuſmodi nonnulla: & tale fuiſſe oportet illud, ex quo deſcriptam Cenſuram edidit Petauius tom. 3. Theolog. Dogm. ſub finem libri quinti, qui eſt de Libero Arbitrio tertius. Vbi, quod ille ait, datam à ſe operam, vt cum Actis, quæ ſeruantur in Facultatis tabulario, diligenter conferretur: ſanè de Propoſitionibus, carúmque Cenſura (quod hoc in negotio ſpectandum erat vnum) veriſſimè dixit: titulum autem (quem quis admodum curet, vbi res tenetur?) cuiuſmodi erat in Belgicis exemplaribus reliquit. Hoc vnum habuit inſulſus Criticus, quod in eius editione morderet.

Ego verò, ne quid habeat in poſterum, quod puerilibus expoſtulatiunculis proſequatur, ineptè ac frigidè argutus Cenſor; non Cenſuram tantùm, ſed & longiuſculam illam Præfationem, de qua conqueſtus eſt, ex Actis Facultatis ad verbum exſcribo.

ANNO *Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, die Iouis, viceſimâ ſeptimâ menſis Iunij, Sacratiſsima Theologiæ Facultas Pariſienſis, poſt Miſſam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eo-*

dem Collegio, per iuramentum congregata est in materia fidei, super propositionibus infrà scriptis, per eandem Facultatem cum matura deliberatione Magistrorum Nostrorum Censurâ notatis, quas Fr. Petrus de Quercu Guardianus Conuentus Niuellensis, & Fr. Ægidius de Querceto Guardianus Athiensis, prædictæ Facultati Theologiæ miserunt, sigillis prædictorum Conuentuum signatas; rogantes obnixè, vt super iis dicta Facultas Censuram ferret. Quarum propositionum tenor sequitur, cum Censura ad easdem.

I. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposità, nec illi conuenit ea potestas ex ipsius naturali, & intrinseca ratione.

CENSVRA.

Prima pars huius propositionis est HÆRETICA: *secunda est falsa, & erronea, & morali Philosophiæ aduersa.*

II. PROPOSITIO.

Libertas, & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.

CENSVRA.

Huius propositionis prima pars includit contradictionem, & est HÆRETICA: *secunda est falsa.*

III. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium ex sua ratione intrinseca non habet, vt ex se, de se, & per se efficiat actum liberum.

CENSVRA.

Hæc propositio est falsa, erronea, & perniciosa.

IV. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare: & omne opus liberi arbitrij sibi dimissi, est peccatum mortale, aut veniale.

CENSVRA.

Hæc propositio pro vtraque parte est HÆRETICA.

V. PROPOSITIO.

Homo faciendo quod in se est, peccat: & non potest non peccare faciendo quod in se est.

CENSVRA.

Tota hæc propositio est hæretica.

VI. PROPOSITIO.

Posse peccare non est de ratione liberi arbitrij hominis; nec eiusmodi potentia peccandi, homini data est à Deo.

CENSVRA.

Huius propositionis prima pars est falsa; & secunda hæretica.

VII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum; vnde fit, vt omne opus hominis purè infidelis, sit peccatum.

CENSVRA.

Huius propositionis secunda pars est falsa, & malè ex præcedenti infertur.

VIII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium libere vult quidquid

ſponte ſuâ voluntariè vult: ita vt quod neceſſariò vult, idem libere velit.

CENSVRA.

Huius propoſitionis ſecunda pars implicat contradictionem, & eſt HÆRETICA.

IX. PROPOSITIO.

Hæreticus, ſchiſmaticus, & homo non purè infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam.

CENSVRA.

Hæc propoſitio eſt planè hæretica.

X. PROPOSITIO.

Homo exiſtens in peccato mortali, ſiue eius reatu ad æternam mortem, habet in ſe charitatem.

CENSVRA.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

XI. PROPOSITIO.

Per contritionem, non adhibito realiter ſacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra caſum martyrij, & neceſſitatis.

CENSVRA.

Hæc propoſitio eſt hæretica.

XII. PROPOSITIO.

Peccator ſi faciat quod mandatur per contritionem, & confeſſionem factam ſacerdoti, non remittitur illi peccatum, niſi ſacerdos abſoluat, etiamſi per malitiam abſque ratione ſacerdos illi neget abſolutionem.

CENSVRA.

Hæc propositio est hæretica.

XIII. PROPOSITIO.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest ante primam iustificationem in homine, liberi arbitrij vsus bonus: & qui se præparat ad eam, peccat, vt is, qui pessimè abutitur suis bonis naturalibus. Nam ante eam omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna.

CENSVRA.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

XIV. PROPOSITIO.

Non datur gratia nisi reluctanti, perinde nec prima iustificatio; quæ iustificatio est ipsa fides: fides enim est, quâ ex impio quis fit pius.

CENSVRA.

Huius propositionis duæ primæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

XV. PROPOSITIO.

Homo necessariò peccat etiam damnabiliter, in aliqua specie peccati: & actus, ad quem necessariò fertur, est illi peccatum. quare vt libere feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.

CENSVRA.

Hæc propositio est HÆRETICA *pro omnibus partibus.*

XVI. PROPOSITIO.

Nemo præter Christum est absque peccato

originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum, quod contraxerat ex Adam: omnésque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, sunt vltiones peccati originalis, vel actualis. Vnde & Iob passus est, & Martyres propter peccata sua.

CENSVRA.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei genitrici, ac Sanctis iniuriosa.

XVII. PROPOSITIO.

Omnia in gloriam Dei facite: &, dico vobis non resistere malo: sunt simpliciter vt præcepta accipienda.

CENSVRA.

Huius propositionis posterior pars, vt iacet, est hæretica.

XVIII. PROPOSITIO.

Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ. quòd si aliquod remuneretur temporaliter tantùm, non dignum vitâ æternâ, illud malum est, quia nullum est opus meritorium, nisi æternæ vitæ.

CENSVRA.

Hæc tota p opsiotio repugnat sacræ Scripturæ.

Age nunc, videamus quibus argumentis huius auctoritatem Censuræ Calumniator infringat.

PARAGRAPHVS II.

Proponuntur Argumenta, quibus Calumniator hanc Cenſuram oppugnat.

DVAS in partes Libellum ſuum diſtinxit. In prima, Cenſuram adulterinam eſſe, aut ſubreptitiam: in altera, inanem, ridiculam, iniuſtam eſſe contendit. Priorem breuiſſimè perſtringit, eámque coniecturis tam inanibus, & ludicris confirmat, ſatis vt conſtet illum verbo tenus affirmare legitimam non eſſe Cenſuram, nec ſperâſſe vnquam id ſe lectoribus perſuaſurum. Sed aliud fuit hac in parte vaferrimi hominis conſilium: nimirum, cùm ſtatuiſſet Cenſuram hanc cauillari atrociter, eámque multis nominibus criminari; timuit, ne ingens illa calumniarum moles, ad Sacræ Facultatis nomen alliſa frangeretur. Quare, contrà quàm ſentiebat, affirmandum ſibi putauit adulterinam eſſe Cenſuram, vt eam poſtea tanto licentiùs, quanto ſecuriùs arroderet. Neque verò in hac verſipelli calumniandi ratione inexpertus eſt, & tyro: eâdem arte poſtremam Summi Pontificis Bullam ſugillauit, quâ illæ ipſæ ſententiæ configuntur; quas Sorbonica Cenſura proſcripſit. Nouerant omnes Bullam hanc legitimam eſſe, & Summi Pontificis iuſſu in varias Europæ partes tranſmiſſam: id loquebantur, qui Româ recentes venerant: idem teſtabantur creberrimæ illinc ad primarios omnium ordinum viros ſcriptę litteræ: ipſe Apoſtolicus Nuncius ab Rege impetrauerat, vt in Gallia promulgaretur. Tanta nihilominus fuit profligati Calumniatoris impudentia, eam vt aſſereret ementitam eſſe, & in Belgio fabricatam: non quòd rem ita habere exiſtimaret; ſed vt liberiùs in hanc Bullam, quæ vellet, effutiret. Qui in re notiſſima tam inſigniter calumniatur, quâ fide de Sorbonica Cenſura, ab ætate,

te, notitiâque noſtra remotiſſima loquetur?

Vbi primam hanc partem libauit breuiter; in altera, quæ controuerſiæ caput eſt, ingenioli robur omne, viréſque conſumit; pugnátque acriter, Sorbonicam Cenſuram inanem eſſe, iniuſtam, & ridiculam; quòd propoſitiones plurimas hæreticas, aut erroneas pronuntiet, quas ipſi Theologorum principes, vt certas, & Catholicas amplectuntur. Quod vt euincat, vnam ſeligit, in qua, ſic tanquam illuſtri in exemplo, Cenſuræ iniquitatem oſtendat. Hæc autem eſt eiuſmodi: *Libertas, & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem: & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Hanc propoſitionem immeritò hæreſeos notari pugnat, ídque corrogatis vndique ex S. Thoma, Scotóque teſtimoniis efficere nititur. Atque vt nullam ab Sacra Facultate calumniam abſtineat, Sorbonicæ Cenſuræ Sorbonicos Doctores duos opponit, qui hanc propoſitionem Catholicam eſſe ſuo ſuffragio confirmarunt.

PARAGRAPHVS III.

Diluuntur coniecturæ, quibus pugnat Sorbonicam Cenſuram adulterinam eſſe, aut furtim fabricatam.

HÆC eſt argumentorum ſumma, quibus Calumniator Sorbonicam Cenſuram impetit, atque adeo, ſi Superis placet, labefactat. Ex quibus leuiora ſunt illa, quæ ſubreptitiam probant, quàm vt ſolidam reſponſionem mereantur. Nam quis ludicras, ſecúmque pugnantes malè feriati hominis ſuſpiciones curet? quis cum inanibus coniecturis nullâ probabilitatis ſpecie coloratis, ſic quaſi cum lemuribus, & laruis luctari diutiùs, & confligere velit? Ego certè eas ſingillatim non excutiam, ſed vniuerſim aduerſus omnes, duo præſcri-

PARAGRAPHVS II.

Proponuntur Argumenta, quibus Calumniator hanc Censuram oppugnat.

DVAS in partes Libellum suum distinxit. In prima, Censuram adulterinam esse, aut subreptitiam: in altera, inanem, ridiculam, iniustam esse contendit. Priorem breuissimè perstringit, eámque coniecturis tam inanibus, & ludicris confirmat, satis vt constet illum verbo tenus affirmare legitimam non esse Censuram, nec sperâsse vnquam id se lectoribus persuasurum. Sed aliud fuit hac in parte vaferrimi hominis consilium: nimirum, cùm statuisset Censuram hanc cauillari atrociter, eámque multis nominibus criminari; timuit, ne ingens illa calumniarum moles, ad Sacræ Facultatis nomen allisa frangeretur. Quare, contrà quàm sentiebat, affirmandum sibi putauit adulterinam esse Censuram, vt eam postea tanto licentiùs, quanto securiùs arroderet. Neque verò in hac versipelli calumniandi ratione inexpertus est, & tyro: eâdem arte postremam Summi Pontificis Bullam sugillauit, quâ illæ ipsæ sententiæ configuntur; quas Sorbonica Censura proscripsit. Nouerant omnes Bullam hanc legitimam esse, & Summi Pontificis iussu in varias Europæ partes transmissam: id loquebantur, qui Româ recentes venerant: idem testabantur creberrimæ illinc ad primarios omnium ordinum viros scriptę litteræ: ipse Apostolicus Nuncius ab Rege impetrauerat, vt in Gallia promulgaretur. Tanta nihilominus fuit profligati Calumniatoris impudentia, eam vt assereret ementitam esse, & in Belgio fabricatam: non quòd rem ita habere existimaret; sed vt liberiùs in hanc Bullam, quæ vellet, effutiret. Qui in re notissima tam insigniter calumniatur, quâ fide de Sorbonica Censura, ab æta-

te,

te, notitiâque nostra remotissima loquetur?

Vbi primam hanc partem libauit breuiter; in altera, quæ controuersiæ caput est, ingenioli robur omne, viresque consumit; pugnátque acriter, Sorbonicam Censuram inanem esse, iniustam, & ridiculam; quòd propositiones plurimas hæreticas, aut erroneas pronuntiet, quas ipsi Theologorum principes, vt certas, & Catholicas amplectuntur. Quod vt euincat, vnam seligit, in qua, sic tanquam illustri in exemplo, Censuræ iniquitatem ostendat. Hæc autem est eiusmodi: *Libertas, & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem: & sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Hanc propositionem immeritò hæreseos notari pugnat, ídque corrogatis vndique ex S. Thoma, Scotóque testimoniis efficere nititur. Atque vt nullam ab Sacra Facultate calumniam abstineat, Sorbonicæ Censuræ Sorbonicos Doctores duos opponit, qui hanc propositionem Catholicam esse suo suffragio confirmarunt.

PARAGRAPHVS III.

Diluuntur coniecturæ, quibus pugnat Sorbonicam Censuram adulterinam esse, aut furtim fabricatam.

HÆC est argumentorum summa, quibus Calumniator Sorbonicam Censuram impetit, atque adeo, si Superis placet, labefactat. Ex quibus leuiora sunt illa, quæ subreptitiam probant, quàm vt solidam responsionem mereantur. Nam quis ludicras, secúmque pugnantes malè feriati hominis suspiciones curet? quis cum inanibus coniecturis nullâ probabilitatis specie coloratis, sic quasi cum lemuribus, & laruis luctari diutiùs, & confligere velit? Ego certè eas sigillatim non excutiam, sed vniuersim aduersus omnes, duo præscri-

bam; quibus illas ruere funditus, & collabi necesse sit.

Primum est: si adulterina est illa Censura, quomodo in Sacræ Facultatis tabularium irrepsit? si extorta per vim, aut clam doctioribus, paucorum factione conflata; cur in eodem tabulario tamdiu iacet? cur non euellitur, eraditur, expungitur? cur ex quo exire cœpit in lucem, & volitare per Galliam, non reclamat Sacra Facultas, eámque contrario decreto non rescindit? si iniusta est, & Parisiensi Facultate indigna, vt garrit Aduersarius, cur illam non eiurat Sorbona? cur in tanto infamiæ periculo conniuet? illa, inquam, Sorbona, quæ nominis & famæ adeo retinens est, vt nuper tres è suis Doctoribus reuocare eam approbationem coëgerit, quâ pestilentem *Theophili de la Milletiere* librum comprobarant; quæ illam ipsam approbationem contrariâ Censurâ abrogauit, ne qua ex eius infamia, Sacræ Facultati labes allineretur. Cur, inquam, Sorbona adulterinam hanc Censuram totâ circumferri Europâ patitur? Certè quæ in re tanti momenti ita silet, annuere videtur, & probare.

Alterum, quod aduersus futiles Aduersarij coniecturas excipio, istud est; si valent rationes illæ, quibus sua huic Censuræ auctoritas detrahitur, vix alia est vlla Sorbonæ Censura, quæ vim aliquam obtineat. Nam quis pari iure eleuare reliquas, atque vt extortas, aut sine matura deliberatione conflatas, reiicere non possit? Hac arte Philippus Melancthon illam explodit, quâ Lutheri errores ab Sacra Facultate damnantur. Hæc sunt eius verba in Apologia pro Luthero, quæ habetur inter opera eiusdem Lutheri, tomo 6. *Coloniensium* (inquit) *insaniam vicère nunc non dissimili exemplo quicumque tandem sunt, qui Parisiis Lutherum damnauerant: adduci enim non possum, vt credam rem communibus totius ordinis Theologici suffragiis actam esse.* Quid ita? *quia*, inquit, *compertum habeo esse ibi etiam, quibus non displicet Lutherus.* Quî

igitur fieri potuit, vt illa Censura quâ Lutherus tam acriter perstringitur, totius Facultatis nomine inscriberetur? Rationem subiicit Melanchthon. *Quis nescit in Capnionia causa per quas larvas res acta sit? cùm Facultas etiam diceretur decreuisse, septem ni fallor ad summum, & in iis Monachi aliquot conuenerant, qui, sicut ipsi loquuntur, repræsentabant Facultatem. Quid si idem hîc accidit?* Video iisdem coniecturis euerti ab Melanchthone veterem illam, sacrámque Censuram, quibus recentior hæc ab Sorbonæ hoste conuellitur. Sed improuidum me! qui in ea parte confutanda tempus tero, quæ ruit ipsa per sese, quámque Aduersarius eo tantùm consilio præmisit, vt fucum faceret, & Sacræ Facultatis auctoritatem defugeret. Malim ego cedere iure meo, & seponere tantisper Sorbonæ nomen, solâque ratione pugnare, quàm in his nugis diutiùs immorari.

PARAGRAPHVS IV.

Quid reliquâ Disputatione agendum sit, statuitur.

VELITARI hactenus, & proludere visus est Aduersarius; nunc præliatur, & pugnat. Atque vt summi imperatores, fortissimos sæpe milites deligunt, qui bellum, ne extrahatur longiùs, singulari certamine dirimant: sic ille, vt labori parcat & tempori, ex omnibus Sorbonicæ Censuræ partibus vnam sumit, quam hac lege inuadit, vt si illam iniustam & inanem esse vicerit, tota explodatur Censura: sin minùs, ipse Calumniatoris nomen non recuset. Conditionem accipio: & in hac vna Sorbonicæ Censuræ parte, reliquas defendo. Et verò eiusmodi est illa, quæ oppugnatur, vt cum reliquis ferè omnibus implicata sit, atque connexa. Vnde, vt ruere non potest, quin aliæ collabantur, ita nec ab Aduersarij calumniis vindicari, quin reliquæ pariter confirmentur. Quod vt intelligas, illam ipsam pro-

positionem, aliásque cum illa cohærentes adscribam, & singulas eas notas attexam, quas illis Sorbonici suâ Censurâ inusserunt.

PARAGRAPHVS V.

Propositiones, quas malè ab Sacra Facultate damnari pugnat Aduersarius.

PRIMARIA est ista, quæ secundum in Censura locum obtinet. *Libertas, & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem, & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.* Quam ita notat Sorbona. *Huius propositionis prima pars includit contradictionem, & est* HÆRETICA: *secunda est falsa.*

Similis est octaua. *Liberum arbitrium liberè vult quicquid sponte, seu voluntariè vult, ita vt quod necessariò vult, idem liberè velit.* Quam simili quoque Censurâ perstringit Sorbona his verbis: *Huius propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est* HÆRETICA.

Cum his propositionibus aliæ ibidem damnatæ cohærent: cuiusmodi est prima. *Liberum arbitrium hominis non habet potentiam ad opposita, nec ei conuenit ea potestas ex ipsius intrinseca, & naturali ratione.* Quis sit huius propositionis sensus, nemo nouo dogmate initiatus non videt: nimirum innuit amisisse hominem per peccatum, illam ad opposita potestatem, quam Adamus in statu innocentiæ acceperat. Quod adeo Sorbonicis non placet, vt hanc illi notam infligant. *Prima pars huius propositionis est* HÆRETICA: *secunda falsa, & morali Philosophiæ aduersa.*

Eodem spectat propositio 15. *Homo necessariò peccat, etiam damnabiliter in aliqua specie peccati: & actus, ad quem necessariò fertur, est illi peccatum. Quare vt libere feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccatum.* Statuebant huiusce propositionis auctores cum Luthero & Calui-

no, hominem ita peccandi necessitate obstringi, vt à peccato abstinere non possit: pugnabant nihilominus eum à culpa non excusari; quòd satis sit ad culpam contrahendam, vt voluntariè agamus, quia in eorum sententia omne voluntarium est liberum. Quare addebant libertatem illam, quæ in potestate agendi & non agendi ponitur, non esse conditionem necessariam ad peccatum. Hanc propositionem *pro omnibus partibus* HÆRETICAM *esse* pronuntiant Sorbonici.*

Ferre non potest Sorbonæ obtrectator damnari has propositiones. At eum præcipuè malè habet, quòd prima hæreseos notetur. Hinc obtrectandi calumniandique occasionem sumit. Ego verò contendo nihil vnquam ab Sorbona iustiùs esse sancitum, nihil decretum sanctiùs. Quod multò commodiùs præstabo, cùm nouum illud de libertate dogma, quod hîc damnatur, penitiùs introspexero.

PARAGRAPHVS VI.

Quædam obseruanda ad intelligendum quale sit nouum illud de libertate dogma, quod Sorbonici proscribunt.

OBSERVANDVM primò ex Philosophis, vulgarique opinione, liberum arbitrium ita definiri: *Potentia est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere.* Libertas sic explicata duplex est; contrarietatis altera, altera contradictionis. Libertas contrarietatis, quæ & specificationis dicitur, ea est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, contrarios actus exercere potest; vt amare, vel odisse. Libertas verò contradictionis, quæ & exercitij, est illa, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest actum ponere, vel non ponere, vt amare, vel non amare; licèt odisse non possit. Vtramque libertatem hanc perimi

necessitas simplex, seu determinatio ad vnum, quia alterius partis eligendæ facultatem eripit.

Obseruandum secundò, ex Aristotele, S. Thoma, aliísque cùm Philosophis, tum Theologis, *Voluntarium esse id, cuius principium est in ipso agente, cognoscente singula, in quibus est actio:* siue, vt loquuntur Nemesius, & Damascenus, *quod fit à principio intrinseco cum cognitione finis.* Vnde colligitur, duo ad rationem voluntarij requiri. Primum est, vt sit à principio interno. Secundum, vt agens operetur cognoscendo finem, propter quem agit, & alias circunstantias actionis suæ. Defectu posterioris huiusce conditionis, non est voluntarium perfectum in brutis, pueris, & amentibus. Est tamen in eis imperfecta quædam voluntarij ratio, quæ imperfectam finis cognitionem complectitur, & vulgò spontaneum appellatur.

Obseruandum tertiò: Coactum esse illud, *quod fit à principio extrinseco, passo nihil conferente, sed potiùs repugnante.* Ita post Aristotelem, Philosophi omnes, atque Theologi. Qua ex definitione elicitur, duas esse actionis coactæ conditiones. Prima est, vt sit à principio extrinseco. Secunda, vt ad illam passum nihil conferat; immo reluctetur. Quo loco illud quoque obseruandum est; violentum, coactum, & inuoluntarium, etsi confundantur sæpe; ita distingui tamen, vt genera à speciebus, & ab arctioribus ampliora. Latissimè omnium patet violentum, illúdque complectitur omne, quod fit contra inclinationem rei cuiuslibet, etiam inanimæ: ita lapis dicitur violentiam pati, quando sursum proiicitur. Coactum verò spontaneo tantùm opponitur, éstque illud omne, quod fit contra inclinationem appetitus sensitiui, aut rationalis: sic animal cogitur, quando, contrà quàm vult, impellitur, & mouetur. Inuoluntarium denique soli aduersatur voluntario, fitque contra inclinationem voluntatis: vnde omne inuoluntarium, est coactum; & omne coactum, violentum:

non autem contrà, omne violentum, est coactum; neque omne coactum, est inuoluntarium.

Obseruandum quartò, voluntati vim inferri non posse, quoad actus elicitos: seu, quod eodem recidit, fieri non posse, vt actus aliquis elicitus à voluntate, inuoluntarius sit, & coactus. Communis hæc Philosophorum, Theologorúmque sententia, ita vulgò probatur: Nullus actus elicitus à voluntate potest esse à principio extrinseco, voluntate nihil conferente: ergo nullus actus elicitus à voluntate potest esse inuoluntarius, & coactus. Confirmatur. Fieri non potest, vt ait Augustinus lib. 3. de libero arbitrio capite 3. *vt cùm volumus, non velimus*; ergo fieri non potest, vt coactè velimus, quia coactè velle, est velle, cùm non vis: vnde patet tam esse impossibile, vt actus voluntatis, sit inuoluntarius, quàm est impossibile, vt volendo non velimus. Quod de humana voluntate diximus, de brutorum appetitu dictum puta. Fieri enim non potest, vt quod appetunt, inuitè appetant; adeóque implicat contradictionem, vt vim patiantur quoad actus elicitos appetitus sensitiui.

Obseruandum quintò, voluntatem posse vim pati, quoad actus imperatos: id est, posse actus aliarum facultatum, quę naturâ suâ voluntatis imperio subiiciuntur, poni voluntate renitente. Quod adeo clarum est, vt probatione non indigeat. Nam quis neget posse quemliber per vim adigi ad audiendum, quod audire nolit? vel ad videndum, quod nolit intueri? Quis neget valentiorem aliquem posse alterius inuiti, atque repugnantis manum commouere?

His obseruatis, facilè intelligitur, quid velint damnatæ à Sorbona opinionis auctores, cùm aiunt; *Libertatem & necessitatem eidem conuenire respectu eiusdem, & solam violentiam repugnare libertati naturali hominis*. Nimirum ita statuunt: libertatem non esse positam in indifferentia, seu potestate agendi, & non agendi; ac

proinde ſtare poſſe cum ſimplici neceſſitate, quæ voluntatem ad vnum affigit, illíq; alterius partis eligendæ facultatem adimit. Addunt nihil requiri ampliùs ad rationem liberi, quàm ad rationem voluntarij; adeóque omne voluntarium eſſe liberum, & ſolâ coactione libertatem perimi; coactione, inquam, illâ, quæ ipſi voluntati, & eius actibus elicitis inferatur; quæ cùm ſit impoſſibilis, contendunt fieri non poſſe, vt aliquis actus voluntatis non ſit liber; fatentúrque amorem, quo Beati amant Deum, eſſe liberum; item, liberum eſſe amorem, quo Deus amat ſeipſum; liberam quoque Spiritus ſancti productionem: quia hæc omnia, etſi neceſſaria ſint, voluntariè fiunt, non coactè. Sed alia ſunt huiuſce opinionis myſteria, eáque valdè recondita: quæ aperiri meliùs non poſſunt, quàm ſi totum hoc dogma ſuas in partes, ac veluti membra diſſectum, hîc exhibeatur.

PARAGRAPHVS VII.

Analyſis noui de libertate dogmatis.

HABET id commodi nouum hoc dogma, quòd omnes eius partes ita cohærent inter ſe, vt vnâ negatâ, ruant aliæ omnes; eâdémque admiſsâ, aliæ pariter admittantur. Id ex hac ſumma conſtabit, in qua illius opinionis placita, fundamenta, conſectaria, effugia & calumnias paucis explicabo.

Noui de libertate dogmatis Placita.

QVI nouam hanc opinionem procudiſſe videri volunt; ſed emortuam certè, & cum illius auctoribus Hæreticis conſepultam reuocarunt in lucem.

Statuunt primò, in ſtatu naturæ lapſæ abſolutam, & antecedentem neceſſitatem hominis voluntati inferri:

atque adeo cùm bene agit, necessariò bene agere: cùm malè agit, necessariò malè agere.

Statuunt secundò, manere nihilominus in homine liberum arbitrium, quòd libertas in indifferentia non consistat, nec cum absoluta, & antecedenti necessitate pugnet, sed coactioni tantùm, ac violentiæ internæ aduersetur.

Fundamenta

QVATVOR fundamentis nititur hæc opinio. Priora duo efficiunt, hominis voluntati necessitatem inferri: Posteriora, manere nihilominus liberum arbitrium, quòd sola coactio libertatem interimat.

Primum sumitur ex gratia Christi, seu gratia medicinali; quæ ab gratia voluntatis sanæ in eo distingui dicitur; quòd hæc voluntatem ad agendum, aut non agendum indifferentem relinquat: illa verò agendi necessitatem imponat.

Secundum petitur ex concupiscentia, quæ, si absit efficax gratia, absolutam, & antecedentem peccandi necessitatem adferre dicitur.

Tertium ex libertate Dei, Christi, Beatorum, ac Dæmonum, qui omnes, ex aduersariorum opinione, etiam tunc libere agunt, cùm necessariò agunt.

Quartum ex auctoritate sanctorum Patrum, ac præcipuè Augustini, Bernardi, & S. Thomæ, quos omnes coactionem solam, eámque internam, libertati opposuisse contendunt.

Consectaria.

Ex hac opinione sua, eiúsque fundamentis colligunt primò: *nullam Christi gratiam, seu medicinalem, esse sufficientem tantùm*, quia, vt volunt, omnis Christi gratia agendi necessitatem imponit, ac proinde nulla effectu suo caret. Vnde rursus inferunt, *nec Deum velle omnes homines saluos fieri: nec Christum pro omnibus mortem obiisse;*

quia plurimis ſufficientia ad ſalutem media non impartit.

Colligunt ſecundò: hominem in ſtatu innocentiæ, potuiſſe ſibi aliquid laudis ex opere bono vindicare; quia, poſitâ gratiâ, quâ ad bene agendum indigebat, erat in eius poteſtate agere, & non agere; atque adeo illi tribuebatur, quòd ageret: at in ſtatu naturæ lapſæ nihil laudis ex opere bono in nos redundare, quia cùm gratia medicinalis agendi neceſſitatem inducat, homini tribui non debet, quòd agat.

Colligunt tertiò: *eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia;* atque id ex ſuperioribus ita deducitur. Homini gratiâ Christi deſtituto impoſſibile eſt ſeruare mandata Dei: at peccator, cùm peccat, eſt omni Chriſti gratiâ deſtitutus: ergo peccatori impoſſibile eſt ſeruare mandata Dei. Minor probatur ſic, ex iiſdem principiis. Si peccator, cùm peccat, haberet aliquam Chriſti gratiam, bene ageret; nam omnis Chriſti gratia bene agendi neceſſitatem imponit: ergo peccator, cùm peccat, nullam habet Chriſti gratiam.

Colligunt quartò: demereri homines, ac mereri, dum id agunt, quod vitare, & à quo abſtinere non poſſunt: adeóque explodendum eſſe vulgare illud axioma, *Nemo peccat in eo, quod cauere non poteſt:* Quod ex hoc nouæ opinionis fundamento, *Quicquid in hoc ſtatu ſiue boni, ſiue mali fit ab homine, neceſſariò fit,* euidentiſſimè deducitur. Eodem pertinet, quod aiunt, *inuincibilem ignorantiam à peccato non excuſare.*

Effugia.

SVA ſunt huic dogmati effugia, partim ſtolida, partim ſubdola, quibus vulgaria Theologorum argumenta conantur eludere.

Primum eſt, quo ſe ab iis Scripturæ locis extricant,

quibus indifferens in vtramqúe partem homini libertas adſcribitur. Cuiuſmodi eſt celeberrimus ille ex capite 15. Eccleſiaſtici. *Appoſui tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* His, inquiunt, in locis loquitur Scriptura de libertate viatorum, in qua non negamus reperiri indifferentiam: cùm ſit in iis *mutabilitas, & naturalis flexibilitas*, quâ modò parti vni, modò alteri ſe addicunt. Quam reſponſionem ſi exſufflaueris, aliam continuò inuadent, pugnabúntque iis in locis ſcripturam loqui de homine integro, non de lapſo, & peccati labe contaminato.

Secundum paulo fuſiùs explicabo, quia tam ſubtile eſt, vt nimiâ tenuitate euaneſcat, & perſpicaciſſimam ingenij aciem effugiat. Cùm nouæ opinionis auctoribus Tridentini decretum opponimus, quo ſancitum eſt, hominem præuenienti gratiæ *diſſentire poſſe, ſi velit*, rogamúſque, quomodo id cohæreat cum nouo dogmate, quod præcisè negat gratiæ Chriſti reſiſti poſſe. Reſpondent vtrumque conciliari optimè, quòd Tridentinus Canon non dicat hominem ita gratiæ diſſentiri poſſe, vt aliquando diſſentiatur; ſed hoc vnum affirmet, hominem poſſe diſſentiri, *ſi velit*, id eſt ſi diſſentiatur; nam velle diſſentiri, diſſentiri eſt. Quare hunc eſſe aiunt Tridentini Canonis ſenſum: homo præuenienti gratiæ diſſentiri poteſt, ſi diſſentiatur; quem nouo dogmati nihil obeſſe clamant. Nam etſi mordicus tueantur neminem poſſe præuenienti gratiæ reſiſtere; fatentur tamen verè hoc dici, hominem gratiæ reſiſtere poſſe, ſi velit, id eſt, ſi reſiſtat. Eâdem cauillatione, alia quamplurima Scripturæ Patrúmque teſtimonia effugiunt, quibus conditionata illa particula, *ſi*, apponitur.

Tertium adhibent ad molliendam quarti Corollarij inuidiam. Homo, inquiunt, etſi neceſſariò peccet, culpabiliter peccat; quia peccandi neceſſitas, & bene agendi impotentia, non eſt ipſi innata, ſed ab primi parentis peccato profecta. C ij

Quartum eodem ferè ſpectat. Duplicem diſtinguunt ignorantiam inuincibilem. Prima eſt iuris naturalis, quæ cùm in ſtatu innocentiæ abeſſe deberet, nobis in peccati pœnam eſt inflicta, adeóque, inquiunt, à peccato non excuſat, quia illam primi parentis culpâ incurrimus. Secunda eſt, ignorantia iuris poſitiui; quæ, cùm ab ſtatu innocentiæ non excluderetur, non eſt nobis in peccati pœnam irrogata, ſed ab ipſa potiùs natura inſita, ac proinde peccatum excuſat.

Calumniæ.

TRIVMPHANT hac in parte nuperi Dogmatiſtæ, & communem opinionem, quam rationibus euertere non poſſunt, atrociſſimis calumniis infamare nituntur.

Primò, Ariſtotelicam, & Philoſophicam per ludibrium nuncupant; quaſi ſit illa ſanctis Patribus ignota, & ab ſolis prophanis Philoſophis repetita. Cuius calumniæ vt inuidiam augeant, in Philoſophiam inuehuntur acerrimè; atque ex eius ignominia, vulgari, de libertatis indifferentia, ſententiæ dedecus accerſunt.

Secundò, eandem ſententiam Pelagianam eſſe criminantur. Quod tantâ verborum pompâ ſe effecturos pollicentur, vt id vel ipſo calumniæ apparatu ſuæ factionis hominibus perſuadeant.

Tertiò, cùm opinionem ſuam intelligant in Prædeſtinatianorum errorem incidere, Catholicos ſcriptores carpunt, qui aliquam Prædeſtinatianorum hæreſim extitiſſe teſtantur: nec eos tantùm inſcitiæ accuſant, ſed etiam Semi-Pelagianiſmi ſuſpicione aſpergunt.

Quartò, Arelatenſe Concilium quo Prædeſtinatianorum hæreſis, atque adeo noua opinio proſcripta eſt, non explodunt modò, ſed audaciâ ſingulari ex Semi-Pelagianis tantùm conflatum fuiſſe calumniantur: ac proinde S. Pragmatium Auguſtodunenſem Epiſco-

pum, S. Patientem Lugdunenſem, S. Claudium Biſuntinum, aliósque doctrinâ, & pietate præſtantes Epiſcopos, quos huic interfuiſſe Concilio Baronius narrat, inter Hæreticos accenſent.

PARAGRAPH. VIII.

Totius diſputationis ſumma.

HANC ego opinionem tribus libris, ſic quaſi totidem machinis, expugnabo.

Libro primo, oſtendam Sorbonicos nec inſcitiæ, nec temeritatis argui poſſe, quòd hanc ſententiam ignominiosâ notatam Cenſurâ, & inter Lutheri, Caluinique hæreſes ablegatam, Catholicis è Scholis æternùm exulare voluerint.

Libro ſecundo, Sorbonæ hoſtibus Sancti Auguſtini præſidium, quod immeritò ſibi arrogant, extorquebo: vincámque Cenſuram Pariſienſem cum S. Auguſtini, Patrúmque mente apprimè congruere: nec poſſe niſi à calumniatoribus affirmari: Sorbonicos huius Cenſuræ auctores S. Auguſtini de libero arbitrio ſententiam aut ignoraſſe turpiter, aut ab ea malitioſè deſciuiſſe.

Libro tertio, pluribus efficiam iniquè agere Nouos Dogmatiſtas, qui veteres Theologos in Pariſienſis Academiæ Cenſuram, hoc eſt, filios in optimæ matris honorem, armare conantur. Demonſtrabo S. Thomam aliósque Theologos, qui ſuperioribus ſæculis ingenij, & eruditionis laude floruerunt, quique Pariſienſis Academiæ parentes extiterunt, aut Alumni, nihil vnquam docuiſſe, quod Sorbonicam de recenti opinione Cenſuram infirmet.

DISPVTATIONIS DE LIBERO ARBITRIO

LIBER PRIMVS.

In quo nouam de libertate opinionem meritò à Sorbona damnari euincitur.

NIHIL ad Censuram Parisiensem ab recenti calumnia defendendam validius dici potest; quàm SS. Patres, & Concilia eam Sorbonicis auctoritate sua præiuisse: Romanos verò Pontifices, Doctorésque Catholicos eandem suo iudicio consecrasse. Sic planè vt qui hanc Sorbonæ Censuram inanem esse dixerit, dixerit quoque inania esse fulmina omnia, & anathemata, quibus Ecclesia Lutheranos, Caluinistas, aliósque humanæ libertatis hostes coniuratos attriuit. Illud ipsum est, quod hoc libro tribus argumentis, in totidem capita digestis, probare aggredior.

Primum argumentum sic habet: Nouum de libertate dogma cum Hæreticorum huius temporis de libero arbitrio errore tam accuratè consentit, vt eius placita, fundamenta, consectaria, calumniæ, effugia, ex Lutheranorum, atque Caluinistarum libris hausta sint; ergo nouum de libertate dogma meritò à Sorbona proscribitur.

Secundum est: Noua de libertate opinio, etsi verbis distet ab antiquorum Hæreticorum opinionibus, qui ob ereptam homini libertatem damnati sunt; re tamen ipsâ cum illis conuenit; ergo meritò à Sorbona reiecta est.

Tertium est: Noua de libertate sententia à posterioribus Conciliis, summis Pontificibus, Doctoribus Sorbonicis, aliísque Catholicis Theologis, vt Hæretica repudiata est; ergo à Sorbona meritò damnatur.

CAPVT I.

Nouum de libertate dogma totum ex recentioribus Hæreticis insigni plagio arreptum est.



VIDQVID agant noui dogmatis architecti, nunquam æquis iudicibus persuadebunt, nihil se cum hæreticis habuisse commercij. Quis enim putet casu, & fortuitò contigisse, vt in eandem cum illis opinionem conuenirent, eámque non iisdem tantùm verbis conciperent, sed iisdem etiam rationibus probarent, iisdem confirmarent Scripturæ Patrúmque testimoniis, iisdem exemplis, ac similitudinibus illustrarent, iisdem denique effugiis, ac calumniis ab aduersariorum argumentis defenderent? Miraculi certè, ac prodigij loco istud foret. At ne quis fortè hæc à me fingi putet, vt nupero dogmati ex hæreticorum nomine inuidiam consciscam: placet hîc vtramque sententiam componere, & indicare paucis, quàm bene cum recentioribus hæreticis noui Dogmatistæ in opinionis suæ placitis, fundamentis, consectariis, effugiis, calumniísque consentiant.

SECTIO I.

Noui dogmatis placita ex recentioribus Hæreticis sumpta sunt.

Toto libro 6. de gratia Christi, ac præsertim cap. 6. 7. 8. 9. 10.

NOVÆ opinionis placita vnâ hac sententiâ continentur: *Natiua hominis libertas non simplici necessitate, sed sola coactione interna perimitur. Quamobrem etsi homo in hoc corruptæ naturæ statu quidquid boni aut mali agit, antecedenti necessitate obstrictus agat, libere tamen agit, quia non coactè.* Illud ipsum est, quod ab recentioribus hæreticis ad conuellendam humanam libertatem affirmatum esse contendo.

PARAGRAPHVS I.

Sumpta sunt ex Vvicleffo.

AB Wicleffo ducam exordium, quòd postremis hisce temporibus libertati primus bellum indixerit. Mentem illius pluribus exponit acerrimus Catholicæ veritatis propugnator Valdensis lib. 1. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 22. vbi plurimos veteres hæreticos recenset, qui cum Wicleffo liberum arbitrium sustulerunt, additque: *Vna est radix errorum eius & omnium prædictorum, necessitas absoluta futurorum euentuum. Hæc est grata hæresis Manichæis, Iouinianistis, Iacobitis, Prædestinatis, Vvicleffistis, & Paganis. Sed propter necessitatem istam destruxerunt hi prædicti liberum arbitrium, quidam publicè, sicut Manichæi & Iouinianistæ, quidam occultè, sicut Prædestinati & Vvicleffistæ, qui profitentur quidem liberum arbitrium saluare, & saluant quidem exemplariter, at destruunt in effectu.* Sed quî tandem fieri potuit, vt, vel in speciem, liberum arbitrium Wicleffistæ retinerent, qui hominis voluntatem absolutæ necessitati subiiciebant? Rationem suggerit

Val-

Valdensis idem capite sequenti, *Respondent communiter Vvicleffistæ tgutinantes glossam euasoriam, quòd* DEVS NON NECESSITAT NECESSITATE COACTIONIS AD BONVM, VEL MALVM FVTVRVM; QVIA ILLA SOLA TOLLIT ARBITRII DIGNITATEM: *non autem alia necessitas praeueniens absolutè futuritionem effectus.* Quid cum nouo dogmate consentaneum magis?

PARAGRAPHVS II.

Sumpta sunt ex Lutheranis.

DAMNATAM ab Constantiensi Concilio Wicleffi de libertate sententiam Lutherus instaurauit, eámque tum aliis passim libris, tum in eo præsertim, quem *de seruo arbitrio* inscripsit, acerrimè defendit. Quo in libro edit. Wittemberg. anni 1546. fol. 468. hæc habet. *Sequitur nos necessariò operari; necessariò verò dico, non coactè, necessitate immutabilitatis, non coactionis: hoc est, homo, cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; sed sponte & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modò necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare & vertere aliò non posit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata & blandè assibilata per spiritum Dei voluntas, iterùm merâ lubentiâ & pronitate, ac sponte suâ vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset. nam coactio potiùs est, vt sic dicam, noluntas.*

Lutheranum hoc dogma accuratè admodum, ac fusissimè explicat Lutheranorum omnium subtilissimus Hieronymus Zanchius, qui in eam rem ita scripsit, vt neminem credam illius de libero arbitrio tractatum legere posse, quin ei veniat in mentem nouos Dogmatistas inde opinionem suam, & rationes quibus vtuntur, ac præcipua Patrum testimonia sumpsisse.

Qui id experiri volet, caput sextum legat libri primi Tractatuum Theologicorum, ex quo pauca in exemplum delibo; Thesi 1. pag. 81. edit. Neostadiensis anni 1597. *Est itaque hæc natiua, propria & inseparabilis humanæ voluntatis libertas, quòd quidquid vult, & non vult, siue bonum, siue malum, illud sine coactione velit, & nolit.* Et pag. 82. *Proinde turpiter falluntur, qui ideo nos liberum arbitrium homini adimere contendunt, quia dicimus homines impios necessariò peccare; non enim voluntatis nostræ libertas in hoc consistit, quòd nullâ necessitate ad peccandum adigatur; sed in hoc, quòd ab omni coactione libera est.* Vnde Thesi 2. liberum arbitrium sic definit: EST ANIMÆ FACVLTAS AB OMNI COACTIONE LIBERA. Eadem sæpius inculcat, Tomo miscell. lib. 3. tractatu de prædestinat. ac præsertim cap. 6. editionis tertiæ anni 1593. pag. 72. *Verùm in hoc negotio hominibus impedimento est, quod existimant non esse liberum arbitrium in illis rebus, quæ aliter se habere non possunt,* NEQVE COGITANT LIBERO ARBITRIO OPPONI COACTIONEM, NON AVTEM NECESSITATEM, *aut aliter volendi impossibilitatem.*

Consonat Zacharias Vrsinus Vratislauiensis Minister q. 1. de lib. arb. *Est igitur*, inquit, *liberum arbitrium facultas, seu potentia volendi sine coactione;* Et quibusdam interiectis: *Porrò necessitatem, seu immutabilitatem, quæ non ex coactione, sed ex natura voluntatis, aut eius per alias causas ad eligendum, vel repudiandum obiectum à mente cogitatum commotione existit, nequaquam cum libertate voluntatis pugnare, facilè ostendi potest. Primùm, quia hæc necessitas mentis iudicium, & voluntatis assensum spontaneum non tollit. Secundò, quia Deus etiamsi naturâ; hoc est, summa & absoluta necessitate bonus est; tamen non coactè, sed liberrima voluntate.* Tum ad Pontificios: *Iam igitur in argumento suo aduersarij, si libertatem eam intelligunt, quæ in mentis deliberatione, & voluntatis assensu spontaneo consistit, non modò concedimus, sed meliùs etiam,*

quàm ipsi defendimus voluntatis libertatem in omnibus suis actionibus. Breuissimè Amandus Polanus p. 33. editionis Geneu. anni 1612. *Arbitrium hominis corrupti est naturalis potentia sine coactione eligendi.* Et paulo pòst, LIBERVM EST, QVOD AB OMNI COACTIONE IMMVNE.

Ex his colligo, nihil Catholicos ab Lutheranis discrepare, si id semel admiserint, solam coactionem libertati repugnare. Quod pluribus ostendit Martinus Bucerus primarum inter Lutheranos partium scriptor, lib. de Concord. doctrinæ. PAX EST, inquit, CATHOLICOS INTER ET LVTHERANOS, SI SOLA COACTIO LIBERTATI REPVGNAT, *quod enim Catholici dicunt hominem esse liberi arbitrij, intelligi debet de arbitrio libero à coactione, non à necessitate: quod verò dicunt Lutherani hominem non esse liberi arbitrij, accipiendum est de arbitrio libero à necessitate, non à coactione.* Pax est ergo nouos inter Dogmatistas, & Lutheranos.

PARAGRAPHVS III.

Sumpta sunt ex Caluinistis.

PAX quoque inter eos & Caluinistas. Certè Caluinus sæpe id profitetur, hominem hoc sensu esse liberi arbitrij, quòd non cogatur. Insignis est locus iste ex libro 2. in Pighium editionis tertiæ Geneu. pag. 153. SI COACTIONI OPPONITVR LIBERTAS, LIBERVM ESSE ARBITRIVM ET FATEOR, ET CONSTANTER ASSEVERO: AC PRO HÆRETICO HABEO, QVISQVIS SECVS SENTIAT. *Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur suâ, nihil moror.* Eadem dixerat libro 2. Instit. cap. 2. §. 6. & Lombardum huiusce opinionis auctorem fecerat, *Pronuntiat*, inquit, *Lombardus non liberi arbitrij ideo nos esse,*

quòd ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus, ſed duntaxat, quòd coactione ſoluti ſumus. Quæ libertas non impeditur, etiamſi praui ſimus, & ſerui peccati, & nihil aliud, quàm peccare poßimus. Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit, non coactione.

Præceptoris veſtigiis inſiſtunt Beza, & Petrus Du Moulin. Prior quidem in Libello Quæſt. & Reſponſ. Chriſtianarum, edit. tertiæ Geneu. anni 1576. pag. 680. quærenti Catechumeno, *Vis igitur libertati non repugnare neceßitatem eligendi?* Reſpondet: *Apertiùs dico, non neceſsitate, ſed coactione demum tolli voluntatem, aut contingentiam.* Poſterior verò ſic loquitur: *Homini non eripimus libertatem voluntatis, ſcimus filios Dei libenter, & ſine vi agere, quidquid boni agunt.* Tum paucis interiectis: *Neceſsitas peccandi non repugnat libertati voluntatis. Teſtes ſunt dæmones, qui neceſſariò mali ſunt, quíque nihilominus liberrimè, & ſine coactione peccant: ſic Deus neceſſariò bonus, eſt ſummè liber: neceſsitas libertati non repugnat, ſed coactio.* Si mentem ſuam Gallicè exponerent noui Dogmatiſtæ, non aliis verbis vterentur, quàm quæ Molinæus vſurpauit.

Nous n'oſtons pas à l'homme la liberté de la volonté. nous ſçauons que le bien que font les enfans de Dieu, ils le font volontiers & ſans contrainte. La neceſſité de pecher ne repugne point à la liberté de la volonté, teſmoins les Diables, qui ſont naturellement, & neceſſairement meſchans, & neãtmoins pechent fort librement, & ſans contrainte: la neceſſité ne repugne point à la liberté, mais la contrainte. Du Moulin Bouclier de la foy article 9.

Temperare non poſſum, quin hîc quoque aliquid attexam ex Chamiero celeberrimo illo ætatis noſtræ Caluiniſta, qui (teſte Dupleſſio) tantum ſibi apud ſuos auctoritatis, & famæ confecerat, vt tota in Gallia oraculi inſtar haberetur. Controuerſiam hanc multis agitat tom. 3. libro 2. & aduerſus Catholicos probat liberum arbitrium non abſolutæ neceſſitati, ſed coactioni tantùm eſſentialiter opponi. Quod vt efficiat, cap. 1. num. 12. proponit Catholicorum opinionem, qui neceſſitatem libero arbitrio aduerſari contendunt, ſubdítque: *Noſtri contrà ſtatuunt, poſſe quidem cadere in arbitrium libertatem à neceſsitate; ſed non ita, vt ſit de eius eſſentia; ſícque libertatem poſſe conſtare, dempta coactione,*

siue violentia, etiamsi adsit aliqua alia necessitatis species. Quod multis postea capitibus euincere conatur.

Idem tentat Ioannes Piscator, recoctus Caluinista, qui in Thesibus Theologicis Sigenæ Nassouiorum ann. 1596. editis, liberum arbitrium definit, *facultatem volendi & nolendi sine coactione.* Additque: *An verò rectè contendant Catholici, agendi quoque necessitatem à libero arbitrio repellendam, videamus.* Et Witakerus tomo 1. l. 5. aduersus Duræum pag. 135. col. 1. *Et Deus bene & dæmones necessariò agunt malè, in quo voluntati liberæ non opponi necessitatem vides.* LIBERTATEM ENIM VOLVNTATIS, NON NECESSITAS, SED VIS ET COACTIO TOLLIT. Necnon & Dauid Pareus l. 5. de gratia & libero arbitrio c. 4. pagina 368. editionis Hidelbergensis anni 1614. *Nulla necessitas ex omnibus libertati naturæ repugnat, nisi duæ: vna physica seu naturalis necessitas, quæ est determinatio naturæ brutæ ad vnum semper eodem modo agendum: Altera coactio, seu coactionis necessitas quæ est determinatio naturæ rationalis ad vnum præter, vel contra voluntatem à violento externo principio.* Brandius quoque pagina 36. NON NECESSITAS QVÆVIS, SED COACTIO TOLLIT LIBERTATEM.

Denique Ioannes Scharpius insignis Caluinista hanc esse totius Caluinisticæ factionis opinionem disertè profitetur in libello, quem ita inscripsit: *Tractatus de misero hominis statu sub peccato, in duos libros distinctus, quorum priori de peccato eiúsque pœnâ: posteriori verò de viribus in homine per peccatum reliquis, seu de libero arbitrio agitur. In quibus controuersiæ omnes de vtroque dogmate, præcipuè verò quæ inter nos, & Papistas, explicantur.* Qui libellus omnes aduersarij opiniones, & præcipua D. Augustini, quibus illæ nituntur, testimonia tam accuratè perstringit, vt qui nesciuerit illum annis triginta antè noui Doctoris opera editum fuisse, illorum esse compendium arbitretur. Sic autem loquitur libro 2. de libero arbitrio cap. 1. DIFFERIMVS A PONTIFICIIS.

ILLI AD LIBERVM ARBITRIVM CONSTITVENDVM AIVNT REQVIRI NON TANTVM LIBERTATEM A COACTIONE, SED ETIAM A NECESSITATE. NOS VERÒ DICIMVS NECESSITATEM IN AGENDO LIBERVM ARBITRIVM NON TOLLERE. En quid ſit in hac controuerſia diſcriminis Catholicos inter atque Caluiniſtas. Quod idem Scharpius cap. 2. pag. 182. ita rurſus exponit: *Status primæ controuerſiæ eſt, an ad liberum arbitrium conſtituendum requiratur libertas à neceſſitate, an verò ſufficiat illa quæ eſt à coactione.* PAPISTÆ NEGANT, NOS AFFIRMAMVS. mox: *Libertati opponitur coactum, non autem neceſſarium. Nam liberum poteſt cum neceſſario, at non cum coacto ſubſiſtere.*

Sed quid ego ſingulos Caluiniſtas appello? cùm totius Caluiniſticæ factionis ſententiam proferre poſſim ex Synodo Dordrecthana, ann. 1618. & 1619. habita: vbi illa, quæ iam impugno dogmata, communi Caluiniſtarum omnium conſenſu ſancita ſunt. Sic illi ſententiam ſuam proponunt pag. 706. & 707. edit. Hannou. an. 1620. *Voluntas hominis per eſſentiam ſuam ſemper manet libera, etiam quando ad vnum determinatur,* &c. *Nam libertas non pugnat cum omni neceſſitate & determinatione: pugnat equidem cum determinatione violentiæ, ſeu cum neceſſitate coactionis, ſed optimè conuenit cum neceſſitate infallibilitatis. Nam Deus neceſſariò odit peccata, neceſſitate ſcilicet naturæ, ſeu immutabilitatis, & eadem odit libere.* Qua arte, quibus præſtigiis perſuadebunt noui Dogmatiſtæ, ſe nihil cum Hæreticis habere commune?

SECTIO II.

Aduerſariorum reſponſis occurritur.

VIDIMVS hac primâ parte, quàm ſplendidè latrocinati ſint aduerſarij, qui ſui de libertate

dogmatis caput non ex ſemeſo, & obſoleto Catholicorum libro, (quod & pudendum iis eſſet, qui nouam quandam Theologiæ lucem deberi induſtriæ ſuæ gloriantur) ſed ex celeberrimis poſteriorum temporum Hæreticis arripuerunt. Vnde gemina noui Dogmatis fautoribus labes aſpergitur. Nam & infamis plagij tenentur rei, & erroris ſuſpicione non vacant. Primam hanc plagij maculam nunquam eluent, cùm tot teſtibus conuincantur. Aliam verò erroris notam, etſi maximè velint, vix à ſe remouebunt. Quod vt innoteſcat, placet hîc confutare paucis reſponſiones illas, quibus ſuam ſententiam ab Hæreticorum opinione ſegregant.

PARAGRAPHVS I.

Prima reſponſio retunditur.

NVGANTVR ſanè aduerſarij, cùm ſe ideo ab Hæreticis diſcrepare iactant, quòd liberum homini arbitrium non adimant. Enimuero ſi ab eis quæratur, quam homini libertatem aſſerant: eámne, quæ neceſſitati, an quæ coactioni opponitur; clariùs dicam, an ideo homo ſit liber, quòd habeat indifferentem ad vtrumlibet voluntatem, an quòd vis illi, & coactio interna nunquam inferatur: Reſpondebunt hominem eſſe liberi arbitrij, quòd licèt determinetur ad vnum, & antecedenti neceſſitate alterutri parti affigatur, habet nihilominus voluntatem incoactam, & internæ violentiæ expertem. Quid aliud Lutherus, Caluinus, aliíque ab eis proſeminati Hæretici pronuntiant? Libro 8. de gratia Chriſti cap. 21.

Caluinus lib. 2. in Pigh. pag. 153. edit. Gen. *Ego verò, quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor quod in mea Inſtitutione teſtatus ſum, non adeo me ſuperſtitioſum eſſe in verbis, vt eius causâ velim contentionem aliquam mouere, modò intelligentia ſana maneat.* SI COACTIONI OPPONITVR LIBERTAS, LIBERVM ESSE AR-

BITRIVM ET FATEOR, ET CONSTANTER ASSEVERO. Rurſus l. 3. in eundem Pigh. pag. 163. *Semper teſtatus ſum me de nomine pugnare nolle, ſi hoc ſemel conſtitueretur, libertatem non ad facultatem boni æquè ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum, & conſenſum referri debere.* Et pag. 166. *Semper me dixiſſe teſtis eſt mea Inſtitutio, per me non ſtare quin liberum hominis arbitrium vocetur, modò ſana verbi definitio nobis conſtet.* Illud ipſum profitetur in Antidoto Concilij Tridentini ad Can. 5. ſeſſ. 6. *De verbo ne moueamus rixam: ſed quia per liberum arbitrium intelligunt* (Tridentini Patres) *eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera, & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem.* Finge aliquem ex aduerſariis minimè peruicacem; hunc ſi familiariter adhibeas, interrogéſque, an perierit liberum hominis arbitrium; certè cum Caluino reſpondebit, periiſſe indifferentem illam vtriuſque partis eligendæ facultatem, ſeu libertatem à neceſſitate ſimplici; nec aliam ineſſe homini lapſo, quàm quæ à coactione dicitur.

Vtut ſit, inquies, negat Caluinus liberum arbitrium; ego aſſero. Capio quid velis; nimirum, ſentire te cum Hæreticis, at cum Catholicis loqui. Et cum Catholicis loquebatur in Dioſpolitana Synodo Pelagius, cùm gratiæ neceſſitatem confeſſus eſt: neque tamen vel tum erat Catholicus, quia dum gratiæ nomine intelligebat naturam, hæreticè ſentiebat. Non verbis vnis, ſtrepitúque ſyllabarum, Hæretici; ſed rebus maximè ſententiiſque cenſendi ſunt.

Quid verò ſi, ne vocibus quidem, ab recentioribus Hæreticis nupera doctrina diſcrepet, cum quibus ſententiarum omnium paritatem, & germanitatem habere tantam oſtendimus? Quid tum habebit noua Schola, quod hiſcere poſſit, ac prætexere? Certè Lutherani omnes atque Caluiniſtæ ita iam loqui cœperunt; vt illud liberi arbitrij nomen, quod eorum Antiſtites

ſtites tantopere execrabantur, facilè admittant. Chamierus tom. 3. lib. 2. cap. 8. num. 21. *Retineatur ſanè non tantùm liberum arbitrium Latinorum; ſed & τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili λογομαχίᾳ tempus teramus: & concedatur illud canis veterum Doctorum, vt potuerint vocabula trita vſurpare, ſed & poſteris tradere: dum ne Papiſtæ nobis inde faciant inſidias: hoc ſaluo ſalua pax eſto.* Conſentiunt Petrus Du Moulin in Clypeo fidei art. 4. Zanchius Tract. Theolog. lib. 1. cap. 6. Oecolampadius explicans illud Iſaiæ: *Si volueritis, & audieritis me.* Petrus Martyr in Locis Communibus, Titulo de libero arbit. aliique recentiores Caluiniſtæ, & Lutherani: qui cùm libertatem ineſſe voluntati non à neceſſitate, ſed à ſola coactione tueantur; liberum tamen arbitrium à ſe admitti contendunt. Viam Caluinus aperuerat, qui lib. 2. in Pighium, editionis 3. Geneu. pag. 154. *Si coactioni opponitur libertas*, inquit, *liberum eſſe arbitrium, & fateor, & conſtanter aſſeuero, ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecùs ſentiat: ſi hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.* & lib. 2. Inſt. c. 2. §. 6. *Liberi arbitrij hoc modo dicetur homo; non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia* MALE VOLVNTATE AGIT, NON COACTIONE.

Legite hîc ſententias veſtras, nouelli Doctores, & parentes veſtros recognoſcite, qui vobis eatenus ſaltem ſinceriores ſunt; quatenus, dum liberam à ſola coactione voluntatem intelligunt, diſcedere ſe in eo à Romanæ Eccleſiæ doctrina fatentur.

PARAGRAPH. II.

Secunda reſponſio diluitur.

AVDIVI, qui nouum Dogma ab recentioribus Hæreticis ideo ſeiungeret, quòd aſſerant hominis vo-

luntatem ad iustificationem passiuè tantùm se habere: à quo noua opinio mirum quantùm abhorreat.

At hæc responsio, quàm fluxa, & debilis! Dum enim aiunt Hæretici voluntatem passiuè tantùm in iustificatione se habere; dum actiuè se habere hodierni Dogmatistæ profitentur: idem vtrique (vtrorumque iudicium non defugio) concordissimis sententiis, solâ vocum discordiâ pugnantes, efferunt.

Quod intelligi facilè vel ex vno Dordrechtanæ Synodi Decreto potest, sic aiente pag. 677. *Ad hoc ipsum opus regenerationis habet se homo passiuè, neque est in voluntate potestatis humanæ impedire Deum sic immediatè regenerantem.* En quid sibi Hæretici velint, dum merè passiuè se habere voluntatem asserunt; nimirum, eam opus suum ita in potestate non habere, vt abstinere ab eo possit. Quæ si Aduersariorum doctrina non est; neque ipsi profectò, sunt ipsi.

Quid verò aliud Hæreticos sibi voluisse causari possint? an voluntatem lapidis instar, & trunci sine motu ac sensu à Deo moueri? non agere? non operari? Si eorum testimoniis fides habetur, ab hac insania plurimum abfuisse putandi sunt. Hoc vnum voluere: regenerationem, & conuersionem ita in nobis fieri, & à nobis certè fieri, vt liberum nobis non sit motuum illorum productionem impedire. Sic à nobis etiam Catholicis definitur gratia præueniens, *motus, qui fit in nobis sine nobis*, & passiuè ad eam se habere animus noster dicitur, quia licèt motus voluntatis indeliberatos, qui gratiæ præuenientes dicuntur, physicè producat, atque eliciat; libere tamen non producit sic, vt in eius potestate sit eos premere. Ita dicebat Apostolus se *non operari* motus indeliberatos concupiscentiæ: quia quamuis eos efficienter produceret, libere non producebat, ita vt impedire posset, ne erumperent. Conuersionem ergo ad Deum cùm ita fieri in nobis Hæretici censeant, vt necessariò fiat, nullâ nobis relictâ illius impediendæ

potestate, quamuis in ea operemur nos quoque: eatenus dixerunt illam sine nobis fieri, & voluntatem passiuè tantùm ad eam se habere.

Atque hoc sensu eorum sententia damnari in Conc. Trid. videtur sess. 6. c. 5. vbi peccatorum iustificationem ita fieri docet, *Vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem ipsam recipiens: quippe qui & illam abiicere potest*, &c. Probat hominem non se habere passiuè, quia inspirationem ita recipit, vt abiicere possit. Quod directè opponitur Dordrechtanæ Synodi decreto statuenti, hominem idcirco se habere passiuè in regeneratione, quia non potest Deum regenerantem impedire.

Verùm ne quid finxisse de recentiorum Hæreticorum mente videar, & quippiam iis tribuisse non suum: iuuabit è multis pauca proferre, ex quibus constet, quàm nihil sim de illorum sententia mentitus. A Lutheranis ordiar.

Qui sit Lutheri hac in parte sensus, declarat Chemnitius in Examine Tridentini in sessionem 6. edit. Francofurtiensis anni 1578. pag. 125. & 126. *Exagitant*, inquit, *illud, quod Lutherus dicit, hominem ad regenerationem, renouationem, seu conuersionem habere se merè passiuè, & sanè hac phrasi offendi posset aliquis, qui non esset assuetus modis loquendi, qui Scholasticis scriptoribus vsitati sunt, quasi sensus sit Spiritum sanctum, ita operari conuersionem, vt in voluntate, quæ renouari cœpit, nulli omnino sequantur noui motus: sed planè sit otiosa, & iners, & tanquam brutâ agitatione percellatur; & protrudatur, quod Luthero nunquam in mentem venit*, &c. *sed hoc vnum voluit, vsus Theologorum phrasi, Deum, quos conuertit, trahere voluntatibus eorum, quas ipse in illis per Spiritum sanctum*

operatus est, sicut Augustinus loquitur. Quod ex Lutheri libris adeo certum est, vt nisi ab peruicaci negari non possit. Nam hoc vnum loquitur, *Hominem, etsi necessariò agat, quicquid agit, voluntariè tamen agere.* Sic libro de seruo arbitrio pag. 468. *Necessariò operamur, necessariò dico, non coactè. Hoc est, homo cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte, & libenti voluntate facit.* Rursum. *Si Deus in nobis operatur, iterum merâ lubentiâ, & pronitate ac sponte suâ vult, & facit non coactè.* Hæc qui legit, videt, cùm ait Lutherus, voluntatem se habere passiuè, non ita intelligendum esse, quasi velit nihil omnino agere voluntatem, cùm ipse testetur eam *velle, & voluntariè velle, agere, operari.*

Hinc est, quod Philippus Melancthon aliique Lutherani rigidam illam, ac seueram loquendi rationem abiecerunt, fassique sunt hominem non passiuè tantùm se habere. Quod Caluinus perstrinxit lib. 1. in Pigh. pag. 142. *Hoc quoque verum est, nonnulla quæ scholastico dicendi genere, & minùs populari studio scripserat Lutherus, Philippum Melancthonem prudenter, & magnâ dexteritate in meliorem formam flectendo, ad vulgarem hominum captum accommodâsse, & communem vitæ vsum.* Certè Zanchius ita mentem suam interpretatur Tract. Theol. 1. lib. 1. cap. 6. num. 22. pag. 119. *Deinde notanda est illa regula generalis, quæcumque operatur in nobis Spiritus sanctus, eadem etiam nobis piis attribuuntur. Exemplum: dicitur Spiritus sanctus orare in nobis, dicimur & nos orare, quia non sumus solùm subiecta quædam, in quibus tanquam in truncis operetur Spiritus sanctus: sed sumus etiam talia instrumenta, hoc est, mente & voluntate prædita; per quæ ita operatur, vt etiam nos scientes, & volentes operemur. Ita eadem actio, & Spiritus sancti est, & nostra: Spiritus sancti, tanquam principalis, & superioris agentis: nostra, tanquam causarum secundarum, & inferiorum. Ille enim dat vim operandi, nos operamur.*

Apage ergo diſcrimen illud Nouitiæ à Lutherana doctrinæ; cùm paſſiuè ſe habere voluntatem ita Lutherani dixerint, vt hoc tantùm vellent, non eſſe in voluntatis poteſtate gratiæ effectum impedire; quod Aduerſarij profitentur: ceterùm, *non omnino otioſam & inertem* eſſe, ſed *operari*, itidem vt Aduerſarij, dicerent. Quod & Stapletonus l. 4. de gratia & libero arbitrio c. 1. obſeruauit. Nam cùm protuliſſet Chemnitij teſtimonium, quo ait non omnem actionem voluntati eſſe adimendam, ſubdit: *De hac re nec Lutherus ipſe vnquam dubitauit, quin in conuerſione mentis, & voluntatis ad Deum, aliqua eſſet actio & agitatio ipſius intellectus, ac voluntatis, ſpontanea ſcilicet, non coacta. Conuerſio enim eſt actio, & quod voluntas agit, ſponte fit.* Hoc ſublato diſcrimine, quo ſe vno vtcunque tegere poterat noua Libertinorum natio; agnoſcant tandem, quarum ſint partium, & cuius ſacramenti.

Neque à Caluiniſtis longiùs, quàm à Lutheranis diſcrepant. Nam conſtanter id Caluinus aſſerit, *hominem agere, ſed à Deo motum*. lib. 5. in Pig. pag. 182. *Hominem ſic quidem docemus agi Dei gratiâ, vt ſimul tamen agat: ſic tamen ipſum agere, vt penes Dei ſpiritum tota ſit, ac maneat actionis efficacia.* Eodem libro pag. 191. *Mentem hominis fatemur videre, ſed illuminatam: iudicium diſcernere & eligere, ſed Spiritus ſancti directione gubernatum: hominem ipſum & conari, & agere, & ad Dei obſequium applicare ſuas facultates, ſed pro gratiæ menſura, quam accepit.* lib. 2. Inſtit. cap. 5. num. 14. *Quis ita deſipit, vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet? Neque verò quicquam ſimile conſequitur ex noſtra doctrina. In naturales hominis facultates referimus, approbare, reſpuere, velle, nolle, eniti, reſiſtere.* Et poſt pauca. *Quâ ratione Auguſtinus, mihi dices, inquit, ergo agimur & non agimus, immo agis & ageris: & tunc bene agis, ſi à bono ageris.* Atque vt intelligas quantum abſit Caluinus ab ea opinione, quam illi affingunt Aduerſarij, vt ab eo diſcrepare

videantur: expende quæ dicit lib. 3. in Pigh. pag. 167. *Id dicit Augustinus, vt deliræ, & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui Deum in homine, sicut in lapide, hoc est, sine intrinseco, vt ita loquar, voluntatis eius motu operari fingunt.* Ex quibus Caluini locis descriptum est hoc Synodi Dordrechtanæ decretum art. 12. *Voluntas iam renouata non tantùm agitur & mouetur à Deo, sed à Deo acta agit & ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam acceptam credere & resipiscere rectè dicitur.*

Quare vulgò id concedunt Catholici affirmâsse Caluinum, voluntatem non passiuè tantùm, sed actiuè etiam se habere, vt notat Pennottus lib. 9. in Proœmio: *Caluinus etsi Lutheranam craßitiem vtcumque imminuere, & attenuare sit conatus, dum conceßit, voluntatem ad opera pietatis concurrere non solùm paßiuè, sed etiam actiuè; negauit tamen absolutè, libere aliquid operari.* Cui consonat Didacus Aluares lib. 1. de Auxiliis diuinæ Gratiæ disp. 3. num. 9. *Caluinus moderatus vtcumque errorem Lutheri, fatetur liberum nostrum arbitrium non se habere merè paßiuè, tanquam inanime quoddam: sed actiuè concurrere, & motu spontaneo ad suas operationes.*

Non est, quòd in hac responsione refellenda pluribus laborem, cùm ipsi nouæ opinionis primipilo tam debilis visa sit, vt eo capite, quo suum dogma à Caluiniano seiungere nititur, ne illius quidem meminerit. Et verò nemo vnquam nisi in summa rerum suarum desperatione illam vsurpauit. Tunc nimirum, cùm plaßigatis aliis responsionibus in eas angustias coniectum se vidit, ex quibus non nisi per naufragium exitus pateret.

PARAGRAPH. III.

Tertia responsio confutatur.

STIPITES, aut fungos nos esse arbitrantur noui Dogmatistæ, quibus tam facilè imponi posse putant.

Aiunt se multùm abesse ab Caluini sententiâ, quòd asserant virtutes & vitia esse in nostra potestate; item agere & non agere esse nostræ electionis: Caluinus verò vtrumque neget impudentissimè. Sed, quæso, paucis expende, quo sensu vtrumque Caluinus neget, quo sensu affirment Aduersarij: & intelliges, quàm immeritò se à Caluino segregent, cui suum dogma tot titulis debent. Libro 8. de gratia Christi, cap. 21.

Negat Caluinus virtutes & vitia esse in nostra potestate, quia nempe accipit hæc verba, vt sonant, atque vt in communi loquendi vsu intelliguntur: in quo qui dicitur actum aliquem habere in sua potestate, ita eius esse dominus intelligitur, vt eum perinde exercere pro arbitrio possit, atque omittere. *Censeo* (inquit lib. 2. Instit. c. 2. num. 7.) *cauendas eas voces, quæ absurdum aliquid sonant, præsertim vbi perniciosè erratur. Quotus autem, quæso, quisque est, qui dum aßignari homini liberum arbitrium audit, non statim concipit illum esse mentis suæ, & voluntatis dominum, qui flectere se in vtramuis partem à seipso poßit?* Hoc vnum Caluinus negat, nimirum inesse homini indifferentem ad vtrumlibet arbitrij facultatem, quâ positis omnibus ad agendum prærequisitis, hoc vel illud possit eligere. Vnum hoc ei in liberi, & potestatis vocibus displicet: cetera facilè concedit.

Hanc mentem suam clarè explicat lib. 2. Instit. cap. 2. num. 3. ita vt nullus sit tergiuersationi locus. Nam primò his verbis exponit, quid sit, quod vulgò dicitur, virtutes & vitia esse in nostra potestate. *Hoc tamen extra controuersiam ponunt, virtutes & vitia esse in nostra potestate. Nam si nostræ, inquiunt, electionis est, hoc vel illud agere: ergo & non agere. Rursum, si non agere; ergo & agere: liberâ autem electione agere videmur, quæ agimus, & ab eis abstinere quibus abstinemus; ergo si quid boni agimus, poßumus id omittere: si quid mali perpetramus, poßumus id quoque fugere.* Tum præcisè negat, nos hoc sensu habere liberam electionem, aut virtutes & vitia esse in nostra potestate.

Ecce negat Caluinus virtutes & vitia esse in nostra potestate, atque liberæ electionis: quia negat exerceri ea cum indifferenti potestate, quam aduersus eum Catholici defendebant. Nónne idem Aduersarij negant? ergo eodem, quo Caluinus, sensu negant virtutes & vitia esse in nostra potestate, & liberę electionis: vocísque tantùm inter eos discrimen est, cùm sententiâ germani sint. Ex quo etiam sequitur, eodem, quo illos, sensu, existimâsse Caluinum virtutes & vitia esse in nostra potestate, & liberæ electionis. Nam actus illos eatenus tantùm Noui Dogmatistæ volunt esse in nostra potestate; quatenus omnis actus voluntatis est in nostra potestate, quia fit cùm volumus, etiamsi necessariò velimus. At nónne apud Caluinum actus voluntatis oriuntur à voluntate? & actiuè quidem influente, vt modò vidimus: ergo in sensu Aduersariorum, sensit eos fieri, cùm volumus: ergo eodem, quo illi, sensu, voluit actus illos esse in nostra potestate. Vnde hæc illius vox lib. 3. in Pigh. pag. 167. *Egóne voluntaria esse bona opera vnquam negaui?* De peccatis verò cùm Pighius ex Augustino dixisset, neminem peccare nisi libere, subiicit Caluinus: *His subscribimus nos quoque, si libere pro sponte positum interpreteris, vt mens scriptoris fuit accipere.*

Hanc ergo *liberi* voculam si demas, ita cum Caluini placitis consentiunt nuperæ opinionis pronuntiata, vt ex eius libris descripta videantur. Nam sic loquitur lib. 2 in Pigh. p. 154. *Homini arbitrium concedimus, ídque spontaneum, vt, si quid mali facit, sibi ac voluntariæ suæ electioni imputare debeat: liberum autem negamus, quia propter ingenitam homini prauitatem, ad malum necessariò feratur.* Et in Antidoto Concilij Tridentini ad sess. 6. pag. 278: *Meminerimus ergo aliud esse voluntatem in homine; aliud liberam boni ac mali electionem: sublatâ enim post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quæ sub peccati tyrannide captiua vsque adeo tenetur, vt nonnisi ad malum feratur.* Ita Caluinus populariter, & communi

loquendi

loquendi vſu, id eſſe in noſtra poteſtate pronuntiat, quod æquè poſſumus ponere, ac non ponere; & hoc ſenſu virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate inficiatur. Item liberam electionem eam vocat, quâ aliquid ita eligimus, vt oppoſitum eligere poſſimus: ſicque homini liberam electionem adimit, quòd putet illum neceſſariò bonum eligere, dum gratiâ præuenitur; & neceſſariò peccare, dum eâdem deſtituitur. Nónne eadem dicunt Aduerſarij? Nónne hoc ſenſu, qui doctis pariter & indoctis communis eſt, liberam electionem negant? Quid ergo ſe ab Caluino multùm abeſſe vociferantur?

SECTIO III.

Noui Dogmatis fundamenta ex recentioribus Hæreticis petita ſunt.

QVATVOR ſunt, vt antè monui, nouæ opinionis fundamenta.

Primum ſumitur ex gratia medicinali, quæ agendi neceſſitatem inferre dicitur.

Secundum, ex concupiſcentia; quæ, ſi abſit gratia efficax, abſolutam peccandi neceſſitatem imponere fingitur.

Tertium, ex libertate Dei, Angelorum, ac Dæmonum.

Quartum, ex auctoritate Sanctorum Patrum, & præcipuè Auguſtini, Bernardi, Thomæ.

Quæ omnia non modò cum Hæreticorum opinione congruunt; ſed ex eorum libris infami latrocinio deſcripta ſunt.

Ecce negat Caluinus virtutes & vitia esse in nostra potestate, atque liberæ electionis: quia negat exerceri ea cum indifferenti potestate, quam aduersus eum Catholici defendebant. Nónne idem Aduersarij negant? ergo eodem, quo Caluinus, sensu negant virtutes & vitia esse in nostra potestate, & liberę electionis: vocísque tantùm inter eos discrimen est, cùm sententiâ germani sint. Ex quo etiam sequitur, eodem, quo illos, sensu, existimâsse Caluinum virtutes & vitia esse in nostra potestate, & liberæ electionis. Nam actus illos eatenus tantùm Noui Dogmatistæ volunt esse in nostra potestate; quatenus omnis actus voluntatis est in nostra potestate, quia fit cùm volumus, etiamsi necessariò velimus. At nónne apud Caluinum actus voluntatis oriuntur à voluntate? & actiuè quidem influente, vt modò vidimus: ergo in sensu Aduersariorum, sensit eos fieri, cùm volumus: ergo eodem, quo illi, sensu, voluit actus illos esse in nostra potestate. Vnde hæc illius vox lib. 3. in Pigh. pag. 167. *Egóne voluntaria esse bona opera vnquam negaui?* De peccatis verò cùm Pighius ex Augustino dixisset, neminem peccare nisi libere, subiicit Caluinus: *His subscribimus nos quoque, si libere pro sponte positum interpreteris, vt mens scriptoris fuit accipere.*

Hanc ergo *liberi* voculam si demas, ita cum Caluini placitis consentiunt nuperæ opinionis pronuntiata, vt ex eius libris descripta videantur. Nam sic loquitur lib. 2 in Pigh. p. 154. *Homini arbitrium concedimus, idque spontaneum, vt, si quid mali facit, sibi ac voluntariæ suæ electioni imputare debeat: liberum autem negamus, quia propter ingenitam homini prauitatem, ad malum necessariò feratur.* Et in Antidoto Concilij Tridentini ad sess. 6. pag. 278: *Meminerimus ergo aliud esse voluntatem in homine; aliud liberam boni ac mali electionem: sublatâ enim post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quæ sub peccati tyrannide captiua vsque adeo tenetur, vt nonnisi ad malum feratur.* Ita Caluinus populariter, & communi

loquendi

loquendi vsu, id esse in nostra potestate pronuntiat, quod æquè possumus ponere, ac non ponere; & hoc sensu virtutes & vitia in nostra esse potestate inficiatur. Item liberam electionem eam vocat, quâ aliquid ita eligimus, vt oppositum eligere possimus: sicque homini liberam electionem adimit, quòd putet illum necessariò bonum eligere, dum gratiâ præuenitur; & necessariò peccare, dum eâdem destituitur. Nónne eadem dicunt Aduersarij? Nónne hoc sensu, qui doctis pariter & indoctis communis est, liberam electionem negant? Quid ergo se ab Caluino multùm abesse vociferantur?

SECTIO III.

Noui Dogmatis fundamenta ex recentioribus Hæreticis petita sunt.

QVATVOR sunt, vt antè monui, nouæ opinionis fundamenta.

Primum sumitur ex gratia medicinali, quæ agendi necessitatem inferre dicitur.

Secundum, ex concupiscentia; quæ, si absit gratia efficax, absolutam peccandi necessitatem imponere fingitur.

Tertium, ex libertate Dei, Angelorum, ac Dæmonum.

Quartum, ex auctoritate Sanctorum Patrum, & præcipuè Augustini, Bernardi, Thomæ.

Quæ omnia non modò cum Hæreticorum opinione congruunt; sed ex eorum libris infami latrocinio descripta sunt.

PARAGRAPHVS I.

Primum fundamentum, quod eſt de gratia medicinali, ex recentioribus Hæreticis petitum eſt.

Toto paſſim opere, ac præſertim lib. 2. de grat. Chriſti, cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c.

SI quem ex nouæ opinionis fautoribus de illa diſputantem audiuiſti: mirum, ni tibi aures obtuderit famoſo illo diſcrimine ADIVTORII QVO, ab ADIVTORIO SINE QVO NON. Hoc eſt enim palmare noui Dogmatis argumentum, quod nobis ad faſtidium inculcant. Vnum hoc loquuntur, hallucinari recentes Theologos, quòd ADIVTORIVM QVO, cum ADIVTORIO SINE QVO NON, confundant: neſcire illos, quid ſit diſcriminis inter GRATIAM MEDICINALEM, & GRATIAM SANITATIS; atque adeo errare cum Pelagianis, & gratiam Chriſti ad nudam poſſibilitatem reuocare. Sibi verò gratulantur, quòd diſcrimen illud vtriuſque gratiæ ab S. Auguſt. luculenter explicatum, & nouis Theologis funditus ignotum, eruerint rurſus in lucem, atque ad profligandam Neo-Pelagianorum de libertatis indifferentia ſententiam, vſurparint. Nimirum ſic ſtatuunt: Adiutorium ſine quo non, ſeu gratiam naturæ integræ (hæc enim duo confundunt) ita agendi poſſibilitatem dare, vt voluntatem ad agendum, aut non agendum indifferentem relinquat: gratiam verò medicinalem, ſeu adiutorium quo, abſolutam agendi neceſſitatem inducere. Atque id ex S. Auguſt. euinci putant; maximè ex celebri illo loco lib. de cor. & grat. cap. 11. & 12. quem tam importunè nobis obtrudunt, vt illorum Coryphæus ſuo in opere ſeptuagies ſupra centies (numeraui ipſe) illum locum inculcârit. Habent & alium Auguſtini locum valde familiarem ex lib. de gratia Chriſti cap. 13. & 14. & ex lib. de prædeſt. Sanct. capite 8. vbi Auguſtinus explicans illud, *Omnis qui audiuit à Patre,*

venit ad me, innuere videtur omnem Christi gratiam effectum sortiri.

Mirari satis non possum, quâ fronte glorientur Aduersarij, se hoc argumentum, ab S. Augustini ferè temporibus quasi consepultum, reuocâsse in lucem. Nihil est apud recentiores Hæreticos tritum magis, atque peruagatum. Vnus Caluinus vicies (numerum iniui) illius inter vtramque gratiam discriminis meminit. Vicies decretorium illud lib de corrept. & grat. testimonium adhibet. Aliud verò libri de gratia Christi cap. 13. & 14. aut lib. de prædest. Sanct. c. 8. plus tricies repetit. Immo hoc vno fere argumento Tridentini decretum oppugnat, quo statuitur hominem præuenienti gratiæ *dissentiri posse, si velit.* Eadémque Tridentinis Patribus exprobrat, quæ noui Dogmatistæ nobis obiiciunt. Audi loquentem in Antidoto Concilij Tridentini ad sess. 6. editionis tertiæ, pag. 278. *In eo hallucinantur,* (de Tridentinis Patribus loquitur) *quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quòd nullum obseruant inter* REGENERATIONIS GRATIAM, QVÆ NVNC MISERIÆ NOSTRÆ SVBVENIT, ET PRIMAM, QVÆ ADÆ DATA FVERAT, *discrimen. Quod diligenter Augustinus exponit. Istam, inquit, gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus;* TALE QVIPPE ERAT ADIVTORIVM, QVOD DESERERET CVM VELLET, ET IN QVO PERMANERET, SI VELLET: NON QVO FIERET, VT VELLET. *Sed potentior est gratia in secundo Adam, quâ fit etiam, vt velimus.* Tum aliud argumentum subiungit nouis etiam Dogmatistis familiarissimum. *Dico*, inquit pag. 279. *apertè pugnare quod hîc pronuntiant Tridentini Patres, cum illa Christi sententia: Quisquis audiuit à Patre meo, venit ad me. Nam, vt prudenter animaduertit Augustinus, inde sequitur,* NVLLVM A DEO AVDIRE, ET DISCERE, QVIN SIMVL IN CHRISTVM CREDAT; MOTVMQVE SPIRITVS

SANCTI SIC ESSE EFFICACEM, VT FIDEM SEMPER GIGNAT. *Constituunt autem hoc in hominis optione, vt Dei inspirationi si velit, auscultet. Hæc nullo modo inter se conciliari possunt omnes, qui à Deo didicerint, Christo credere: & non aliter ratam esse Dei inspirationem, nisi homines ex seipsis assentiantur.* Fidem hîc Lectoris appello: Nónne aliquem ex recenti opinione differentem audire sibi videtur? Certè præcipua sunt illa argumenta, quæ tam frequenter nobis ingerunt.

Nec ea Caluinus semel, aut aduersùs Tridentinos tantùm Patres vsurpauit; iisdem rationibus Sorbonicos impugnat, qui itidem hominem gratiæ dissentiri posse affirmabant. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 10. de gratia sic loquitur: *Voluntatem mouet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum:* VT NOSTRÆ POSTEA SIT ELECTIONIS, MOTIONI AVT OBTEMPERARE, AVT REFRAGARI. TALEM FVISSE HOMINIS ADHVC STANTIS CONDITIONEM CONCEDIMVS, *vt potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cùm suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium; nisi Deus in nobis & velit, & possit: quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur? Nec verò per Ezechielem promittit se daturum electis spiritum nouum, hoc tantùm fine,* VT IN PRÆCEPTIS SVIS AMBVLARE POSSINT; SED VT REIPSA AMBVLENT. *Neque secùs accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me.* Longiora fortasse sunt ista, sed in rem nostram tam bellè conueniunt, vt à me omitti non possint. num. 13. ita prosequitur: *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur, in quo patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est,* &c. *Libro de correptione & gratia, ad Valentinum, fusiùs exequitur, quod breuiter, eius tamen verbis referam.* GRATIAM PERSISTENDI IN BONO SI VELLET, ADÆ

FVISSE DATAM; NOBIS DARI, VT VELIMVS, *ac voluntate concupiscentiam superemus: habuisse ergo illum posse si vellet; sed non velle vt posset: nobis & velle dari & posse. Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt gratia diuina indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, ideóque quantumuis infirma, non deficeret. Tractat deinde copiosiùs, quomodo corda nostra Dei afficientis necessariò sequantur motum. Habemus nunc Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuiusque electione aut recipiatur, aut respuatur.*

Cùm hanc Caluini mentem Albertus Pigh. lib. 5. de lib. arbit. confutâsset, non tulit flagitiosus Hæresiarcha, sed & conuiciis Pighium onerauit lib. 5. sub finem pag. 203. & 204. & pluribus aliis Augustini testimoniis suum illud gratiæ medicinalis à gratia naturæ integræ discrimen stabilire conatus est. *Sequitur*, inquit pag. 204. *vno contextu apud Augustinum altera distinctio, quæ prorsus ad eandem rem explicandam facit: aliud est, inquit,* ADIVTORIVM, SINE QVO ALIQVID NON FIT: ET ALIVD EST ADIVTORIVM, QVO ALIQVID FIT. *Primò itaque datum est homini adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint; verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Augustinus* NON TANTVM POSSE NOBIS DARI, SED ETIAM VELLE, *testatur, Deíque gratiam non in hoc tantùm esse efficacem in nobis, vt ipsa adiuti fidem* POSSIMVS CONSEQVI, SI LIBEAT, *& consequuti in ea stare: sed omnino vt fideles simus, & in fide perseueremus. Si quis oblatam gratiam respuit, vbi illa, sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis & inseparabilis gratiæ actio? quæ non hominibus relinquit suam voluntatem, vt maneant in gratia, si velint, sed etiam operatur vt velint?*

SANCTI SIC ESSE EFFICACEM, VT FIDEM SEMPER GIGNAT. *Constituunt autem hoc in hominis optione, vt Dei inspirationi si velit, auscultet. Hæc nullo modo inter se conciliari possunt omnes, qui à Deo didicerint, Christo credere: & non aliter ratam esse Dei inspirationem, nisi homines ex seipsis assentiantur.* Fidem hîc Lectoris appello: Nónne aliquem ex recenti opinione differentem audire sibi videtur? Certè præcipua sunt illa argumenta, quæ tam frequenter nobis ingerunt.

Nec ea Caluinus semel, aut aduersùs Tridentinos tantùm Patres vsurpauit; iisdem rationibus Sorbonicos impugnat, qui itidem hominem gratiæ dissentiri posse affirmabant. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 10. de gratia sic loquitur: *Voluntatem mouet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum:* VT NOSTRÆ POSTEA SIT ELECTIONIS, MOTIONI AVT OBTEMPERARE, AVT REFRAGARI. TALEM FVISSE HOMINIS ADHVC STANTIS CONDITIONEM CONCEDIMVS, *vt potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cùm suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium; nisi Deus in nobis & velit, & poßit: quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur? Nec verò per Ezechielem promittit se daturum electis spiritum nouum, hoc tantùm fine,* VT IN PRÆCEPTIS SVIS AMBVLARE POSSINT; SED VT REIPSÀ AMBVLENT. *Neque secùs accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me.* Longiora fortasse sunt ista, sed in rem nostram tam bellè conueniunt, vt à me omitti non possint. num. 13. ita prosequitur: *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur, in quo patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est,* &c. *Libro de correptione & gratia, ad Valentinum, fusiùs exequitur, quod breuiter, eius tamen verbis referam.* GRATIAM PERSISTENDI IN BONO SI VELLET, ADÆ

FVISSE DATAM; NOBIS DARI, VT VELIMVS, *ac voluntate concupiscentiam superemus: habuisse ergo illum posse si vellet; sed non velle vt posset: nobis & velle dari & posse. Subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt gratia diuina indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, ideóque quantumuis infirma, non deficeret. Tractat deinde copiosiùs, quomodo corda nostra Dei afficientis necessariò sequantur motum. Habemus nunc Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuiusque electione aut recipiatur, aut respuatur.*

Cùm hanc Caluini mentem Albertus Pigh. lib. 5. de lib. arbit. confutâsset, non tulit flagitiosus Hæresiarcha, sed & conuiciis Pighium onerauit lib. 5. sub finem pag. 203. & 204. & pluribus aliis Augustini testimoniis suum illud gratiæ medicinalis à gratia naturæ integræ discrimen stabilire conatus est. *Sequitur*, inquit pag. 204. *vno contextu apud Augustinum altera distinctio, quæ prorsus ad eandem rem explicandam facit: aliud est, inquit,* ADIVTORIVM, SINE QVO ALIQVID NON FIT: ET ALIVD EST ADIVTORIVM, QVO ALIQVID FIT. *Primò itaque datum est homini adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint; verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Augustinus* NON TANTVM POSSE NOBIS DARI, SED ETIAM VELLE, *testatur, Deique gratiam non in hoc tantùm esse efficacem in nobis, vt ipsa adiuti fidem* POSSIMVS CONSEQVI, SI LIBEAT, *& consequuti in ea stare: sed omnino vt fideles simus, & in fide perseueremus. Si quis oblatam gratiam respuit, vbi illa, sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis & inseparabilis gratiæ actio? quæ non hominibus relinquit suam voluntatem, vt maneant in gratia, si velint, sed etiam operatur vt velint?*

quæ non tantùm fidei consequendæ facultatem confert, sed fideles etiam facit; quæ non modò perseuerandi gratiam facit, sed tantâ illos firmitate instruit, vt non nisi perseuerantes sint? Si Caluinus esset nouis Dogmatistis ætate posterior, quis non suspicaretur, hæc illum ex eorum libris descripsisse?

Vix tempero, quin & alios Caluini locos adscribam, quibus suum illud de gratia medicinali argumentum venditat, & fusissimè exponit. Sed ne molestus sim, satis erit præcipuos indicare. lib. de æterna Dei prædestinatione pag. 696. pluribus illud expendit, atque ita concludit: *Non tale modò illis perseuerantiæ donum confertur,* QVO POSSINT, SI VELINT: SED QVO NONNISI PERSEVERANTES SINT, *quod optimâ ratione confirmat* Augustinus. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus operaretur vt vellent: inter tot, & tantas tentationes voluntas ipsa infirmitate suâ succumberet.* lib. 3. Instit. cap. 24. num. 1. vbi eadem copiosè prosequutus est, ita cum Augustino colligit. *Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde respuitur.* libro 3. de libero arbitrio in Pigh. pag 166. gratiam, quæ agendi necessitatem non imponit, illam ipsam esse affirmat possibilitatis gratiam, quam admittebant Pelagiani, additque ex Augustino, quod perpetuò nobis occinunt Aduersarij: *Quando docet Deus non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam* VOLVNTAS ET OPERATIO, NON SOLA VOLENDI ET OPERANDI POSSIBILITAS ADIVVATVR. *Si enim solum posse nostrum iuuaretur per gratiam, ita diceret Dominus: omnis, qui audiuit, & didicit, venire potest.* Eodem libro 3. contra Pigh. pag 171. & 172. vberrimè, si vnquam aliàs, illud vtriusque gratiæ discrimen explicat. Postrema sunt hæc eius verba:

NOS NIHIL, QVAM AVGVSTINVM SEQVIMVR, qui *priùs dixerat, quod non retuli: post primi hominis lapsum, nonnisi ad gratiam suam Deum voluisse pertinere, vt homo ad eum accedat.* libro 5. in eundem Pigh. pag. 183. & 184. sic incipit. *Nego gratiam sic nobis offerri*, VT NOSTRÆ POSTEA SIT OPTIONIS, VEL OBTEMPERARE, VEL REFRAGARI; *nego, tantùm in hoc dari, vt imbecillitatem nostram subsidio suo adiuuet. Neque enim efficere Deum in nobis testatur Paulus*, VT POSSIMVS BENE VELLE, SED HOC QVOQVE IPSVM, VT VELIMVS. *Proinde efficaciter formari voluntatem nostram constituo, vt Spiritus sancti ductum sequatur necessariò: non autem incitari duntaxat vt valeat, si velit.* Quod fusissimè probat ex lib. de corrept. & grat. Glorientur iam Aduersarij se hoc vtriusque gratiæ discrimen è tenebris eruisse.

Fatetur Caluinus ipse, se illud è Lutheranis accepisse. Nam in Antidoto Decreti Sorbonici ad articulum secundum, quo sacra Facultas definiuerat inesse homini lapso indifferentem ad vtrumlibet arbitrij facultatem, ita Sorbonicos differentes inducit; *Nam quod Lutherani dicunt, ipsam cooperationem esse ex dono Dei, quia voluntas sit reformata vt consentiat Deo, & adducunt pro se Scripturam, & formalia verba Augustini, qui dicit in principio libri de bono perseuerantiæ, quòd Deus dat talem gratiam suis, vt sibi perseueranter adhæreant. Item in libro de correptione & gratia, vbi dicit, dari nobis gratiam, quâ* NON TANTVM POSSIMVS, SED ETIAM VELIMVS, *ídque efficaciter. Item gratiâ Dei indeclinabiliter & inseparabiliter agi fideles. Responsio est facilis, quòd determinatio Facultatis est supra opinionem vnius Doctoris*: seu vt habet paulo pòst; *Solutio est, Augustinum nesciuisse, quid Magistri nostri super hoc resolutiuè dicturi essent.* Caluino procaciores sunt Aduersarij, qui ex eo argumento sibi laudem quærunt, quod ipse ab Lutheranis fluxisse profitetur.

Possem hîc multos Hæreticorum locos adiungere, in quibus eodem de gratia medicinali argumento, iis-

dem Augustini testimoniis abutuntur: sed satis sit vnum ex Theodoro Beza subiicere, qui in libro aduersus Castellionem edit. 2. Geneu. pag. 456. & 457. acerrimè contendit illud Ioannis 1. ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, malè ab vulgato interprete verti, *dedit illis potestatem filios Dei fieri:* sed ita esse reddendum, *dedit eis dignitatem filios Dei fieri.* quòd illud potestatis nomen Pelagianis faueat, qui gratiam in possibilitate reponebāt. Quo loco postquam ex S. Augustino ostendere conatus est, gratiam naturæ lapsæ à gratia naturæ integræ eo differre, quòd hæc voluntatem ad agendum indifferentem relinqueret; illa verò agendi necessitatem afferat, subdit: *Meritò quidem, quia non dixit Christus; omnis qui audiuit à Patre, & didicit, potest venire ad me, sed omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Itaque, vt semel absoluam, nimium ieiunum est* POTESTATIS *nomen hoc in loco, nec meliùs aliunde prodere tuum* PELAGIANISMVM *potuisti.* Bezæ consentit Petrus Martyr in Locis Communibus, titulo de libero arbitrio, non longè ab initio. Et Paulus Ferrius Minister Metensis, in Scholastico orthodoxo.

Atque hinc est, quòd Hæretici illius controuersiæ, quæ eos inter & Catholicos intercedit, summam in eo ponant, *an possit homo post lapsum gratiæ dissentire.* Scharpium audi libro de libero arbitrio cap. 3. *Status tertiæ controuersiæ inter nos & Pontificios est. Sitne homo post lapsum verè liberi arbitrij in iis rebus quæ pertinent ad salutem, & quamuis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam præuenientem excitatus, & à Deo adiutus ita valeat operari, vt possit etiam non operari. Affirmatiuam partem tuetur Bellar. Concilium Trid. sess. 6. can. &c. Nos verò dicimus in homine post lapsum, &c. Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere vt hominis voluntas Deum conuersionem hominis volentem & operantem non sequi non possit: licèt non coactè, sed sponte sequatur.* Quod etiam obseruauit acerrimus fidei Catholicæ vindex Thomas Stapletonus,

nus. Nam l. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 1. hunc controuersiæ Catholicos inter & Hæreticos statum ponit, *An voluntas humana præuenta à gratia, excitata, & adiuta libere possit resistere.* Quamobrem hunc capite 8. titulum præfigit. *Quòd voluntas humana præuenientem gratiam libere potest repudiare, contra Protestantes ostenditur.*

Primarium verò illud hæreticorum argumentum ex vtriusque gratię discrimine petitum proponunt, aç soluunt Catholici Theologi. Malderus in primam secundæ, de diuisione gratiæ, dub. 13. vbi quærit, vtrum gratia agendi necessitatem imponat, ita illud sibi obiicit. *Opponit primò Caluinus, doctrinam Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. vbi docet gratiam persistendi in bono, Adæ fuisse datam, si vellet; sed non velle quod posset: nobis & velle dari, & posse.* Franciscus Horantius libro 1. Locorum Theologicorum, capitibus 55. & 56. & Pennot. l. 9. c. 13.

Hinc collige quid velint Aduersarij, cùm hoc vtriusque gratiæ discrimen recentioribus Theologis ignotum esse iactant. nimirum Catholicis ignotum est: neque enim hactenus eorum aliquis illud vsurpârat; hæreticis verò, notum est admodum, atque familiare.

PARAGRAPHVS II.

Petitum est idem primum fundamentum ex Caluinistarum Synodo Dordrechtana.

PRÆVARICARER in præcipua causæ parte, si decreta Synodi Dordrechtanæ prætermitterem, in qua Caluinianæ Hæresis Proceres ex Belgio, Germania, Anglia, Galliáque collecti, id fere vnum egerunt, vt REGENERATIONIS GRATIAM IRRESISTIBILEM ESSE definirent. Statuebat enim Arminius aliíque, contra quos hæc est coacta natio, anno 1618. gratiæ præuenienti resisti posse. atque adeo (sic eorum sententiam Sy-

nodus refert multis in locis, ac præcipuè pag. 683.) *positis omnibus gratiæ motionibus, quibus Deus ad efficiendam conuersionem vtitur: voluntatem hominis relinqui in æquilibrio, velítne credere, vel non credere; conuertere se ad Deum, vel non conuertere*. Hanc sententiam, quam Malderus in Anti-Synodicis, & Veronius in suis Obseruationibus, aiunt esse Catholicam, quámque nemo non videt consentire ex omni parte cum ea, quam noui Dogmatistæ, vt erroneam & hæreticam insectantur; hanc, inquam, sententiam Caluiniana Synodus, vt ab Caluini, Lutheríque mente alienissimam, VT PELAGIANAM, VT PAPISTICAM, VT EX CONCILIO TRIDENTINO REPETITAM reiicit, proscribit, execratur. Lectorem rogo, vt huius Conuenticuli acta, si fortè habet ad manum, vel cursim legat: mentiar, nisi hoc ipse iudicet, nihil ab nouis Dogmatistis dici, quod in illa Synodo tanquam Caluiniani dogmatis effatum, sancitum non sit, atque definitum. Neque verò multum temporis teret, antequam primarium illud controuersiæ caput occurrat. Habet enim Synodus illa hoc quoque cum nouo dogmate commune, vt *irresistibilis gratiæ* vbique per fas & nefas mentionem faciat, pag. 735. editionis Hannouiensis anni 1620. sic pronuntiant Embdani Ministri: *Contra hanc sententiam nos affirmamus, quòd Deus voluntatem hominis gratia sua mouet*, NON VT PONTIFICII TRADVNT, VT NOSTRÆ POSTEA SIT ELECTIONIS MOTIONI OBTEMPERARE, AVT REFRAGARI; *sed vt illam efficaciter etiam ad obsequendum flectat*. Eandem opinionem ab Concilio Tridentino depromptam esse, aiunt pag. 730. BELLARMINVS, CVM CONCILIO TRIDENTINO, ET PELAGIO, *intelligit per gratiam præuenientem, vocationem, cuius efficacia ab hominis ingenio pendet*. Quam, vt erroneam, se s. 136. reiiciunt p. 365. *Reiicit Synodus errores eorum, qui docent, positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad hominem conuertendum vtitur, hominem tamen Deo,*

& spiritui regenerationem intendenti, & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, & actu ipso sæpe resistere, vt sui regenerationem prorsus impediat, atque adeo in ipsius manere potestate, vt regeneretur, vel non regeneretur. Rationes verò, quibus suum hoc decretum firmat, colligit sess. 99. pag. 314. & 315. quæ omnes eædem sunt, cum iis, quas Aduersarij suo dogmati comprobando adhibent. Præcipuas perstringam, ex eodem loco. *Irresistibilem hanc Dei motionem esse, firmissimè probant Orthodoxi,* &c. (sic Caluinistas vocant) quia *tractus Patris, sine quo nemo venit ad Christum, Ioan. 6. irresistibilitatem gratiæ supponit.* quia *si gratia regenerationis esset resistibilis, foret ea communis multis, non renatis. At scriptura eam propriam filiorum Dei facit: quia positâ resistibilitate gratiæ, præcipuum opus nostræ saluti necessarium, ipsum nempe credere, & resipiscere,* IN HOMINIS ARBITRIO TANQVAM IN PROPRIA CAVSA PONERETVR: *discriminis quoque ratio cur ex duobus non renatis, audito Euangelio, vnus credat, alter non credat,* EX HOMINE ESSET, QVÒD VNVS GRATIÆ NON RESISTERE, ALTER RESISTERE VOLVIT, *contra illud, quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* Agnoscis, opinor, inuicta illa Aduersariorum argumenta, quibus resistibilem gratiam oppugnant: audi & quæ Augustini testimonia proferat Synodus, vt intelligas nihil eos de suo promere. Pergit pag. 316. *Addatur & Augustini ratio de corrept. & grat. cap. 14. qui habet humanorum cordium, quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem: &, de ipsis hominum voluntatibus quod vult, facit, &, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Et de gratia Christi cap. 24. Quique internâ, atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate, operatur in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Postremò, ex his omnibus concludit pag. 318. *Arminium hac gratiæ resistibilis assertione doctrinam gratiæ cum Pelagio periculosè deprauare.*

Hinc patet gratificari nuperos Theologos Caluiniano dogmati; nec abs re esse, quòd Bataui glorientur, recipi suum dogma à Pontificiis, & posthabitâ Tridentini Concilij auctoritate, Dordrechtanæ Synodi decreta vigere apud nos, & florere. Audiui ipse Caluinistam insignem, qui opinionis nouæ Antistitis opera sic inscribenda diceret: Commentarii qvibvs Dordrechtanæ Synodi sententia illvstratvr, confirmatvr, probatvr.

Paragraphvs III.

Secundum fundamentum petitum est ex recentioribus Hæreticis.

Libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 22. Et libro 3. de gratia Christi, cap. 13.

Altervm nouæ opinionis fundamentum est; hominem, cùm peccat, necessariò peccare, quia nec per se à peccato abstinere potest, nec adest gratia, quâ illud euitet.

Quid aliud pugnat Lutherus toto illo percelebri libello, quem ideo de servo arbitrio inscripsit, quòd in eo euincere conetur, hominis voluntatem amissâ funditus libertate, concupiscentiæ tyrannidi ita mancipari, vt peccandi necessitate obstringatur? quem de servo arbitrio librum tanti faciebat Lutherus, vt illo suarum cum Ecclesia Romana controuersiarum caput contineri glorietur: sic enim ad Erasmum qui Diatriben de lib. arbit. aduersus ipsum ediderat, scribit sub finem operis fol. 525. *In hoc te vehementer laudo, ac prædico, quòd solus præ omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est,* svmmam cavsæ: *nec me fatigâris alienis illis causis, de Papatu, Purgatorio, & Indulgentiis, ac similibus nugis potiùs, quàm causis; in quibus me hactenus omnes fere venati sunt frustra. Vnus tu, & solus* cardinem rervm *vidisti, & ipsum iugulum petiisti.* Totus autem hic liber, vt ex ipso titulo satis con-

ſtat, in eo conſumitur, vt oſtendat, hominem, ſi abſit gratia efficax, ineluctabili peccandi neceſſitate conſtringi. Hinc eſt, quòd ab ipſo ingreſſu nefarium hoc dogma, quaſi diſputationis argumentum proponit, *quicquid fit à nobis, ſiue boni, ſiue mali, merâ neceſſitate fit.* Hæc eſt horrenda peſtilénſque doctrina, quæ tantum inuidiæ Lutheranis conflauit. Et hæc Catholicis obtruditur, non artificio quodam diſſimulata, ſed cruda, eodémque cultu, quo Lutheranorum in ſcriptis legitur!

Zanchium audi, & nouæ opinionis fontem recognoſce. lib. 1. Tract. Theol. cap. 6. Theſ. 1. hæc habet pag. 82. *Hac obſeruatione; & his exemplis perſpicua fit noſtra theſis, nempe, licèt homo poſt lapſum factus ſit ſeruus peccati, eóque neceſſariò peccet, nec poſſit non peccare, non ideo tamen omnem libertatem amiſiſſe, cùm eius voluntas non amiſerit eam libertatem, quæ* LIBERTAS A COACTIONE *dicitur.* Quod cùm ex Auguſtino efficere conatus eſt, ita colligit. *Hinc itaque apparet,* NATVRALEM, ET PERPETVAM LIBERTATEM VOLVNTATIS ESSE, NON LIBERTATEM A NECESSITATE, SED LIBERTATEM A COACTIONE. *neceſſariò enim voluntas peccat, dum eſt ſerua peccati, coacta tamen non peccat, quia non inuita, ſed volens, ſponte, & vltro peccat: peccat enim non violentâ coactione, ſed propenſiſſimâ animi affectione; non ab extrinſeco principio coacta, ſed à propriæ libidinis motu, & naturæ prauitate neceſſariò acta.*

Hoc ipſum Caluinus, atque omnis Caluiniſtarum natio contendit, cùm nos ait generali quâdam peccandi neceſſitate conſtringi. Quod Caluinus libro 2. Inſtit. cap. 2. num. 8. iiſdem rationibus efficit, quas in eam rem adhibent Aduerſarij. Prima eſt, ex ſeruitute arbitrij. Secunda, ex cupiditatum tyrannide. Tertia, ex gratia liberatrice. Atque has ſingulas rationes iiſdem etiam Auguſtini teſtimoniis illuſtrat. capite verò 3. illud ipſum tractat pluribus, & præcipuè num. 5. *Porro,*

inquit, *quòd libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum, vel trahi, vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quippiam, nec à sanctorum vsu aliena est.* HANC NECESSITATEM CVM VBIQVE PRÆDICET AVGVSTINVS, *dum etiam inuidiosè Calestij cauillo vrgeretur, ne tum quidem asserere dubitauit in hæc verba: per libertatem factum est, vt esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem. ac quoties incidit eius rei mentio, non dubitat in hunc modum loqui de necessaria peccati seruitute.* Nota Caluinum eodem Augustini loco niti, quo ad fastidium vtuntur Aduersarij. Pergit Caluinus, sed iis verbis, quæ nemo nouo dogmate vel leuiter imbutus ab eius auctoribus dici non putet: *Hac igitur distinctionis summa obseruetur; hominem, vt vitiatus est ex lapsu,* VOLENTEM QVIDEM PECCARE, NON INVITVM, NEC COACTVM; *affectione animi propensissimâ, non violentâ coactione; propria libidinis motu, non extrariâ coactione: quâ tamen ex natura prauitate non possit nisi ad malum moueri, & agi. quod si verum est, peccandi certè necessitati subiacere non obscurè exprimitur.* Cui rei confirmandæ alium subiicit Bernardi locum Aduersariis etiam perfamiliarem: *Augustino subscribens Bernardus ita scribit; solus homo inter animalia liber; & tamen interueniente peccato patitur quandam vim & ipse: sed à voluntate, non à natura, vt ne sic quidem ingenita libertate priuetur; quod enim voluntarium, etiam liberum. Ita nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit,* &c.

Non est, quòd in coaceruandis Hæreticorum testimoniis diutiùs immorer: cùm nemo sit, qui nesciat, hanc esse constantem eorum doctrinam. si quis tamen accuratiùs intelligere velit quid sentiant hac in parte, & quàm bene cum recenti opinione conueniant, Chamierum legat tom.3. lib.3. vbi fusè explicat, quomodo hominis voluntas peccandi necessitati addicatur, &

Petrum Martyrem tomo 2. Locorum Communium, titulo de lib. arbit. ex quo breue hoc testimonium in specimen excerpo. *Augustinus hanc peccandi necessitatem agnouit in libro de natura & gratia cap. 66. vbi scripsit ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, quandam esse peccandi necessitatem.* Illud ipsum quàm sæpe nobis ingerunt Aduersarij?

PARAGRAPHVS IV.

Tertium fundamentum petitum est ex recentioribus Hæreticis.

ANTECEDENTEM & absolutam necessitatem cum libertate conciliari, inuicto, vt gloriantur, argumento probant Aduersarij. *Deus,* inquiunt, *libere amat seipsum libertate propriè dictâ, libere Spiritum sanctum producit: licèt vtrumque summa necessitate faciat. Beati item, ac Dæmones, liberi sunt in eo, quod necessariò agunt.* Hic alter noui dogmatis Achilles, quem antequam iusto prælio conficiam, Aduersarios moneo, vt ne plus illi auctoritatis ac fidei tribuant, quàm periti duces concedere transfugis solent. fluxit enim ab hæreticis hoc argumentum, apud quos diu, multúmque habitum est in pretio, nec nisi recèns Catholicorum in scholas irrepsit. Libro 6. de grat. Christi. cap. 7. 8. 10. 11.

Wicleffus eo vtitur ad libertatem cum necessitate componendam. Testis est Valdensis qui lib. 1. Doctrin. fidei cap. 22. hæc habet: *Cùm autem quæritur quomodo est voluntas diuina, vel creata, libera, si absolutè necessitetur hoc facere? quantum ad diuinam voluntatem respondet Vvicleff. cap. 28. 3. Trial.* QVÒD DEVS NON ILLIBERTATVR QVICQVAM FACERE, LICET ABSOLVTE' NECESSARIÒ ILLVD FIAT. SICVT NON ILLIBERTATVR PRODVCERE VERBVM, VEL SPIRITVM SANCTVM, LICET ABSOLVTE' NECESSARIÒ ILLVD AGAT. & cap. 25. hæc verba Wicleffi refert: *Est libertas in An-*

gelis confirmatis, qui tamen ad hoc agendum, quod agunt, summâ necessitate trahuntur.

Lutherus, qui ex Wicleffi scriptis suam de libertate opinionem hauserat, indidem illius confirmandæ rationem sumpsit. Vnde illud Erasmi apud Lutherum lib. de seruo arbitrio pag. 499. *Iam verò quàm pulchre Lutherus libertatem cum necessitate conseruat? dicens,* NON OMNIS NECESSITAS EXCLVDIT LIBERAM VOLVNTATEM, *quemadmodum Deus Pater gignit necessariò Filium, & tamen volens, ac libere gignit, quia non coactus.*

Informatam hanc ab Wicleffo Lutheróque rationem meliori in lumine collocarunt posteriores Hæretici. Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. num. 5. *Porro,* inquit, *quòd libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi, vel duci: mirum si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quippiam, nec à sanctorum vsu aliena est. offendit autem eos, qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt,* &c. *At si quis eos interroget, an non Deus necessariò bonus sit? an non Diabolus est necessariò malus? quid respondeant? ergo si* LIBERAM DEI VOLVNTATEM IN AGENDO, NON IMPEDIT, QVÒD NECESSE EST ILLVM BENE AGERE: *si* DIABOLVS, QVI NON NISI MALÈ AGERE POTEST, LIBERA TAMEN VOLVNTATE PECCAT: *quis hominem ideo minùs libere peccare dicet, quòd sit peccandi necessitati obnoxius?* Eadem repetit cap. 5. num. 1. & multò copiosiùs lib. 4. contra Pigh. pag. 175. his verbis. *Quoniam autem eius distinctionis sæpius meminimus, quam nos inter coactionem, & necessitatem statuimus; vnde pendet maiori ex parte hæc quæstio, eámque nonnisi obiter attigimus, paulò diligentiùs nunc excutienda nobis est.* NEGANT ERGO, QVI LIBERVM ARBITRIVM CONTRA DEI GRATIAM TVENTVR, PECCATVM, AVT VIRTVTEM ESSE, VBI EST NECESSITAS. *Respondemus, Deum necessariò bonum esse, nihilo tamen minorem ex bonitate laudem consequi,*

quia

quia non nisi bonus esse possit. Rursus Diabolum necessariò malum esse, nihilo tamen minus vitiosam esse eius malitiam. Quod tam fusè Caluinus, in pauca colligit Petrus Du Moulin: *Necessitas peccandi non repugnat libertati voluntatis: testes dæmones, qui sunt naturaliter, & necessariò mali, quique nihilominus peccant liberrimè & sine coactione. Ita Deus necessariò bonus, summè liber est.*

La necessité de pecher ne repugne point à la liberté de volonté, tesmoins les Diables, qui sont naturellement, & necessairement meschans, & neantmoins pechent fort librement, & sans côtrainte: ainsi Dieu necessairement bon, est souuerainement libre. Du Moulin Bouclier de la Foy, article 9.

Disertissimè omnium Hieron. Zanchius tomo Tract. Theol. lib. 1. c. 6. thesi 1. p. 84. *Non pugnant*, inquit, *inter se, libere agere, & tamen necessariò agere. An non Deus necessariò bonus, iustus, & clemens est? &* NVNQVID PROPTEREA NON EST DEVS, VEREQVE LIBERO PRÆDITVS ARBITRIO, *quia non potest velle non esse Deus? An non etiam Angeli in cælo, & animæ Beatorum necessariò volunt, quæ volunt, nempe iusta tantùm, & voluntati Dei consentanea? Num ideo dixeris propter hanc necessitatem, illos non esse libero arbitrio præditos? Contrà: an non etiam Diaboli talis sunt iam naturæ, vt necessariò semper peccent, neque à peccato desistere possint? Num igitur dixerimus, eos non libere peccare, eóque peccata verti illis vitio non posse? Nihil minùs. Ergo quòd etiam in terris homines ita sint facti serui peccati, vt non possint non peccare: & contrà, qui natus est ex Deo nec peccet, nec peccare possit:* INDE NON TOLLITVR VEL ILLIS, VEL ISTIS, NATIVA VOLVNTATIS LIBERTAS, QVÆ EST LIBERTAS A COACTIONE.

Sequuntur magno numero ex prædicantium natione non ignobiles Magistelli. Zacharias Vrsinus qu. 1. de libero arbitrio. *Necessitatem nequaquam cum libertate voluntatis pugnare facilè ostendi potest. Quia Deus etiamsi naturâ, hoc est summa & absoluta necessitate bonus est, tamen non coactè, sed liberrima voluntate.* Witakerus l. 5. aduersus Duræum pag. 135. *Et Deus bene, & dæmones necessariò agunt malè: in quo voluntati liberæ non opponi necessitatem vides.* Ioannes Scharpius l. 2. de libero arbitrio cap. 2. pag. 187. *Liberum potest cum necessario, at non cum coacto subsistere. Deus enim & Angeli libere bene*

agunt & necessariò, non verò coactè.

Longum esset, ac molestum, quæ ab Hæreticis in eam rem dicuntur, sigillatim persequi. At illustrius est Chamieri testimonium, quàm vt à me omitti possit. Hoc ipsum argumentum Catholicis sæpius impingit, tom.3. lib. 2. fusissimè verò illud tractat cap. 4. iámque ab initio vim eius omnem ita colligit. *Arbitrium Dei, Angelorum, Diaboli, hominum glorificatorum, & damnatorum, est liberum; at eorundem arbitrium non est liberum à necessitate internâ: ergo non semper arbitrium est liberum à necessitate interna.* Maiorem probat num. 3. 4. 5. 6. Minorem verò reliquo capite, vbi plurima Augustini, Bernardíque testimonia ad id euincendum congerit.

PARAGRAPHVS V.

Quartum fundamentum petitum est ex recentioribus Hæreticis.

EST illud quoque nouæ opinioni solenne, vt in S. Augustini auctoritate latebram quærat. Vnum Augustinum loquitur, vnum inclamat, vnius arbitrio controuersias omnes disceptari cupit. Quis hoc magnopere non probet? quis non amplectatur? Certè sub tanti viri auctoritate periculosum nobis errorem obtrudi vix suspicarer, nisi recens esset Hæreticorum memoria, qui hac arte suum de libertate dogma sparserunt in vulgus. Caluinum lege de arbitrio tractantem; vix occurret pagina, in qua decies ad Augustinum non prouocet. Reliquos Patres, quod & noui Dogmatistæ faciunt, magnam partem abdicat: Græcos Pelagianismi criminatur: Latinos fere omnes eiurat: vnum sibi Augustinum arrogat, vnius Augustini auctoritate nititur. Hinc est, quòd gloriari Caluinistæ solent, Patriarchæ sui libros tam crebris atque frequentibus Augustini sententiis esse conspersos, vt sæpius in eis Augustinus, quàm Caluinus ipse loquatur.

At placet illustria hac in parte Aduersariorum latrocinia sigillatim exponere, vt omnes intelligant, quàm accuratè illi, ac diligenter Augustinum euoluerint. Nullum ex Augustino testimonium nobis obiiciunt, quod Caluinus Concilio Tridentino, & Sorbonicis non opposuerit; nullam suæ opinioni confirmandæ ex eodem Augustino sententiam adhibent, quam in eundem finem Hæretici non vsurparint. Vnde suspicari quilibet potest, eos ingentem illam Augustini testimoniorum molem, quâ nos obruere meditantur, non ex Augustino, in quo sparsa sunt illa: sed ex Caluino aliísque Hæreticis, in quibus collecta leguntur, desumpsisse. Quod ex iis, quæ sequuntur, liquidò constabit.

Primò; gloriatur nouæ opinionis instaurator se multum temporis in Augustino triuisse: sibíque perfectam eius sententiæ intelligentiam gratulatur. Qua in re consentit cum Caluino, qui libro 5. in Pigh. pag. 199. ita loquitur: *Vtinam tanta & attentione, & diligentia versatus in scripturis Pighius foret, támque familiariter notum haberet earum sensum: quàm &* DILIGENTER LEGISSE ME AVGVSTINVM, ET FAMILIARITER COGNITAM HABERE EIVS MENTEM, IACTARE MIHI LICEAT. *Verùm id ex re ipsa æstimari volo.* Toto passim opere, ac præsertim in libro Procœmiali cap. 10.

Accedit, quòd nouæ opinionis Coryphæus nihil fere profert, quod se innumeris Augustini testimoniis effecturum non polliceatur. Thrasonicum hunc spiritum hausit ex Caluino, qui se vbique ita venditat, ac præcipuè in libris aduersus Pighium, vnde illa vanissimi hominis iactatiuncula libro 6. pag. 192. *Supra ducentos locos ex* AVGVSTINO *adducere mihi facile sit, vbi istis verbis vtitur.*

Secundò, Scholasticis Theologis supinam in Augustini doctrina ignorantiam exprobrat, clamátque eos Augustinum, aut strictim tantùm, aut nonnisi alienis oculis legisse. Eadem Sorbonicis obiicit Philippus Me- Vbiq; sparsim & maximè libro Procœmiali cap. 28.

lanchthon in Apologia pro Luthero, ſub finem: vbi Lutheri de gratia & libero arbitrio ſententiam aduerſus Sorbonicorum Cenſuram defendit. *Quod ſi*, inquit, *vnquam dubitatum eſt, in quo genere litterarum aut artium verſaretur Lutetia: id nunc declarat hic locus, in quo palàm apparet in tota iſta Sorbonica Facultate neminem eſſe*, QVI AVGVSTINVM ATTIGERIT. *In ipſa Scriptura quid poſſint facilè æſtimari poteſt, quando ne Auguſtinum quidem vulgarem alioqui inter Theologos ſcriptorem viderint. ô Theologos! ô Sorbonam!* & paucis interiectis, *Sinite impetrari à vobis, vt Auguſtinum, non dico relegatis, ſed inſpiciatis tantùm. Nam errorem veſtrum nulla pagina eſt, quæ non coarguat.* Hæ ſunt ſtrophæ, atrocéſque calumniæ, quibus noui Dogmatiſtæ Scholaſticos Theologos inſectantur. Vnum hoc clamant, vix eos Auguſtinum niſi curſim attigiſſe; mirantur doctiſſimos viros, qui ætatem omnem in Theologicis rebus contriuerunt, in Auguſtini doctrina peregrinos eſſe. Neque illud ſemel impingunt: ſed quoties decretorium illum de correptione & gratia locum interpretantur, toties fere Scholaſticis inſultant, eóſque cauillantur, quòd diſcrimen illud gratiæ ſanitatis & medicinalis, tam luculenter ab Auguſtino explicatum, ignorent.

Apologia J. Ianſenij in præfatione.

Tertiò, noui dogmatis Patroni ſuum vt Patriarcham defendāt, aiunt nihil eum dixiſſe, quod totidem verbis Auguſtinus non ſcripſerit, adeóque damnari illum non poſſe, quin per eius latus Auguſtinus confodiatur. Addunt multum illi deberi ab Eccleſia, quòd implicatam, & obſcuram Auguſtini mentem meliorem in lucem extraxerit. Nec erubeſcunt palàm id profiteri, nouæ opinionis Artificem, etſi nihil dicat, quod ab Auguſtino non fluxerit, ſingula tamen accuratiùs, & diligentiùs explicâſſe, quàm Auguſtinum. Quæ omnia ſimillima ſunt iis, quæ de Luthero ſcripſit Melanchthon aduerſus Sorbonicos in Apologia citata pag. 204. & 205. edit. Witemberg. anno 1546. *An non*, inquit, *Lutheri de li-*

bero arbitrio & gratia (si rectè rem æstimes) sententia TOTA AVGVSTINI EST? *hunc per omnia sequutus est in Commentario ad Galatas. Extant vtriusque commentarij, quos si conferas, videbis conuenire inter eos de rerum summa. Extant Augustini libri aduersus Pelagianos, quos ille iam natu grandior scripsit: eos si contuleris cum Lutheranis dogmatis, videbis de summa rei conuenire. Fortaßis alter alicubi quiddam dixit argutiùs, & multa Lutherus diligentiùs (rumpite vos interim magistri nostri) quàm Augustinus. Ecce in primario loco, adeóque in eo, in quo potißimùm regnat Lutherus, habet* ὁμόψηφον AVGVSTINVM, *& patronum minimè vulgarem.*

Quartò, vnum Augustinum opinionis suæ fundum iactitant, aliorum auctoritatem vel aspernantur, vel eleuant. Ita Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. num. 9. *Magnum mihi præiudicium attulisse forsan videar, qui scriptores omnes Ecclesiasticos* EXCEPTO AVGVSTINO *ita ambiguè, ac variè in hac re loquutos esse confessus sum, vt certum quippiam ex eorum scriptis haberi nequeat.* Toto passim libro Procœmiali, & l. 4. de gratia Christi, cap. 10.

Eâdem impudentiâ Lutherus, in libro de seruo arbitrio, exprobranti Erasmo, quòd Wicleffum tantùm, aut Laurentium Vallam sibi suffragantes haberet, vnum hoc respondet: *Quanquam* AVGVSTINVS, QVEM PRÆTERIS, TOTVS MEVS EST.

Quintò, contendunt ex Augustini mente liberum arbitrium soli coactioni repugnare, atque hanc opinionem mille fere annis in Ecclesia floruisse, nec nisi à recentium Scholasticorum ætate obsoleuisse. Quæ vnde excerpta sint ex hoc vno Caluini testimonio intelliges. Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. num. 5. solam coactionem opponi libertati ex quibusdam Augustini, Bernardíque locis pugnat, concludítque: *Hinc agnoscunt lectores, nihil me afferre,* QVAM QVOD OLIM EX PIORVM OMNIVM CONSENSV PRODIDIT AVGVSTINVS, *& mille fere annis postea in claustris Monachorum retentum fuit. Lombardus autem, cùm necessitatem à coactione distin-* Toto lib. 6. de gratia Christi.

guere nesciret, pernicioso errori materiam dedit. Pleni sunt similibus testimoniis Institutionum libri, pleni quoque illi, quos aduersus Pighium scripsit, qui omnes ex perpetuis consutisque Augustini sententiis texuntur. Lib. 4. pag. 175. vbi necessitatem à coactione distinxit, hácque vnâ perimi libertatem pronuntiauit, addit: SIC ANTE NOS AVGVSTINVS, SIC BERNARDVS LOQVVTI SVNT.

Libro 6. de grat. Christi cap. 8

Sextò, proferunt locum ex libro de natura & gratia, cap. 46. Eundem adhibet Caluinus contra Pighium p. 162. *Ad illud*, inquit, *Pelagij obiectum, priuari voluntatis arbitrio quidquid naturali necessitate constringitur; Respondet Augustinus, necessariò nos velle esse beatos, neque tamen minùs voluntariè.*

Vix est pagina quæ huius loci non meminerit.

Septimò, obiiciunt decantatum illud toties ex libro de corrept. & grat. testimonium, quo vno fere tota hæc opinio nititur. Vidimus superiùs, quàm importunè illud ipsum Caluinus vsurpet. Qui hoc tamen ab noui dogmatis Auctore vincitur, quòd ille hunc Augustini locum tricies tantùm adhibeat; hic plùs trecenties.

Toto libro 8. de gratia Christi.

Octauò, aiunt Augustinum non aliter gratiam cum libero arbitrio conciliâsse, quàm affirmando nos gratiâ Dei non cogi, quæ totidem fere verbis succinit Caluinus in Antidoto Conc. Trid. ad sess. 6. pag. 278. *Quid ergo, inquies, sibi vult Augustinus, cùm de libertate voluntatis loquitur? nempe quod toties repetit*, NON COGI HOMINES INVITOS DEI GRATIA, SED VOLVNTARIOS REGI, VT SPONTE PAREANT, AC SEQVANTVR. Quod hîc breuiter astrinxit, latiùs exponit libro 3. in Pighium pag. 168. *Habemus ex* AVGVSTINO *non alia causa liberam dici voluntatem, nisi quia* SPONTANEO MOVETVR AFFECTV. *Pighius autem longè aliud requirit, vt scilicet liberam habeat, vel boni, vel mali eligendi facultatem. Libera est, inquit Augustinus, quia sponte mala. Pighius liberam esse contendit, quia libera in vtramque partem electionis sit capax. Vis ergo breuiter scire, quo sensu*

liberum arbitrium cum gratia coniungat? Tribus verbis tandem in fine libri respondet. QVIA PER GRATIAM NON TOLLITVR HVMANA VOLVNTAS, *sed ex mala mutatur in bonam: & cùm bona fuerit, adiuuatur.*

Nonò, Bernardum quoque testem appellant, & hoc eius testimonium proferunt, quod Caluino, & Zanchio familiarissimum est, quódque his verbis ab Chamiero citatur tom. 3. libro 2. cap. 4. num. 8. *Audi* BERNARDVM *de gratia & libero arbitrio. Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium, quòd æqua inter bonum, & malum facultate versetur. Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, qui ita boni sunt, vt non possint esse mali: nec præuaricatores Angeli, cùm ita sint mali, vt iam non valeant esse boni, liberi arbitrij esse dicentur.* Libro 8. de grat. Christi cap. 27.

Verbo dicam: nullum nobis Aduersarij ex Augustino, Bernardo, aut sancto Thoma locum opponunt, qui sit alicuius ponderis ac momenti, quem multò antè Catholicis Hæretici non obiecerint. Eruditum Lectorem rogo, vt id ipse per se experiatur. Vnum consulat Scharpium l. 2. de libero arbitrio pag. 184. & intelliget, quàm nihil mentiar. Si Hæreticorum libros non habet ad manum, Albertum Pighium legat lib. 3. 4. & 5. de libero arbitrio, Franciscum Horantium in Locis Cathol. lib. 1. à cap. 40. ad finem, Ioannem Puteanum in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. Guillelmum Estium in 2. dist. 24. §. 2. aut vulgarem magis scriptorem Bellarminum, qui lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 6. proponit, ac dissoluit argumenta, quibus Bucerus, Caluinus, aliique Hæretici probant solam coactionem natiuæ hominis libertati opponi. Qui hoc vnum Bellarmini caput legerit; mentiar, nisi stuporem nouorum Dogmatistarum rideat. Hîc enim recognoscet præcipua eorum argumenta ab Hæreticis deprompta fuisse. Leget præcipuos Augustini locos, quibus tantopere gloriantur. Primus est ex Enchir. cap. 105. *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic*

volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Secundus est ex libro de natura & gratia cap. 46. *Perquam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus: nec dicere audemus Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Tertius est lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 5. *Si illa definitur necessitas, secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse semper Deum viuere, & cuncta præscire.* Leget deinde celebres illos S. Bernardi locos ex lib. de libero arbitrio, & sermone 81. in Cantica petitos. Leget denique illud ipsum, quod tanti fit ab Aduersariis S. Thomæ testimonium, quæst. 10. de potentia, art. 2. ad 5. vbi scribit, *solam coactionem repugnare libertati naturali hominis.*

Qui hæc perpendet apud se, an non suspicabitur nouos Dogmatistas plus Augustinum in Caluino, quàm in Augustino legisse? Ego certè illud asseuerare ausim: posse quemlibet, qui Augustinum nusquam viderit (modò familiares ac notos habeat Hæreticorum libros) illud ipsum opus concinnare, quod iam nobis, quasi diuturnæ Augustinianæ lectionis partus, obtruditur.

SECTIO IV.

Noui Dogmatis corollaria ex recentioribus Hæreticis deprompta sunt.

QVID mirum, si ex doctrina persimili eadem consectaria deriuentur; cùm ex eodem fonte similes riuuli, pares anhelitus ex eadem Camarina fundantur? Neque verò laborandum est, vt probem ex nouâ opinione, ea, quæ iam exagito, corollaria consequi: cùm id

id non fateantur modò Aduersarij, sed & multis rationibus contendant.

Primum est, omnem Christi gratiam esse efficacem, nullam sufficientem tantùm. Vnde rursus sequitur, nec Deum velle omnes homines saluos fieri, nec Christum pro omnibus mortem obiisse.

Secundum: nihil laudis ex opere bono in nos redundare.

Tertium: esse quædam homini præcepta, secundùm vires quas habet, obseruatu impossibilia.

Quartum: hominem peccare in eo, quod vitare non potest: & mereri eo actu, à quo abstinere non potest.

PARAGRAPHVS I.

Primum consectarium, quod est contra gratiam sufficientem, depromptum est ex recentioribus Hæreticis.

GRATIAM sufficientem non explodunt modò Aduersarij, sed vt monstrum aliquod & portentum atrocibus verbis insectantur. Hinc illa noui Doctoris verba: *Gratia sufficiens videtur monstrum quoddam singulare gratiæ.* Item: *Tale adiutorium gratiæ Pelagianicum est.* Iterum: *Qui gratiam sufficientem ponunt, efficacem tollunt; peius ipsis Pelagianis hallucinantur.* Nimirum, ita persuasum habet omnem Christi gratiam effectum sortiri, vt audacter pronuntiet: *Nullum dari post lapsum adiutorium sufficiens, quin simul efficax sit.* Vnde nata sit hæc opinio, ex Catholicis primùm, tum deinde ex Hæreticis demonstrabo. Toto lib. 2. & 3. de gratia Christi.

Andreas Duuallius vir doctrinâ & pietate singulari tomo 1. tractatu de gratia, quæst. 5. art. 1. pag. 406. Caluinum huiusce opinionis auctorem facit. Hæc sunt eius verba: *Caluinus, cùm l. 2. instit. cap. 3. §. 10. & 11. quamlibet Dei gratiam suum semper effectum sortiri asseruisset,*

SVFFICIENTEM GRATIAM, *quatenus efficaci opponitur, tanquam* VANAM, ET SVPERFLVAM *reiicit.* Duuallio consentit Malderus Episcopus Antuerpiensis in primam secundæ, quæst. 111. articulo 3. dub. 4. quod ita inscribit: *An detur vlla gratia sufficiens, quæ non simul sit efficax.* Respondet, *Nullam esse gratiam excitantem, quæ non sit efficax, effectúmque habeat coniunctum, docuit* CALVINVS *lib. 3. instit. cap. 3. §. 10. vbi cùm aliqua ex scripturis ac D. Augustino, quæ huc pertinere arbitratus est, in medium produxisset, concludit his verbis: Medium quem sophistæ imaginantur motum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, apertè excludi videmus,* &c. Consentit & Ioannes Wigers in primam secundæ, quæst. 111. art. 3. §. 23. vbi agit de diuisione gratiæ in sufficientem & efficacem. CALVINVS, inquit, *l. 2. instit. cap. 3. nullam vult agnoscendam gratiam excitantem, quæ non sit efficax.* Consentiunt denique Gamachæus in primam secundæ, quæst. 111. cap. 5. pag. 377. Puteanus ibidem articulo 3. dub. 2. Pennottus l. 9. cap. 4. Bartholomæus Camerarius l. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 8. & toto libro 3. aliique complures, quorum recensendis testimoniis supersedeo.

Illustriora sunt Francisci Horantij & Pauli de Windeck acerrimorum Catholicæ veritatis aduersus Caluinistas propugnatorum verba, quàm vt à me prætermitti possint. Postremus libro de efficacia mortis Christi contra Caluinistas pag. 155. ita loquitur: *Certum est omnem hominem ratione vtentem, per* SVFFICIENTEM DEI GRATIAM, *se ad salutem consequendam conuertere posse.* Mox: *Hanc propositionem pertinacissimè negant* LVTHERVS *assert. art. 36. Et* CALVINVS *l. 3. instit. cap. 23. & 24.* Tum: CLAMITANT NOSTRI TEMPORIS CALVINISTÆ *Beza, Grinæus, Zanchius, Kimedoncius, & alij, huic dogmati contrariam doctrinam nostram* EX FÆCIBVS SCHOLASTICORVM HAVSTAM ESSE. Nec ita pòst: ADDVNT EAM PELAGIANISMVM

REDOLERE. Et pag. 178. *Per Deum non stat, si pereant quidam, ob influxum gratiæ communem, quo omnis homo illustratur ad conuersionem.* ETSI HANC DOCTRINAM PELAGIANISMI INSIMVLENT, ET EXSIBILENT CACO-EVANGELICI, *tamen eam firmißimis scripturæ niti testimoniis demonstraui.* Caluinum ergo, Bezam, Grinæum, Zanchium, Kimedoncium, aliósque Caco-Euangelicos noui dogmatis primipilus imitatur, cùm toto passim opere suo gratiam sufficientem exsibilat, Pelagianismi arguit, & ex Scholasticorum fæcibus haustam esse declamitat.

Franciscus verò Horantius libro 1. locorum Catholicorum aduersùs Caluinum cap. 52. *Superest*, inquit, *vt veniamus ad secundum, & ostendamus* IVXTA AVGVSTINI MENTEM DEI GRATIAM, QVÆ SVFFICIENS, ET NECESSARIA SIT, *omnibus paratam esse non minùs, quàm sit peruia oculis nostris lux hæc materialis. Sed audiatur Caluinus: Phreneticos, inquit, nihil moror, qui gratiam pariter & promiscuè expositam esse garriunt.* Quod conuicium in Catholicos omnes à petulantissimo Hæresiarcha contortum, ita Horantius excipit: *Sit, vt lubet: simus nos phrenetici, simus garruli, simus diuinæ gratiæ expositores, modò id crimen nobis commune sit cum antiquis Prophetis, cum Apostolica maiestate, cum vniuersa Sanctorum multitudine, vtriusque Ecclesiæ, veteris scilicet ac nouæ, Græcæ & Latinæ. Vtrùm magis præoptandum nobis cum his recensitis, nos malè audire à Caluino, an bene nobis esse cum ista sua maledicentia.* Licebit nobis eâdem responsione vti, cùm nouæ opinionis vindices corrogata ex Caluinistarum omnium libris conuicia in gratiæ sufficientis defensores congerent: cùm *Pelagianos*, cùm *Sophistas*, cùm *gratiæ diuinæ expositores* Caluini verbis appellabunt. Nos quoque illud solabitur quod scribit Malderus Episcopus Antuerpiensis in . 2. quæst. 111. art. 3. dub. 5. membro 1. *Sententiam illam, quæ adultis saltem omnibus, in Christo tribuit* SVFFICIENTEM GRATIAM

quâ saluari queant, apud Hispanos & VBIQVE IN CHRISTIANIS ACADEMIIS HODIE ADEO RECEPTAM ESSE, vt non dubitauerit Cumel Tomo 3. Disput. ad 1. Partem D. Thomæ scribere: Quæ propositio AB OMNIBVS ADMITTI DEBET, *& in quacumque opinione. Et Petrus de Cabrera Cordubensis in 3. Partem D. Thomæ quæst. 18. art: 4. disp. 6. dubio 1.* HÆC CONCLVSIO EST ADEO CERTA VT OPPOSITVM SINE ERRORE AFFIRMARI NON VALEAT. *Et Petrus de Ledesma de gratiæ auxiliis art. 16. quæst. vnica: Hoc dictum* EST CERTISSIMVM INTER THEOLOGOS, *& illud docent* OMNES DISCIPVLI D. THOMÆ. Nobis certè optandum magis est cum *omnibus D. Thomæ discipulis*, cum *Christianis Academiis*, cum omnibus Catholicæ fidei aduersus Caluinistas propugnatoribus malè audire à noui dogmatis emissariis, quàm bene nobis esse, cum ista eorum maledicentia.

Nunc audiendi Hæretici. Ex quibus occurrit primùm Caluiniana Synodus Dordrecthana, cuius decreta vnam fere sufficientem gratiam petunt. Asserebant enim Arminiani dari gratiam sufficientem: atque hanc sententiam suam ita exprimebant, vt constat ex Actis eiusdem Conuenticuli ad sess. 34. pag. 165. *Spiritus sancti tantum gratiæ omnibus, & singulis, quibus verbum Dei prædicatur, confert, aut conferre paratus est; quantum ad promouendam suis gradibus hominum conuersionem sufficit. & sic gratia sufficiens ad fidem, & conuersionem, non tantùm iis obtingit, quos iuxta decretum absolutæ electionis saluare velle dicitur Deus; verùm etiam iis, qui actu ipso non conuertuntur.*

Hanc sententiam, vt PELAGIANAM, PAPISTICAM, HÆRETICAM, damnant Caluinistæ: atque in ea confutanda eundem fere ordinem, quem noui Dogmatistæ, tenent. Primò, Pelagianismi damnant secundum Articulum Remonstrantium, siue Arminianorum, qui ad gratiam sufficientem viam sternere vi-

debatur. Est autem eiusmodi: *Christus pro omnibus, & singulis mortuus est.* Deinde pag. 310. acerrimè refellunt Articulum 4. quo Remonstrantes asserebant gratiam non esse *irresistibilem*, statuúntque quod habetur posteriùs pag. 710. *Gratiam, quâ Spiritus sanctus in homine efficit fidem, esse irresistibilem; adeò quidem, vt positâ internâ renouationis gratiâ, homo, qui conuertitur, non velit resistere Spiritui sancto, neque etiam possit.* Ac tandem absolutè gratiam sufficientem repudiant pag. 745. DISTINCTIO ILLA GRATIÆ IN SVFFICIENTEM ET EFFICACEM, *si non de externis mediis, sed de vero & interno Spiritus tractu loquamur,* MINIMÈ NOBIS PROBATVR. *Retineant eam sibi Bellarminus, & Arminius. Quoscumque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantùm dat posse currere, sed etiam vt reipsâ currant. Cant. 1. 3. Neque dat tantùm Deus, vt possimus ambulare in viis suis; sed etiam, vt reipsâ ambulemus. Ezech. 36. 27. Neque dat tantùm, vt possimus, qui in peccatis mortui sumus, viuificari: sed etiam, vt actu ipso viuificemur. Ephes. 2.* Scripsit ad hanc Synodum Petrus Du Moulin, & sub finem Epistolæ suæ, quæ habetur in Actis eiusdem Synodi pag. 395. sic aduersùs gratiam sufficientem pronuntiat: GRATIAM VNIVERSALEM DATAM OMNIBVS HOMINIBVS, QVÆ VEL MEDIATÈ, VEL IMMEDIATÈ SVFFICIAT AD PERVENIENDVM AD SALVTEM, NVLLAM AGNOSCO. Idem Du Moulin in quadam Epistolâ citata apud Malderum in prim. sec. fol. 485. *Pessimum, quod reperio in opinionibus istis nuperis,* EST GRATIA ISTA SVFFICIENS, *quam dicitur Deus dare omnibus hominibus, etiam illis, quibus nunquam annuntiatus est Christus, & qui nullum medium habent instructionis suæ, quales sunt multæ gentes barbaræ, quæ nunquam audiuerunt aliquid dici de Iesu Christo.*

Nihilo leuiùs gratiam sufficientem reiicit Caluinus. Nam libro 2. Instit. cap. 2. num. 6. eius assertores phreneticos vocat: PHRENETICOS NIHIL MOROR,

quà saluari queant, apud Hispanos & VBIQVE IN CHRISTIANIS ACADEMIIS HODIE ADEO RECEPTAM ESSE, *vt non dubitauerit Cumel Tomo 3. Disput. ad 1. Partem D. Thomæ scribere: Quæ propositio* AB OMNIBVS ADMITTI DEBET, *& in quacumque opinione. Et Petrus de Cabrera Cordubensis in 3. Partem D. Thomæ quæst. 18. art. 4. disp. 6. dubio 1.* HÆC CONCLVSIO EST ADEO CERTA VT OPPOSITVM SINE ERRORE AFFIRMARI NON VALEAT. *Et Petrus de Ledesma de gratiæ auxiliis art. 16. quæst. vnica: Hoc dictum* EST CERTISSIMVM INTER THEOLOGOS, *& illud docent* OMNES DISCIPVLI D. THOMÆ. Nobis certè optandum magis est cum *omnibus D. Thomæ discipulis*, cum *Christianis Academiis*, cum omnibus Catholicæ fidei aduersus Caluinistas propugnatoribus malè audire à noui dogmatis emissariis, quàm bene nobis esse, cum ista eorum maledicentia.

Nunc audiendi Hæretici. Ex quibus occurrit primùm Caluiniana Synodus Dordrecthana, cuius decreta vnam fere sufficientem gratiam petunt. Asserebant enim Arminiani dari gratiam sufficientem: atque hanc sententiam suam ita exprimebant, vt constat ex Actis eiusdem Conuenticuli ad sess. 34. pag. 165. *Spiritus sancti tantum gratiæ omnibus, & singulis, quibus verbum Dei prædicatur, confert, aut conferre paratus est; quantum ad promouendam suis gradibus hominum conuersionem sufficit. & sic gratia sufficiens ad fidem, & conuersionem, non tantùm iis obtingit, quos iuxta decretum absolutæ electionis saluare velle dicitur Deus; verùm etiam iis, qui actu ipso non conuertuntur.*

Hanc sententiam, vt PELAGIANAM, PAPISTICAM, HÆRETICAM, damnant Caluinistæ: atque in ea confutanda eundem fere ordinem, quem noui Dogmatistæ, tenent. Primò, Pelagianismi damnant secundum Articulum Remonstrantium, siue Arminianorum, qui ad gratiam sufficientem viam sternere vi-

debatur. Est autem eiusmodi: *Christus pro omnibus, & singulis mortuus est*. Deinde pag. 310. acerrimè refellunt Articulum 4. quo Remonstrantes asserebant gratiam non esse *irresistibilem*, statuúntque quod habetur posteriùs pag. 710. *Gratiam, quâ Spiritus sanctus in homine efficit fidem, esse irresistibilem; adeò quidem, vt positâ internâ renouationis gratiâ, homo, qui conuertitur, non velit resistere Spiritui sancto, neque etiam possit.* Ac tandem absolutè gratiam sufficientem repudiant pag. 745. DISTINCTIO ILLA GRATIÆ IN SVFFICIENTEM ET EFFICACEM, *si non de externis mediis, sed de vero & interno Spiritus tractu loquamur*, MINIMÈ NOBIS PROBATVR. *Retineant eam sibi Bellarminus, & Arminius. Quoscumque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantùm dat posse currere, sed etiam vt reipsâ currant. Cant. 1. 3. Neque dat tantùm Deus, vt possimus ambulare in viis suis; sed etiam, vt reipsâ ambulemus. Ezech. 36. 27. Neque dat tantùm, vt possimus, qui in peccatis mortui sumus, viuificari: sed etiam, vt actu ipso viuificemur. Ephes. 2.* Scripsit ad hanc Synodum Petrus Du Moulin, & sub finem Epistolæ suæ, quæ habetur in Actis eiusdem Synodi pag. 395. sic aduersùs gratiam sufficientem pronuntiat: GRATIAM VNIVERSALEM DATAM OMNIBVS HOMINIBVS, QVÆ VEL MEDIATÈ, VEL IMMEDIATÈ SVFFICIAT AD PERVENIENDVM AD SALVTEM, NVLLAM AGNOSCO. Idem Du Moulin in quadam Epistola citata apud Malderum in prim. sec. fol. 485. *Pessimum, quod reperio in opinionibus istis nuperis*, EST GRATIA ISTA SVFFICIENS, *quam dicitur Deus dare omnibus hominibus, etiam illis, quibus nunquam annuntiatus est Christus, & qui nullum medium habent instructionis suæ, quales sunt multæ gentes barbaræ, quæ nunquam audiuerunt aliquid dici de Iesu Christo.*

Nihilo leuiùs gratiam sufficientem reiicit Caluinus. Nam libro 2. Instit. cap. 2. num. 6. eius assertores phreneticos vocat; PHRENETICOS NIHIL MOROR,

QVI GRATIAM, PARITER, ET PROMISCVE EXPOSITAM ESSE GARRIVNT. & cap. 3. num. 10. *Gratiâ non quoslibet promiscuè dignatur Dominus, quemadmodum vulgò iactatur. Quare meritò Augustinus tam eos deridet, qui aliquas volendi partes sibi arrogant; quàm reprehendit alios, qui putant promiscuè dari omnibus, quod speciale est gratuitæ electionis testimonium. Communis, inquit, omnibus est natura, non gratia.* En illud ipsum Augustini testimonium, quod in hac materia tanti fit ab Aduersariis. Caluinus hoc argumentum accuratiùs tractat libro de æterna Dei prædest. tomo Tract. Theolog. pag. 696. Nam primò, Pighij sententiam ita exponit. *Sed interea fingit offerri peræquè omnibus gratiam; hominum autem arbitrio vtcumque eam recipere libuerit, efficacem demum esse.* Quod vt euertat, illud ipsum Augustini testimonium ex cap. 13. l. de grat. Christi vsurpat, quod perpetuò nobis obtrudunt Aduersarij, atque eius vim omnem ita colligit. *Sic* Deus *interiùs docet eos, inquit Augustinus, qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans, & quod agunt scire, & quod sciant agere. qui autem nouit, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem, non secundùm spiritum, sed secundùm litteram.* Cui celeberrimos alios ex Augustino locos duos attexit. Primus est, ex libro de Præd. cap. 8. vbi Augustinus dicit, *gratiam à nullo duro corde respui.* Secundus est ille decantatus toties ex libro de corrept. & grat. cap. 12. cuius summam ita complectitur: *Non tale modò perseuerantiæ donum confertur, quo possint si velint, sed quo nonnisi perseuerantes sint.*

Aliis Augustini testimoniis eandem gratiam sufficientem oppugnat libro 3. de libero arbitrio in Pigh. pag. 172. *Quid hîc docet Augustinus? hanc gratiam non omnibus indifferenter, & promiscuè dari, sed iis duntaxat, quibus Deus vult; alios, quibus non datur, malos permanere, & ad bonum nihil prorsus valere: præterea, non esse eiusmodi gratiam hanc, quæ illis bene agendi potestatem conferat, si vo-*

lint, vt in eorum postea optione sit velle, vel non velle: sed efficaciter ipsos promouere, vt velint: immo voluntatem ex mala bonam facere, vt necessariò bene velint. & lib. 5. pag. 183. NEGO IGITVR GRATIAM SIC NOBIS OFFERRI, VT NOSTRÆ POSTEA SIT OPTIONIS VEL OBTEMPERARE, VEL REFRAGARI; *nego in hoc tantùm dari, vt imbecillitatem nostram subsidio suo adiuuet. Neque enim efficere Deum in nobis testatur Paulus, vt possimus bene velle: sed hoc quoque ipsum, vt velimus. Proinde efficaciter formari voluntatem nostram constituo, vt Spiritus sancti ductum sequatur necessariò, non autem incitari duntaxat, vt valeat, si velit.*

Non abludit Petrus Martyr, qui in Locis Communibus, Titulo de Prædestinat. num. 38. paucis perstringit ea omnia argumenta, quibus Aduersarij gratiam sufficientem reiiciunt. *Videndum est*, inquit, *an gratia omnibus hominibus à Deo proponatur communis.* Tum ita pronuntiat. *Nos nequaquam dicimus omnium communem esse gratiam, sed aliquibus concedi, aliis verò Dei arbitratu non dari. Atque pro ista sententia hac Scripturæ loca inducimus, Ioan. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum: mirórque Aduersarios dicere omnes homines à Deo trahi, sed non omnes homines velle accedere.* Ac tandem sic concludit num. 40. *Postremò, dum isti sic gratiam faciunt omnibus communem, illam conuertunt in naturam, quod minimè consentit doctrinæ sacrarum litterarum. Et quàm fallantur ex eo potest demonstrari, quòd volunt ex his constituere positum in manu cuiusque esse, vt gratiam sibi oblatam recipiat, quod nequaqam sacris litteris congruit.* Quod ostendere conatur exemplo Tyriorum, & Sidoniorum, quibus gratiam sufficientem defuisse pugnat, additque num. 41. *Positâ illâ gratiâ vniuersali, nemo eligeretur à Deo: immo nos eum eligeremus, oblatam eius gratiam recipiendo, & essemus electionis Dei figuli, non ab ipso fingeremur.* Vel me tacente obseruare quilibet potest, hîc proponi breuiter decretorium illud contra gratiam sufficientem argu-

mentum, quod inuictum putant Aduersarij.

Ita gratiam sufficientem odit Petrus Martyr, vt eam rursus impetat, Classis 3. cap. 2. Titulo de grat. Dei, num. 12. *Recentiores Theologi, vel Sophistæ, ne prorsus viderentur cum Pelagio conuenire, ita statuerunt*, GRATIAM QVIDEM PRIMVM ACCEDERE: SED NOSTRVM ESSE EAM RECIPERE, AVT RESPVERE. ATQVI HOC NIHILO VERIVS EST, QVAM QVOD PELAGIVS DICEBAT. & num. 13. *Verùm dicere, & vulgò iactare solent, gratiam Dei expositam esse omnibus, itaque nisi ea admittatur, id nostro vitio fieri: quemuis posse eam adipisci, si velit. Sed isti videntur fingere sibi gratiam, tanquam vestem aliquam, quæ pendeat in aëre, quam sibi quiuis induere possit, qui velit. Verùm ista sunt inuenta humanæ prudentiæ: sacræ scripturæ aliter loquuntur.* Hinc Aduersarij iocularem illam cauillationem hauserunt, quâ perpetuò nos obtundunt. Et ibidem Titulo de iustificatione num. 24. *Cùm gratiam faciunt omnibus communem, eam vertunt in naturam, eâque dicunt alios vti velle, alios nolle*, &c.

Hos Caluinianæ gentis Proceres, Hæreticorum vulgus sequitur. Paulus Ferrius Minister Metensis in Orthodoxo cap. 13. NVLLA EST GRATIA VERE SVFFICIENS, QVÆ NON SIT EFFICAX ET EFFICIENS. Chamierus tomo 3. lib. 3. cap. 5. num. 13. Bellarminum increpat, quòd dixisset *nemini deesse gratiam illam, quæ necessaria est ad faciendum, quod Deus præcipit*: docétque omnem gratiam, quæ iam datur, efficacem esse. *At efficacem*, inquit, *gratiam omnibus adesse, quis vnquam dixit?* Guillelmus Amesius in disputation. contra Bell. tom. 4. Editionis Amstelodamensis pag. 65. hanc Catholicorum propositionem recitat: *Auxilium sufficiens ad salutem pro loco & tempore mediatè vel immediatè omnibus datur.* Tum ita illam notat: HÆC PROPOSITIO NON DISTINGVIT PONTIFICIOS A PELAGIANIS. David Pareus l. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 28.

pag. 900. *Fingit iste cum Pelagio, Cælestio, Caßiano, Fausto gratiam esse hospitem extus venientem ad fores nostras, quam præsentem iam penes nos sit intrò mittere, vel excludere, vt sic non solùm præceptorum obseruantia, sed ipsa etiam gratia nostra subiecta sit potestati.*

Hæreamus hîc tantisper & paucis excutiamus quàm vera sint, quæ nouæ opinionis fautores scribunt, vt Doctori suo de profligata gratia sufficienti gratulentur. Aiunt illi Præsulem quemdam ante annos 25. ex Cardinali Perronio quæsiisse, quid de gratia sufficienti sentiret, eúmque in hæc verba respondisse: *Verè quidem nondum hanc quæstionem satis explicatam fuisse, sibique esse in animo huic incumbere labori, cùm primùm maioris Britanniæ Regi respondisset.* Quibus verbis hanc annotationem subtexunt: *Verùm vt Deus, qui Dauidem ad debellandos populi sui hostes delegerat, templi fabricam illi non permisit, eiúsque filio Salomoni tanti operis executionem reseruauit, quod magnus ille Princeps inclinata iam ætate designarat. Sic affirmare possumus Deum, cùm præstantem hunc virum excitasset, vt sanctum aduersus Ecclesiæ hostes bellum pugnaret, Domino Yprensi Episcopo controuersiæ illius de gratia, quâ Christus in credentium pectoribus, sic tanquam in templo regnat, explicationem reseruasse, eiúsque laboribus destinasse absolutionem immensi illius operis, quod plurium annorum continentes reposceret vigilias, quàm doctißimi Cardinalis vitæ superessent.* Quæ sit huic narrationi fides adhibenda modò non quæro. Neque etiam exagito comparationem illam cum Salomone in pluribus certè claudicantem. Duo tantùm adnoto, quæ mihi videntur animaduersione dignissima.

Primò, quod eruditus Cardinalis dixerat, sibi esse in

Qu'il estoit vray qu'on n'auoit point encore assez esclaircy cette matiere, & qu'aussi-tost qu'il auroit acheué sa response au Roy de la grande Bretagne, il estoit resolu d'y trauailler. Mais comme Dieu ayant choisi David pour combattre les ennemis de son peuple, ne luy permit pas de bastir le Téple, & reserua à Salomon son fils l'execution de cette entreprise que ce grand Prince auoit proiettée vers le declin de ses iours: Aussi nous pouuons dire que Dieu ayant choisi cet excellent homme pour faire vne guerre sainte aux ennemis de son Eglise, il auoit reserué à Monsieur l'Euesque d'Ypre l'éclaircissement de toute cette matiere de la grace, par laquelle Iesus-Christ regne dans le cœur des fidelles comme dans son Temple, & auoit destiné à ses longs trauaux l'accomplissement de ce long ouurage, qui demandoit vn trauail de plus d'années, qu'il n'en restoit à la vie de ce sçauant Cardinal. Apologie premiere pag. 92.

animo de gratia sufficienti scribere, perinde esse putant, quasi dixisset, velle se gratiam sufficientem euertere. Quod tamen contrariam in partem interpretandum est. Nam cùm Deus illum destinasset, vt ipsi aiunt, ad Caluinistas debellandos, non aliud certè eius consilium fuit, quàm Caluini, Bezæ, Molinæi, Chamieri, Petri Martyris, Grinæi, Kimedoncij, Amesij, Parei, Ferrij, atque adeo ipsius Synodi Dordrechtanæ de gratia sufficienti errorem refellere, séque nobilibus illís Ecclesiæ Romanæ Athletis adiungere Stapletono, Maldero, Bellarmino, Pennotto, Camerario, Alberto Pighio, Paulo de Windeck, Francisco Horantio, aliísque compluribus: qui omnes, & errâsse Caluinum aiunt, quòd nullam in statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem admitteret, quæ simul efficax non sit: & hunc eius errorem acerrimè confutant. Accedit quòd cùm doctissimus Cardinalis Senonensium Archiepiscopus esset, ad se pertinere arbitratus est, vt illud Concilij Senonensis decretum defenderet, quo aduersus Lutheri, Caluinique opiniones gratia sufficiens stabilitur, quódque Hæretici impune vellicabant. Sic habet: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: Cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale sit trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit*, &c. Huic veritati aduersus Caluinum defendendæ extremos vitæ annos doctissimus Cardinalis destinabat.

Alterum, quod in superioribus Aduersariorum verbis non probo, istud est: quòd longis Doctoris sui laboribus tribuant, quæ Caluino aliísque sectariis in solidum sunt adscribenda. Quod etsi abundè hactenus ostenderim: placet hîc tamen indicare paucis, vnde petita sint argumenta omnia, quæ toto l. 2. & 3. de gratia Christi congerit, vt gratiam sufficientem explodat, quæque capite 1. libri tertij summatim perstringit.

Primum est: *Tale adiutorium*, inquit, *non est aliud quàm adiutorium sine quo non fit opus, nequaquam verò adiutorium quo: ac proinde est adiutorium sanæ voluntatis seu primi hominis, non ægrotæ.* Sumptum est ex Caluino, qui in Antidoto Concilij Tridentini pag. 278. eadem ratione pugnat, Tridentinos Patres S. Augustino aduersari, cùm statuunt hominem præuenienti gratiæ dissentiri posse, si velit. IN EO FALLVNTVR, inquit, QVÒD NVLLVM OBSERVANT INTER REGENERATIONIS GRATIAM, QVÆ NVNC MISERIÆ NOSTRÆ SVBVENIT, ET PRIMAM, QVÆ ADÆ DATA FVERAT, DISCRIMEN. *Quod diligenter Augustinus exponit,* &c. Quod argumentum acriùs vrget aduersus Sorbonicos l. 2. Instit. cap. 3. num. 10. & l. 5. aduersus Pighium pag. 203. & 204. *Sequitur*, inquit, *vno contextu apud Augustinum altera distinctio, quæ prorsus ad eandem rem explicandam facit: Aliud est, inquit, adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit,* &c.

Secundum argumentum ita contrahit: *Tale adiutorium est tantùm adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis. Dat enim homini posse, si velit; non velle, quod possit: ac proinde est Pelagianicum adiutorium, non Christi saluatoris.* Haustum est ex iisdem Caluini locis, in quibus illud importunè inculcat, quod habet l. 5. in Pighium pag. 204. *Si quis oblatam gratiam respuit, vbi illa, sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis, & inseparabilis gratiæ actio? quæ non hominibus relinquit suam voluntatem, vt maneant in gratia, si velint, sed etiam operatur vt velint?* Haustum quoque est ex Roberto Sarisburiensi, qui in libro de veritate gratiæ Christi pag. 81. pugnat, ILLVD GRATIÆ ADIVTORIVM ESSE PELAGIANVM, QVOD NON DAT IPSVM CONVERTI, CREDERE, AMARE; SED POSSE, SI VELIS. Haustum denique est ex Dauide Pareo, libro primo de gratia & libero arbitrio cap. 2. pag. 45. Theodoro Beza, libro aduersus Castellionem pag. 457.

vbi vel ipſum POTESTATIS nomen, cùm de gratia agitur, PELAGIANISMI inſimulat: & Synodo Dordrechtana pag. 745.

Tertium argumentum ſic colligit: *Quia eſt adiutorium, quod Maſsilienſes ad credendum neceſſarium eſſe, atque ita ſufficere ſtatuebant, vt cum eo credere poſſet homo, ſi vellet: qui tamen tanquam Hæretici proſcripti ſunt.* Arreptum eſt ex Caluino l. 3. in Pighium pag. 172. & Dauide Pareo, qui lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 2. ita loquitur: *Quod Pelagiani* (de Maſsilienſibus loquitur) *vocabant poſsibilitatem credendi, gratiâ Creatoris omnibus hominibus datam ſecundùm vnius cuiuſque arbitrium, id Sophiſtæ* (ita appellat Scholaſticos Theologos) *vocant auxilium ſufficiens omnibus hominibus datum ad hoc, vt poſſint credere, ſi velint.*

Quartum: *Quia ſi cum tali ſufficienti adiutorio homo poſſet operari, conſequenter homo poſt lapſum poſſet ſe ipſum ab aliis ſuæ voluntatis libertate diſcernere, atque ita contra Apoſtolum gloriari dicentem, quis enim te diſcernit?* Emendicatum eſt ex Petro Martyre in locis Communibus titulo de prædeſt. num. 38. & ex actis Synodi Dordrechtanæ pag. 315. vbi ita loquitur Dauid Pareus magni inter Caluiniſtas nominis: *Poſitâ reſiſtibilitate gratiæ, ratio cur ex duobus vnus credat, alter non credat, ex homine eſſet: quòd vnus gratiæ reſiſtere, alter non reſiſtere voluit, contra illud; quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?*

Quintum: *Quia tale adiutorium repugnat precibus Eccleſiæ: idque duplici ex capite. Nam primò in vniuerſis eius precibus non reperitur vlla oratio, qua filiis ſuis, vel in filiis ſuis, petat poſſe; ſi velint, ſed ſemper ipſum velle.* Pars hæc prior accerſita eſt ex Calu. li. 2. Inſt. c. 3. num. 9. vbi ex orationibus Sanctorum probat, omnem Chriſti gratiam dare ipſum velle. Proſequitur nouus Doctor: *Secundò tale adiutorium Eccleſiæ precibus repugnat, quia tollit funditus fidelium orationes. Docent enim iidem recentiores huiuſmodi*

adiutorium semper esse præsens omnibus, &c. *Quod si verum est, quis non videt pro illis, quibus sufficiens adiutorium præstò est, inaniter preces fundi?* Quod ex Dauide Pareo petitum est libro 2. de libero arbitrio cap. 2. pag. 291. *Si omnibus*, inquit, *semper adesset sufficiens auxilium vitandi infidelitatem & peccata, frustra oraret Ecclesia. Quia sufficiens auxilium, cùm fingatur vniuersale esse, non est ex eorum beneficiorum genere, quæ precibus & supplicationibus sunt impetranda.*

Hæc sunt præcipua Aduersarij argumenta, quæ ipse summatim complexus est primo illo capite libri tertij de gratia Christi. Quibus & alia inter disputandum admiscet ex iisdem fontibus deriuata. Cuiusmodi illud, quod iterat tam sæpe: *Si daretur gratia sufficiens, gratia esset communis omnibus, contra illud Augustini: communis est omnibus natura, non gratia.* Depromptum est ex Caluino libro 2. Instit. cap. 3. num 10. & ex Petro Martyre titulo de prædest. num. 38. & titulo de iustificatione num. 24. vbi hoc argumentum ita informat: *Cùm gratiam faciunt omnibus communem, eam vertunt in naturam.*

Quid est ergo quod sibi in hac materia arrogare meritò possit nouæ opinionis instaurator? Nihil certè præter calumnias aliquot & conuicia, quibus communem de gratia sufficienti sententiam fœdè proscindit.

PARAGRAPHVS II.

Ex iisdem Hæreticis emendicatum est, quod noua opinio statuit, Deum nolle omnes homines saluos fieri.

SVPERIORI corollario appendicis instar attexendum est atrox illud pronuntiatum, quod noua Theologia in hæc verba concipit: *Deus non vult omnes & singulos homines saluos fieri, sed tantùm prædestinatos.* Nam ex antece- Libro 3. de gratia Christi, cap. 20.

denti ita colligitur: Deus omnibus & singulis hominibus sufficientia ad salutem media non suppeditat; Ergo Deus omnes & singulos homines non vult saluos fieri. Quam sententiam, ne pias aures offendat, Augustini auctoritate munire, & contrariam opinionem ad Pelagij hæresim reuocare conantur.

Caluini sanè exemplo, quem hac etiam in parte fædè expilarunt. Librum eius consule de æterna Dei prædestinat. pag. 706. 707. & plurima occurrent tam pudendi latrocinij vestigia. Pauca tantùm in exemplum decerpo: *Nunc iactet Pighius, Deum omnes velle saluos fieri*. Mox: *Agitatus olim à Pelagianis fuit locus iste. Quid Augustinus pluribus locis respondeat, dicere in præsenti supersedeo.* Nec ita pòst: *Cæterùm sensus Pauli cuiuis non contentioso satis facilis est, ac dilucidus*. Tum recitatis D. Pauli verbis: *Quis non videt ordinum hîc geri mentionem potiùs, quàm singulorum hominum? Nec verò ratione caret trita illa distinctio, non singulos generum, sed genera singulorum notari*. Et libro de occulta Dei prouidentia pag. 737. *Quod citare soletis ex Paulo, Deum omnes velle saluos fieri, quàm nihil errori vestro suffragetur, alibi planum fecisse mihi videor. Nam certo certius est, Paulum illic non de singulis hominibus agere, sed intelligere ordines, & genera vocationum*. Eadem repetit l. 3. Instit. cap. 24. num. 16. & in expositione illius loci *Deus vult omnes*, &c. vbi ait eos *hallucinari pueriliter*, qui inde colligunt, *Deum velle omnes homines saluos fieri*.

Illud ipsum mordicus tuentur reliqui Caluinianæ nationis Principes. Zanchius in Tractatibus Theol. p. 280. *Nullo modo dici potest, Deum simpliciter, & propriè voluisse, aut velle omnes in vniuersum homines saluos fieri*. Rainoldus in Apolog. Thes. pag. 247. *Restat Deum velle saluari non singulos, sed electos è cunctis hominum generibus, non simpliciter omnes, sed omnes datos Christo, omnes prædestinatos*. Piscator in Thesib. pag. 313. *Impia est eorum sententia, qui affirmant Deum omnes & singulos homines, nemi-*

ne prorsus excepto, saluos fieri velle. Eadem tradunt Chamierus tom. 3. l. 7. cap. 3. Robertus Satisburiensis Oratione 2. de veritate gratiæ Christi, Amesius in Antisynodalibus de prædest. c. 13. & Synodus Dordrechtana toto passim articulo 2. Hinc illud Graueri in absurdis Caluini: *Hæc opinio Caluinistarum, quòd Deus nolit omnes homines saluos fieri, est extremè impia, & blasphema.*

Sed vt constet, nihil hîc Aduersarium de suo protulisse: age, quæ in eam rem scribit libro 3. de gratia Christi capite 20. cum iis Conferamus, quæ à Caluino libro de æterna Dei prædestinatione, Theodoro Beza in Apologia ad acta Colloquij Monpelgartensis, & Iacobo Kimedoncio in Synopsi de redemptione, vberrimè disputantur.

Primò, Aduersarius hunc D. Pauli locum, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, quasi disputationis campum eligit, pugnátque pluribus, nihil inde exculpi posse, quod probet Deum singulis hominibus salutem velle. Idem est Caluini, Kimedoncij, & Bezæ consilium. Vnde illud Pauli de Windeck libro de efficacia mortis Christi contra Caluinistas pag. 169. *Vt robustum hoc telum*, loquitur de illo Apostoli loco, *nobis de manu excutiat Beza, multas loquentiæ suæ vires perdit. Mirum enim in quos anfractus sese verset, & torqueat hic coluber, ne veritatis laqueo constringatur: vt mihi ex eodem numero esse videatur, de quibus scribit Seneca, qui Deum corrigi potiùs volunt, quàm se.* An istud quoque in nouum Doctorem conueniat, lectori statuendum relinquo.

Secundò, aduersus peruagatam, & obuiam huius loci interpretationem ita opponit: *Sic explicuerunt eum hostes gratiæ Pelagiani, & Semi-Pelagiani.* Ita Caluinus libro de æterna Dei prædest. pag. 706. *Agitatus*, inquit, *olim à Pelagianis fuit locus iste*, &c. Et Beza libro item de æterna Dei prædest. pag. 419. *Primùm affers eum Pauli locum, in quo dicitur Deus velle vt omnes salui fiant. Verùm hæc fuit Pelagianorum obiectio, ne tibi primò in mentem venisse putes*, &c.

Tertiò, eandem expositionem repudiat, *Quòd*, inquit, *omnes antiqui & genuini defensores gratiæ, illam tanquam dissonantem à veritate reprobarunt. Inter quos primus est S. Augustinus*, &c. *qui illam impugnat in libro 4. contra Iulianum, & in Enchiridio ad Laurentium.* Illud ipsum est quod clamosa voce Caluinus intonat loco proximè citato, & Beza in Apologia Colloq. Monpelg. Audi Paulum de Windeck pag. 169. *Beza contendit Paulum loqui non de singulis, quod probat primò auctoritate D. Augustini, cuius verba, trita sanè & peruulgata, ad longum refert ex Enchiridio ad Laurentium. Addo in gratiam Caluinistarum alia eius testimonia l. 4. contra Iulianum cap. 8. lib. de corr. & gratia cap. 14. libr. de prædestinat. Sanct. cap. 8. vbi tradit hoc sensu dictum Apostoli accipiendum esse; vt Deus omnium eorum salutem velit, qui eam consequuntur.* Verùm in iis loqui Augustinum de voluntate consequente, non antecedente, demonstrat. Tum eodem modo Fulgentium exponit, quem etiam Beza, & nouus Doctor pro sua opinione producunt.

Quartò, *Ista expositio*, inquit Aduersarius, *refellitur ex causa paruulorum, qui sine baptismo, & consequenter sine salute, & veritatis agnitione moriuntur.* Eandem rationem vrget Beza fol. 316. Eámque dissoluit Paulus de Windeck pag. 167. *Tertiò*, inquit, *obiicit Beza exempla paruulorum, qui lumine Euangelij nequaquam collustrati, extra statum gratiæ decedunt. Quorum conuersionem Deum voluisse, absurdum censet Beza dicere*, &c.

Quintò, *Quod pro ista*, inquit, *recentiorum interpretatione multi veteres proferuntur, non multum ei conciliat auctoritatis. Quid enim iuuat, quod istum sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, aliíque Græci secuti esse dicantur, cùm Chrysostomus, quem sequi solent, ante subortas de diuina gratia difficultates, commentarios suos exarauerit, nec vlli imperfectiùs de gratia, quàm Græci locuti sint.* Quid porrò velit, cùm Græcos ait de gratia imperfectiùs locutos fuisse, clariùs exponit tom. 1. capite 17. vbi

disertè profitetur, *Scriptores inter Origenis & Augustini ætatem intersectos, in eundem scopulum*; id est in Semi-Pelagianam hæresim, *impegisse*; ac præcipuè, *Græcos qui Origenem plerique in scripturarum explicatione sectati sunt.* Quæ omnia ex Caluino, aliisque sectariis descripta sunt. Caluinus quidem l. 2. Instit. cap. 2. num. 4. *Græci*, inquit, *præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt. Veteres autem omnes, excepto Augustino, sic hac in re, aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.* Magdeburgenses verò Cent. 5. cap. 5. de Chrysost. ita scribunt: *Chrysostomus bonorum operum est Encomiastes, qui & Synergiam voluntatis passim defendit, & liberi arbitrij patronum agit.* De aliis verò Græcis Patribus eadem passim docent, Magdeburgenses iidem, Centuria 2. 3. 4. & Scultellus l. 2. 3. & 4. vbi sæpe inculcat *eos ita scribere, vt Pelagius ipse vix ausus fuerit pari libertate pronuntiare.*

Sextò, opinionem suam D. Thomæ auctoritate firmare nititur. *Hæc doctrina*, inquit, *recta & sana est, quam & S. Thomas probat, & sequitur*, &c. Eundem opinionis suæ patronum quæsiuit Beza, vt testatur Paulus de Windeck pag. 170. *Ita etiam*, inquit, *cum Augustino accipiendus est D. Thomas, quem nobis, ô vesanam impudentiam! obicit Beza, quia de hac controuersia iudicium D. Thomæ gratum sibi, & honorificum ducit*, &c.

Septimò, ait difficultate carere quod ex D. Petro obiicitur: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quia præcessit, *patienter agit propter vos; Hoc est*, inquit, *propter electos.* Beza in Apologia toties citata pag. 515. eodem modo se ex illo D. Petri loco extricat, *De solis*, inquit, *electis intelligi debet, quia dicit patienter agit propter vos: fideles autem alloquitur.*

Qui hæc legerit, mihi certè non irascetur, si Aduersario sua hæc verba refundam: *Mirum est illum tanto studio trita Hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere.*

PARAGRAPHVS III.

Ex iisdem Hæreticis descriptum est, quod noua opinio decernit, Christum pro omnibus hominibus non esse mortuum.

Libro 5. de gratia Christi, cap. 21.

PARVM fuit nouæ opinioni Dei bonitatem tam angustis limitibus coërcere, Christum quoque reprobis omnibus mediatorem inuidet, cúmque pro solis prædestinatis mortem obiisse decernit. Scire appetis vnde postremis hisce temporibus nata sit hæc opinio? Consule Paulum de Windeck acerrimum Catholicæ fidei aduersus Lutheranos & Caluinistas defensorem. Librum super ea re integrum scripsit, cui titulus est: *Controuersiæ de mortis Christi efficacia, inter Catholicos & Caluinistas hoc tempore disputatæ. In quibus Caluinistarum errore destructo, confirmatur veritas Catholica, contra quam,* CHRISTVM NON PRO OMNIVM HOMINVM SALVTE MORTVVM ESSE, HORRIBILITER BLASPHEMANT PROFESSORES CALVINISMI GENEVENSES, BASILEENSES, HEIDELBERGENSES, TIGVRINI, BERNENSES, &c. Et capite 12. procemij editionis Coloniensis anni 1603. pag. 34. quærit: QVINAM NOSTRO SECVLO ASSERTORES FVERINT STVPENDÆ HVIVS BLASPHEMIÆ, CHRISTVM NON PRO OMNIVM SALVTE MORTVVM ESSE. Respondet: HVIVS NOVI ET BLASPHEMI DOGMATIS SEMINA IECERVNT LVTHERVS ET MELANCHTON. *Hos impietatis Magistros secutus Bucerus asserit in commentariis super Ioan. pag. 34. Christum tantùm electorum peccata morte sua expiasse. Hanc doctrinam præmonstratore Bucero auidè Caluinus arripuit, qui in caput 17. Ioan. scribens ait: Christum proprij gregis solummodò fuisse solicitum: quódque pro electis suis duntaxat orauit. Et libro contra Heshusium affirmat carnem Christi pro impiis non esse crucifixam, nec*

sanguinem eius pro eorum peccatis expiandis effusum esse.

Alij quoque Doctores Catholici eandem opinionem Caluinistarum propriam esse testantur. Quos inter Malderus Episcopus Antuerpiensis 1. 2. quæst. 3. dub. 5. membro 1. ita loquitur: OPINIO ILLA CALVINISTARVM, QVÆ NEGAT PRO OMNIBVS ET SINGVLIS HOMINIBVS CHRISTVM MORTVVM ESSE, TOLERANDA NON EST. Et in Antisynodicis capite 7. num. 3. *Beza eandem blasphemiam cum suis defendit: nempe, Christum pro solis electis mortuum.* VERENDVM, NE TANDEM CVM TVRCIS HOMINES ISTI DICANT, PRO NEMINE CHRISTVM ESSE MORTVVM. Ibidem vocat hanc Caluinistarum opinionem ABOMINANDVM DOGMA, atque *errorem verè grauem, &* ANTICHRISTIANVM. Franciscus Feu-ardentius Theomachiæ Caluinisticæ l. 5. cap. 15. cui titulum fecit: *Quod Christus pro cunctis in vniuersum hominibus passus & mortuus sit, aduersus vigesimum quartum* ERROREM. Multa differit quibus illam opinionem erroris insimulat. Nam primò sic auspicatur: *Hoc etiam inter vestrorum errores numero, quod in fidei Geneuanæ Clypeo recensetur, nimirum, Iesum Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse.* Deinde: *Meum est igitur euincere* HANC SENTENTIAM PLANÈ ERRONEAM, AC DIVINIS LITTERIS ADVERSAM ESSE. Quod vbi ex scripturis euicit, ita concludit: *Vester igitur potiùs ex fœno, quàm ferro compactus, vt pestifer ac funestus, Clypeus procul amandandus est: &* HÆRESIARCHÆ VESTRI ALTERA SENTENTIA IMPIETATIS DAMNANDA, QVA SOLOS ELECTOS CHRISTO CVRÆ FVISSE IVDICAVIT. Eadem scribit Guillelmus Reginaldus libro 3. Caluino-Turcismi c. 22. Nam & in argumento capitis ita loquitur: *Christus Caluino & Caluinistis non est vniuersalis omnium redemptor, sed tantummodo paucorum eorum, qui sunt electi.* Et initio capitis, vbi dixit, *Geneuenses negare Christum fuisse mortuum pro peccatis omnium hominum,* sub-

dit: *Hæc propositio tam est frequens in omnibus Caluinistarum libris, vt nihil magis.* Quam opinionem ait vergere ad *Mahumetismum, Atheismum, Antichristianismum, & Satanismum.* Claudius verò de Sainctes Episcopus Ebroicensis in Atheismis Caluini pag. 321. *Mira est*, inquit, *Bezæ fæcunditas in blasphemiis euomendis, vt iam recitaui, &c. Hîc addit Christum non obtulisse redemptionem pro vno quoque, nec mortuum esse pro omnibus, sed pro solis Electis, ac Prædestinatis ad vitam æternam.* Denique Franciscus Veron qui in vestigandis, confutandisque Caluinistarum blasphemiis tot annos summa cum laude fructúque versatur, hanc esse Caluinistarum opinionem testatur Controuers. pag. 637. & 638. quam ibi BLASPHEMAM vocat, & pag. 776. IMPIAM. Illud ipsum testantur Iodocus Coccius lib. 2. Thesauri art. 7. Dominicus Grauina in Præscriptionibus aduersus Hæreticos p. 671. Richardus Smitheus in collatione doctrinæ Catholicorum cum doctrina Protestantium c. 2. art. 19. & Benedictus à Benedictis in iaculis Ecclesiæ, p. 40.

Certauit pro hac opinione quasi pro Caluinisticæ factionis arce Theodorus Beza in Colloquio Mompelgattensi, vt constat ex eiusdem Colloquij actis pag. 546. 547. 548. vbi sæpiùs inculcat: *Christum pro impiis non effudisse sanguinem.* Et in secunda responsione ad illud Colloquium pag. 216. *Impium est*, inquit, *& blasphemum affirmare, damnari posse quemquam, pro quo Christus satisfecerit.* Pagina verò 221. ait, *Falsum, blasphemum, impium esse dicere Christum, siue quoad consilium Dei attinet, siue quoad effectum*, pro reprobis *crucifixum & mortuum esse.* Consentit Zanchius in summa prælectionum tomo 7. col. 272. *Christus*, inquit, *secundum propositum patris pro ipsis tantùm electis natus, precatus, mortuus, passus est.* Et Perkinsius de prædestinatione tomo 1. col. 1023. *Christus electorum solummodo, & nullorum præterea redemptor existit.* Ibidem col. 144. *Christum omnes & singulos ex parte sua redemisse & reconciliasse Deo, ex his tamen plurimos*

quoad euentum damnari, mirè absurdum est. Piscator quoque in Thesibus l.2. pag. 371. *Non pro omnibus in vniuersum hominibus, sed pro solis electis mortuus est Christus.* Quibus addi possunt Riuettus in Controu. Tract.3. sect. 35. Benedictus Aretius par. 2. prob. fol. 868. Sadeel ad art. abiurat. 7. pag. 425. Chamierus tomo. 3. l. 9. cap. 13. Simon Simonius contra Schegkium l. 2. fol. 24. Geselius in Specimine, capite 9. Triglantius in declaratione sua. Iacobus Grynæus in Theoremate ann. 1589. disputato. Item, in volumine 4. problem. disputatione habita 4. Iun. anni 1590. & in Thesauro veræ fidei, Classe 1. loco 7. Thesi 13. Bucerus apud Hospin. part. 2. Histor. fol. 109. Dauid Pareus in Apologia Bibliorum Neostadij excusorum fol. 97. & 45. 46. Addi quoque possunt iurata Caluini mancipia Gualterus, Bullingerus, Pezelius, Crucigerus, Boguinus, Pincerius, Clebitius, Sibrandus, Lubbertus, qui illud passim acriter propugnant: & Abrahamus Musculus, Daniel Tossanus, Iacobus Kimedoncius, ac Ministri Palatinatus, qui de hac Caluini opinione libros integros, tractatúsque amplissimos ediderunt.

Transcripta est in Caluinianæ fidei articulos eadem sententia, ex quo illam Dordrechtana Synodus sua auctoritate sanciuit. cap. 2. art. 6. sic habet: *Reiicit Synodus errorem eorum, qui impetrationis, & applicationis distinctionem vsurpant, vt incautis & imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur.* Mox: *Nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.* Illud ipsum repetunt acta eiusdem Synodi in examine articuli 2. Editionis Hannouiensis anni 1620 pag. 300 Conspirant in eandem opinionem exterarum gentium Caluinistæ, quorum iudicia in eiusdem Conuenticuli acta relata sunt. Pagina 601. suam hanc esse sententiam profitentur Caluinistæ

Angli: pag. 609. Palatini: pag. 617. Hassiaci: pag. 625. Heluetij: pag. 628. Nassouio-Weteranici: pagina 635. Geneuenses: pagina 656. Bremenses: pagina 658. Embdenses. Iurant in eandem opinionem, & contrariam Pelagianismi arguunt Ministri Belgæ, quorum iudicia separato in volumine edita, cum iisdem Dordrechtanæ Synodi actis compingi solent. Accedunt Galli Caluinistæ, qui in nationali Synodo Alesina, anno 1620. hanc sententiam ad Caluinisticæ opinionis fidem pertinere decreuerunt, & contrariam vt Pelagianam, & Papisticam reiecere. Quod & vberiùs præstiterunt in altera Synodo nationali Carentonij habita anno 1623. Possem hîc appellare ex eâdem Caluini Scholâ Robertum Sarisburiensem, Amesium, Molinæum, Perkinsiū, Drelincourt, alióſque complures: Qui postremi pluribus probare conati sunt, *Sine Pelagiano errore affirmari non posse, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse:* Quíque hoc nomine Pelagianismi insimulant illud Concilij Tridentini Sess. 6. cap. 3. *Etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.* Verùm ne longior sim, hæc omnia prætermitto. Vnum id moneo, rectè à Guillelmo Reginaldo obseruatum fuisse libro 3. Caluino-Turcismi capite 22. Caluinistas pro hac opinione sua defendenda singulis fere annis nouum librum edere. Quamobrem Ioannes Malderus cùm de hac Caluinistarum opinione ageret in Anti-Synodicis pag. 121. vbi pauca Theodori Bezæ aliorúmque testimonia protulit, quibus eos ita sentire conuinceret, subdit: *Pluribus opus non est: adeo solemnis hæc fuit, & est doctrina Caluinistarum.*

Porrò quantum horroris hæc doctrina ipsis quoque sectariis incusserit, ex scriptoribus Catholicis Francisco Feu-ardentio & Paulo de Windek paucis docebo. Hic libro *de efficacia mortis Christi* pag. 268. ita scribit: *Refert Samuel Huberus in historia colloquij Bernensis pag. 162.*

quendam ex Caluinianis praconibus Berna, cùm die Palmarum pro concione hanc in auditu Christianorum horrendam doctrinam, Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse, docuisset, multos noui Euangelij alumnos in dubitationem de gratiâ & propitiatione Christi desperationi proximam coniecisse; adeo vt festo Paschatis multi ad Cœnam Zuinglianam accedere detrectarint, ne se hoc mysterio pollueren, cuius sumptione incerti essent, an pro ipsorum peccatis Christus redemptionis sua pretium exoluisset. Simile est quod narrat Feuardentius l. 5. Theomachiæ Caluinisticæ cap. 15. *Beza coram Principe Friderico vniuersóque Germanorum & Gallorum cœtu concionante, &c. Cùm tam absurda, horrenda & manifestè impia diceret de morte Christi, quòd videlicet non pro omnibus peccatis, & peccatoribus sit mortuus: Illustrissimus Princeps Comes Fridericus Dominum Iacobum monuit, vt finem Colloquio imponeret. Pertasa enim erat Celsitudo eius talia ampliùs audire, &c.* Tum subnectit: *Ex quibus Caluiniani animaduertere possunt, se ob istas admissas in Christum frequentes, & graues* BLASPHEMIAS, *meritò odiosos factos esse Deo, & Angelis, & hominibus.* Inde factum est vt Lutherani complures ab hac Caluinistarum sententia defecerint. Labechius in disp. 6. pag. 127. *Caluiniani*, inquit, *affirmant Christum pro solis electis, & non pro omnibus hominibus mortuum esse, quâ blasphemiâ non solùm Christum honoris, & Ecclesiam consolationis maxima parte spoliant, verùm etiam Spiritui sancto in os contradicunt.* Et Iacobus Andreas apud Bezam in responsione ad acta Colloquij Montisperg. pag. 212. *Horrenda*, inquit, *doctrina Bezæ, Christum non esse pro totius mundi peccatis mortuum.* Eadem scribunt Adamus Francisci loco 17. Guerlachius tomo 2. disput. 16. & Grauerus in absurdis Caluini cap. 5. §. 58.

Neque hîc omittendum est, veritatem habere quod tradit Ioannes Malderus Episcopus Antuerpiensis, loco superiùs citato ex Anti-Synodicis cap. 7. num. 3. Nimirum, timendum esse, ne qui hanc opinionem acriùs

defendunt, in Turcarum impietatem delabantur. Malderi verba ſunt : *Beza eandem blaſphemiam cum ſuis defendit : nempe, Chriſtum pro ſolis electis mortuum eſſe*, &c. VERENDVM, NE TANDEM CVM TVRCIS HOMINES ISTI DICANT, PRO NEMINE CHRISTVM ESSE MORTVVM. Quàm id ſapienter, & verè doctiſſimus Epiſcopus affirmârit, conſtat ex Paulo de Windek, qui libro citato pag. 269. teſtatur Caluiniſtas plurimos ex hac opinione veniſſe in dubitationē de gratia & propitiatione Chriſti deſperationi proximam, ac tandem eiuratis Chriſtianorum ſacris ad Arianiſmum, aut Mahumetiſmum defeciſſe. Quos inter numerat Adamum Nuſerum, olim Heïdelbergenſium Paſtorem primarium, poſtea verò Turciſmi profeſſorem Conſtantinopoli; Stancarum, Georgium Blantratam, Paulum Alciatum, Valentinum Gentilem, Franciſcum Danidem, Lælium Zozinum, Eraſmum Ioannis, Franciſcum Nigrum, Mathæum Gribaldum, Petrum Statorium, Ioannem Syluanum, Bernardum Ochinum, Lyſmanium, Franconem, & Sternbergerum. Reginaldus multò expreſſiùs pro Maldero facit lib. 3. c. 22. pag. 669. *Notari*, inquit, *velim ordinem & progreſſionem huius Euangelij Caluiniani, vergentis fortaſſe non ſemper ad* MAHVMETISMVM, *ſed planè ad* ATHEISMVM, *vel Antichriſtianiſmum, & Sataniſmum. Primùm vocant in quæſtionem, an Chriſtus ſit vniuerſalis redemptor omnium, an paucorum tantùm : & concludunt, libríſque in dies multiplicatis defendunt : paucorum*, &c. Hæc eſt illa ianua quam ad Mahumetiſmum Caluiniſtæ aperiunt, de qua Conradus Schulſſelburg. libro 1. Theolog. Caluiniſticæ art. 2. fol. 10. ſic loquitur : *Caluiniſtæ hominibus ad Arrianiſmum & Mahumetiſmum feneſtram & ianuam aperiunt.* Et fol. 9. *Caluiniſtæ alunt in pectore impietatem Arrianam & Turcicam, quæ non rarò ſuo tempore palàm ſe prodit.* Quia nimirum Chriſti redemptionem ita paulatim extenuant, vt tandem nullam faciant. Qua de cauſa Ioannes

nes Schutz non ignobilis Germanicæ Theologiæ Doctor in libro quinquaginta causarum causâ 48. ait, *Mahumetismum, Arrianismum, & Caluinismum esse tres fratres, & sorores, tres caligas eiusdem panni.* Facit etiam ad Malderi opinionem confirmandam, quod habet idem Reginaldus libro 3. Caluino-Turcismi cap. 22. Nam cùm in titulo dixisset, *Christum Caluino, & Caluinistis non esse vniuersalem omnium redemptorem, sed tantummodò paucorum, eorum qui sunt electi:* statim in ingressu capitis ait, existimare se Caluinum ob hanc maximè blasphemiam tam funesta morte perculsum fuisse, *Vt desperata salute, dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, & blasphemans miserrimè animam malignam exhalarit.*

Id ego strictim obseruatum volui, vt constaret eruditum Præsulem multò timere prudentiùs, cùm ait: *Verendum, ne tandem cum Turcis homines isti dicant, pro nemine Christum esse mortuum;* quàm Aduersarij, qui timere se profitentur, ne quis ex nobis afferat, Christum pro brutis animantibus esse crucifixum. Nam in Apologia prima, vbi hunc D. Pauli locum: *Qui est redemptor omnium hominum, maximè fidelium*, nobis conati sunt extorquere, ita concludunt: *Et verò timendum est, ne inueniantur, qui ex hoc loco probare contendant, Christum non hominum modò, sed etiam bestiarum esse redemptorem.* Quod dicterium mutuati sunt ex Caluinistis Palatinatus in refutatione Scalæ aureæ. Sed nescio quo casu in eo describendo, aut Gallicè vertendo turpiter errauerunt. Nam quod Caluinistæ de hoc loco, *Homines & iumenta saluabis Domine*, ineptè quidem, at cum aliquo probabilitatis colore dixerant: timendum esse, ne quis inde colligeret, Christum esse iumentorum saluatorem: hoc Aduersarij ad hæc D. Pauli verba, *Qui est saluator omnium hominum*, in quæ nullo prorsus modo conuenit, accommodant. Verùm istud non vrgeo, cùm Traductoris error fuerit.

Et certes il est à craindre, qu'il ne se trouue des personnes, qui entreprennent de prouuer par ce passage, que Iesus-Christ est le Redempteur, non seulement des hommes, mais aussi des bestes. Apologie premiere pag. 115.

At ne quis in posterum eiusmodi timor Aduersariis

defendunt, in Turcarum impietatem delabantur. Malderi verba sunt: *Beza eandem blasphemiam cum suis defendit: nempe, Christum pro solis electis mortuum esse*, &c. VERENDVM, NE TANDEM CVM TVRCIS HOMINES ISTI DICANT, PRO NEMINE CHRISTVM ESSE MORTVVM. Quàm id sapienter, & verè doctissimus Episcopus affirmârit, constat ex Paulo de Windek, qui libro citato pag. 269. testatur Caluinistas plurimos ex hac opinione venisse in dubitationẽ de gratia & propitiatione Christi desperationi proximam, ac tandem eiuratis Christianorum sacris ad Arianismum, aut Mahumetismum defecisse. Quos inter numerat Adamum Nuferum, olim Heïdelbergensium Pastorem primarium, postea verò Turcismi professorem Constantinopoli; Stancarum, Georgium Blantratam, Paulum Alciatum, Valentinum Gentilem, Franciscum Dauidem, Lælium Zozinum, Erasmum Ioannis, Franciscum Nigrum, Mathæum Gribaldum, Petrum Statorium, Ioannem Syluanum, Bernardum Ochinum, Lysmanium, Franconem, & Sternbergerum. Reginaldus multò expressiùs pro Maldero facit lib. 3. c. 22. pag. 669. *Notari*, inquit, *velim ordinem & progressionem huius Euangelij Caluiniani, vergentis fortasse non semper ad* MAHVMETISMVM, *sed planè ad* ATHEISMVM, *vel Antichristianismum, & Satanismum. Primùm vocant in quæstionem, an Christus sit vniuersalis redemptor omnium, an paucorum tantùm: & concludunt, librísque in dies multiplicatis defendunt: paucorum*, &c. Hæc est illa ianua quam ad Mahumetismum Caluinistæ aperiunt, de qua Conradus Schulsselburg. libro 1. Theolog. Caluinisticæ art. 2. fol. 10. sic loquitur: *Caluinistæ hominibus ad Arrianismum & Mahumetismum fenestram & ianuam aperiunt.* Et fol. 9. *Caluinistæ alunt in pectore impietatem Arrianam & Turcicam, quæ non rarò suo tempore palàm se prodit.* Quia nimirum Christi redemptionem ita paulatim extenuant, vt tandem nullam faciant. Qua de causa Ioannes

nes Schutz non ignobilis Germanicæ Theologiæ Doctor in libro quinquaginta causarum causâ 48. ait, *Mahumetismum, Arrianismum, & Caluinismum esse tres fratres, & sorores, tres caligas eiusdem panni.* Facit etiam ad Malderi opinionem confirmandam, quod habet idem Reginaldus libro 3. Caluino-Turcismi cap. 22. Nam cùm in titulo dixisset, *Christum Caluino, & Caluinistis non esse vniuersalem omnium redemptorem, sed tantummodò paucorum, eorum qui sunt electi:* statim in ingressu capitis ait, existimare se Caluinum ob hanc maximè blasphemiam tam funesta morte perculsum fuisse, *Vt desperata salute, dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, & blasphemans miserrimè animam malignam exhalarit.*

Id ego strictim obseruatum volui, vt constaret eruditum Præsulem multò timere prudentiùs, cùm ait: *Verendum, ne tandem cum Turcis homines isti dicant, pro nemine Christum esse mortuum;* quàm Aduersarij, qui timere se profitentur, ne quis ex nobis afferat, Christum pro brutis animantibus esse crucifixum. Nam in Apologia prima, vbi hunc D. Pauli locum: *Qui est redemptor omnium hominum, maximè fidelium*, nobis conati sunt extorquere, ita concludunt: *Et verò timendum est, ne inueniantur, qui ex hoc loco probare contendant, Christum non hominum modò, sed etiam bestiarum esse redemptorem.* Quod dicterium mutuati sunt ex Caluinistis Palatinatus in refutatione Scalæ aureæ. Sed nescio quo casu in eo describendo, aut Gallicè vertendo turpiter errauerunt. Nam quod Caluinistæ de hoc loco, *Homines & iumenta saluabis Domine*, ineptè quidem, at cum aliquo probabilitatis colore dixerant: timendum esse, ne quis inde colligeret, Christum esse iumentorum saluatorem: hoc Aduersarij ad hæc D. Pauli verba, *Qui est saluator omnium hominum*, in quæ nullo prorsus modo conuenit, accommodant. Verùm istud non vrgeo, cùm Traductoris error fuerit.

Et certes il est à craindre, qu'il ne se trouue des personnes, qui entreprennent de prouuer par ce passage, que Iesus-Christ est le Redempteur, non seulement des hommes, mais aussi des bestes. Apologie premiere pag. 115.

At ne quis in posterum eiusmodi timor Aduersariis

obrepat, monendi sunt nos abesse multùm ab Ottonis Brunsfelsij errore, qui libro de Pandectis Euangelicis docet, *Christi crucem non solùm hominibus, sed & Angelis profuisse, & omnem creaturam cruore sui Domini purgatam esse.* Absumus quoque ab opinione Samuelis Huberi Lutherani, qui in disputatione publica Bernæ anno 1588. habita, pugnauit, *Christum ex proposito Patris, etiam pro Diabolis è damnatione liberandis passum esse.* Discrepamus etiam à Francisco Paccio Filidino, qui libello Goudæ edito centum & viginti rationibus contendit, *Gratiam Christi, per meritum passionis eius obtentam, in omnibus & singulis hominibus non sufficientem tantùm, sed & efficacem esse.* Denique multùm distamus à fanatico Smidelini paradoxo, qui teste Pareo in Apologia Bibliorum Neostadij excusorum fol. 97. docuit *Christum omnium hominum peccata efficienter, & actualiter deleuisse.* Sed ex Concilij Tridentini mente sess. 6. cap. 3. statuimus, *Christum quidem pro omnibus mortuum esse:* id est pro singulis hominibus Deo patri mortem suam obtulisse, *Non omnes tamen mortis eius beneficium recipere; sed eos duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.* Sic planè, vt redemptor sit omnium hominum, maximè fidelium. Communem hanc opinionem pluribus oppugnat Nouus Doctor lib. 3. de gratia Christi cap. 21. sed iis armis quæ ex Caluino, Beza aliisque Sectariis mutuatus est.

Primò, ait hanc opinionem *iam olim ad nauseam vsque à Pelagianis, præsertímque Massiliensibus inculcatam fuisse.* Ita Caluinistarum proceres in Synodo Dordrechtana pag. 3. vbi hunc Remonstrantium articulum: *Christus pro omnibus, & singulis mortuus est:* his verbis refellere aggrediuntur: *Rem non nouam agunt Remonstrantes hoc articulo. Olim enim Semi-Pelagiani Massiliæ, & Syracusis eundem tuebantur.* Quæ repetunt pagina 354. numero 6.

Secundò, ad communem opinionem videtur acce-

dere, cùm ait, *Christum se dedisse redemptionem pro omnibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omnino efficaciter, quia non omnibus applicatur ista redemptio.* Sed illud postea ita exponit, vt neget Christum pro omnibus mortem suam Patri obtulisse, nec alio sensu pro singulis sufficienter esse passum, quàm quia mors illius, si pro singulis fuisset oblata, expiandis eorum peccatis suffecisset. Eâdem arte Kimedoncius, Beza, & Bataui Caluinistæ vtuntur, vt Sanctorum Patrum auctoritatem defugiant, qui Christum pro singulis hominibus mortuum esse disertè tradiderunt. Bataui quidem in specimine Amsterodamensi art. 43. ita loquuntur: *Quamuis passio Christi in se ipsa sufficiens fuerit redimendis omnibus hominibus, non est tamen ipse secundùm consilium, mandatum, & commissionem sui Patris mortuus pro omnibus hominibus.* Et Delegati Classis Walachrianæ: *Nostri*, inquiunt, *docent sufficere quidem Christi mortem, quoniam ob personæ dignitatem est infiniti pretij, omnibus omnium hominum peccatis abolendis; morti tamen traditum esse tantùm pro electis.* Beza verò in Thesibus Theologicis Geneuæ excusis folio 129. *Fatemur tanti esse hanc oblationem, vt potuerit pro infinitis mundis satisfacere, nedum pro singulis hominibus vnius, si Deus eorum omnium voluisset misereri, & pro omnibus filium misisset.* Nihilominus tamen *siue consilium Dei, siue passionis effectum, siue vtrumque spectaueris, pro impiis nullo modo est mortuus.* Vnde illud Scholasticorum *Christus mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter, non efficaciter*, repudiandum docet. Idem tradunt Piscator contra Schafmannum, Triglantius in declaratione, & Kimedoncius Synopsi de redemptione pag. 59.

Tertiò, vniuersim pronuntiat sanctum Augustinum docuisse, Christum pro solis electis mortuum esse. Ita Beza in Actis Colloquij Bernensis pag. 222. Kimedoncius in Synopsi de redemptione pag. 89. & Grinæus tom. 4. Problem. pag. 371. Hinc illud Pauli de Win-

deck libro de efficacia mortis Christi pag. 238. *Sanctus Augustinus totus à nostris stat partibus, licèt eum magnoperè reluctantem in sua castra pertrahere conentur Caluinistæ.* Ostendam paulò pòst omnia Augustini testimonia, quæ in hanc rem Aduersarij proferunt, ex Caluinistis esse descripta.

Quartò, alios quoque Patres in huiusce opinionis suæ præsidium vocat, & affirmatiuè asserit pag. 164. *Iuxta doctrinam antiquorum pro omnibus omninò Christum non esse passum aut mortuum.* Beza quoque in secunda Apologia ad Acta Colloquij Monpelgartensis fol. 216. 217. profitetur, *paratum se non solùm ad publicam reuocationem, sed etiam ad durissimam pœnam, si quis ei ex veteri scriptore demonstrauerit, Christum pro infidelibus mortuum esse.*

Quintò, quod ait Apostolus, *Christum se dedisse redemptionem pro omnibus*, ita exponit: *Hoc est pro vniuersa Ecclesia sua toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus.* Eadem scribit Kimedoncius Synopsi de Redempt. pag. 51. vbi docet in citato Apostoli loco particulam, *omnes*, genera tantùm omnia notare. Quod pluribus Beza contendit, vt refert Claudius de Sainctes in Atheismis Caluini, & Bezæ pag. 311. 312.

Sextò, illud 1. Ioan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* sic explicat pag. 162. *Hoc est non pro nostris tantùm Iudæorum, sed etiam Gentilium, ex quibus vna constituitur toto mundo fidelium Ecclesia.* Quem locum iisdem fere verbis exponit Beza in Colloq. Monpelgartensi folio 313. Pugnat enim Ioannem velle, *Christum non solùm esse propitiationem pro Iudæorum, sed etiam pro gentium populis, qui crediderunt & prædestinati sunt.* Quam expositionem sequitur Grinæus tertia parte Problem. edita anno 1590. p. 35. vbi contendit vocem mundi *florem generis humani, id est, cœtum Prædestinatorum denotare.* Eandem sequuntur Kimedoncius in Synopsi pag. 91. Zan-

chius Miscel. fol. 200. Sarisbur. pag. 38. & Ministri Palatinatus in Refutatione Scalæ aureæ pag. 94. 95. 96. 98. Qui omnes huic confirmandæ explicationi illa ipsa S. Augustini testimonia adhibent, quæ ab Aduersario proferuntur. Primus est ex Tractatu 87. in Ioannem. Secundus ex epist. 48. Tertius ex Tractatu 55. Quartus ex Tractatu 1. in epist. Ioan. Quæ omnia nihil communi sententiæ incommodare docet Paulus de Windeck pag. 94. & 105. vbi ita auspicatur: *Caluinistæ crambem sæpius recoctam ad nauseam vsque repetunt, & ingerunt, quòd voce mundi non designetur generis humani vniuersitas, sed credentium tantùm, id est, electorum. Ne teste careant, sese muniunt auctoritate D. Augustini,* &c.

Septimò, sententiam suam probare nititur ex his Christi verbis Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Illud ipsum faciunt Ministri Embdenses, qui in actis Dordrechtanæ Synodi pag. 658. ita pronuntiant: *Christus pro solis ouibus suis, hoc est electis, nequaquam autem pro hœdis animam suam posuit ex Ioannis* 10. &c. Acriùs premit hoc argumentum Iacobus Grinæus tertia parte Problematum pag. 29.

Octauò, vrget illud ad Ephesios 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Vt inde colligat Christum pro solis electis seipsum obtulisse. Quo etiam argumento vtuntur Caluinistæ Palatinatus in refutatione Scalæ aureæ pag. 21. *Christus*, inquiunt, *se tradidit pro ea Ecclesia, quam saluauit: At soli Prædestinati sunt in hac Ecclesia; ergo pro solis Prædestinatis Christus se in mortem tradidit.* Simillima docent Kimedoncius in Synopsi pag. 93. & Synodus Dordrechtana apud Malderum in Anti-Synodicis cap. 7.

Nonò, eodem torquet quod habetur apud Matth. cap. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum:* Kimedoncij exemplo, qui in Synopsi Thesi 50. ita loquitur: *Christus saluat populum suum à peccatis Matth.* 1. *At infideles & alij reprobi non accensentur populo suo; ergo,*

&c. Quod argumentum etiam vsurpant Tossanus, Heidelbergensis Minister Thesi. 22. & Grynæus tom. 4. Problem. pag. 371.

Decimò, indicat pag. 165. idcirco Christum pro reprobis non orasse, nec se redemptionem obtulisse, quia sciuit, quinam ab æterno prædestinati essent. Malderus in Anti-Synodicis cap. 7. testatur Dordracenæ Synodi Patres proscriptos ita ratiocinari: *Non est verisimile Christum, cui omnis potestas in cælo, & in terra data fuit, intendere aliquid sapientissimo consilio potuisse, cuius effectum assecuturus non esset; non ergo intendit liberare, quos sciebat damnandos.* Reliquum, esset vt ostenderem ex Caluinistis esse descripta, quæ de Concilio Valentino, Ecclesia Lugdunensi, & Prædestinatianis subtexit, sed istud posterius suo loco commodiùs exequar, cùm sub finem huius capitis demonstrabo, nihil illum de Prædestinatianorum hæresi scripsisse, quod ex Iacobo Vsserio Caluinista non hauserit.

Cæterùm si in hoc primo nouæ opinionis consectario fui prolixior, non mea, sed Aduersarij culpa fuit. Quia hac in parte, quam præ cæteris sibi arrogat, tot rapinas & furta commisit, vt vel breuis eorum indiculus non potuerit non esse longior.

PARAGRAPHVS IV.

Secundum consectarium, quo negant laudis aliquid ex opere bono in nos redundare, ex recentioribus Hæreticis depromptum est.

Libro de grat. primi hominis cap. 15.

NOLVNT Aduersarij laudis aliquid ex bonis operibus homini tribui, atque id ex arcana vtriusque adiutorij intelligentia fluere necessariò, ac consequi putant. Est hæc, inquiunt, gratiæ sanitatis natura, vt aliquam ex opere bono laudem homini relinquat, quia cùm voluntas eam admittere, aut repudiare possit, laudi-

illi vertitur, si admittat. Hinc est, quòd Angeli, qui gratiam sanitatis habuerunt, sibi tribuere possunt, quòd steterint: hinc etiam, quòd gloriam, non vt donum aliquod, sed vt mercedem, ac præmium acceperunt. At cùm gratia medicinalis bene agendi necessitatem imponat, nec sit in hominis potestate eâ vti, vel non vti: certè nihil sibi tribuere potest, qui eâ vtitur, & bene agit, neque gloriam, vt mercedem, ac præmium, sed vt donum accipiet. Hæc sunt reconditiora noui dogmatis mysteria, quæ vt plausibiliùs exponant, aiunt impium esse, atque sacrilegum, iustificationis nostræ laudem partiri cum Deo; nec minùs peccare eos, qui ita faciunt, quàm qui dicata cultui diuino templa sacrilegâ impietate diripiunt, & expilant.

Non absimili zelo flagrabat Caluinus, cùm in Tridentinos Patres inueheretur, quòd statuissent, ita nos præueniri gratiâ, vt nostræ postea sit electionis illi assentiri, vel dissentiri. Id verò impium, sacrilegum, Pelagianum esse vociferatur Caluinus, quòd inde sit consequens, aliquam ex opere bono laudem in nos refundi. Audi loquentem in Antidoto ad sessionem 6. *Sexto capite asserunt, gratiâ Dei nos præparari ad percipiendam iustitiam:* SED HVIC GRATIÆ PARTES ASSIGNANT EXCITANDI, ET ADIVVANDI, VT IPSI LIBERÈ COOPEREMVR: *nempe putidas nænias hîc audimus, quas in scholis deblaterare sophistæ solent,* &c. *Paulus totum Deo vindicat: isti nihil ei præter adminiculum acceptum ferunt.* SED IN QVO HOMINEM DEO SOCIVM ADIVNGVNT? QVIA GRATIAM DEI, QVAM REPVDIARE POSSET, LIBERÈ RECIPIT. *Quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ à Propheta describitur! Sed hoc est scilicet, quod ab Augustino traditum est: laborant, inquit, homines, vt inueniant in nostra voluntate, quid boni sit nostrum.*

Hunc Augustini locum, quem Aduersarij hac in materia perpetuò nobis occinunt, plus tricies iterat

Caluinus : prosequitur , & vt omne nobis meritum adimat, eâdem viâ ingreditur, quâ Aduersarij: nimirum efficere conatur, non ita gratiam offerri, vt eius receptio à libera voluntatis electione pendeat. *Excudunt autem Neptunij Patres in noua officina, quod Augustino fuit ignotum : non esse ex Deo gratiæ receptionem, quia libero propriæ voluntatis motu, Deo vocanti assentimur. At repugnat Scriptura, quæ Deum auctorem facit bonæ voluntatis.* ALIVD EST, MOVERI A DEO VOLVNTATEM, VT OBSEQVATVR, SI LIBEAT: ALIVD AVTEM FORMARI, VT BONA SIT. PORRÒ NON SE FACTVRVM PROMITTIT DEVS, VT POSSIMVS BENE VELLE: SED VT BENE VELIMVS. *Immo vltrà progreditur, cùm dicit, faciam vt ambuletis, quod diligenter ab Augustino annotatum est.* Hinc est, quod iam inde ab initio Antidoti sextæ sessionis, Tridentini hac de re doctrinam in hæc verba contraxerat. *Nihil aliud continet eorum definitio, quàm tritum illud scholarum dogma: partim gratiâ Dei, partim operibus propriis iustificari homines, vt aliquantò se magis verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius.*

Præceptorem sequitur Petrus Du Moulin, in fine Epistolæ ad Synodum Dordrechtanam, quæ habetur in Actis eiusdem Synodi pag. 395. *Credo Deum non modò dare vires credendi, sed & ipsum actum credendi. Quem actum qui dicunt partim esse à gratia, partim à libero arbitrio, meritò Semi-Pelagianis accensentur. Etsi homo liberè credit, & sponte, totum tamen illud, quod facit, est donum Dei.* Consonat Synodus Dordrechtana sess. 136. pag. 365. *Reiicit Synodus errores eorum, qui docent gratiam, & liberum arbitrium esse causas partiales simul concurrentes ad conuersionis initium, nec gratiam ordine causalitatis efficientiam voluntatis antecedere: id est, Deum hominis voluntatem non priùs efficaciter iuuare ad conuersionem, quàm voluntas ipsa hominis se mouet, ac determinat. Hoc enim dogma Ecclesia prisca in Pelagianis iam olim condemnauit.*

Neque

Neque verò hîc aliquis obiiciat, ideo Caluiniſtas humanæ voluntati meritum ademiſſe, quòd eam ad bonum opus paſſiuè tantùm ſe habere fingerent: atque in eo multùm abeſſe ab recenti opinione, quæ agere voluntatem & operari pronuntiat. Quis enim neſcit Caluiniſtas non omnem voluntati operationem ademiſſe, ſed liberam, id eſt (vt clariſſimè oſtendi ſuperiùs ſect. 2. §. 2.) eiuſmodi, quam ponere, vel non ponere poſſimus? Nam vt vulgò de motibus indeliberatis, qui & gratiæ præuenientes ſunt, dicitur, fieri illos in nobis ſine nobis, quia licèt phyſicè illos producamus, non liberè tamen producimus, ſiquidem non eſt in noſtra libertate eos ponere, vel non ponere: ſic illi, omnia omnino bona opera fieri dicunt in nobis ſine nobis, quia licèt ea producamus phyſicè, non ſumus liberæ tamen eorum cauſæ, cùm non ſit in libertate noſtra, ea ponere, vel non ponere. Quam mentem ſuam toties Caluinus exponit, quoties ait nos, cùm bene agimus, voluntariè operari. Vnde lib. 3. in Pigh. 167. ita ſibi ex Pighio obiicit. *At liberi arbitrij eſſe bona opera aſſerit Auguſtinus, quod negamus.* Et reſpondet: *Egóne voluntaria eſſe bona opera vnquam negaui? At nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo: nullas ſanè, niſi vt agat, dum agitur, quia per ſe nihil poteſt. Quod ſi Auguſtini verbis non eſt conſentaneum, neque ouum ouo ſimile eſt.* Eodem ſenſu tuentur Aduerſarij voluntatem paſſiuè tantùm ſe habere.

Proderit hîc annotare hanc opinionẽ manâſſe ab Luthero: vt patet, tum ex eius articulis ab Sorbona damnatis, inter quos ſecundus de libero arbitrio iſte eſt: *Fruſtra garriunt ſophiſtæ actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter:* tum ex Concilio Senonenſi celebrato anno 1528. in Præfatione. IN ERROREM MANICHÆI INCIDIT LVTHERVS, DVM NIMIS ANXIE', ET SCRVPVLOSE' DEVITAT PELAGIVM. METVENS NAMQVE LIBERVM ARBITRIVM CVM PELAGIO

Caluinus : prosequitur, & vt omne nobis meritum adimat, eâdem viâ ingreditur, quâ Aduersarij: nimirum efficere conatur, non ita gratiam offerri, vt eius receptio à libera voluntatis electione pendeat. *Excudunt autem Neptunij Patres in noua officina, quod Augustino fuit ignotum: non esse ex Deo gratiæ receptionem, quia libero propriæ voluntatis motu, Deo vocanti assentimur. At repugnat Scriptura, quæ Deum auctorem facit bonæ voluntatis.* ALIVD EST, MOVERI A DEO VOLVNTATEM, VT OBSEQVATVR, SI LIBEAT: ALIVD AVTEM FORMARI, VT BONA SIT. PORRÒ NON SE FACTVRVM PROMITTIT DEVS, VT POSSIMVS BENE VELLE: SED VT BENE VELIMVS. *Immo vltrà progreditur, cùm dicit, faciam vt ambuletis, quod diligenter ab Augustino annotatum est.* Hinc est, quod iam inde ab initio Antidoti sextæ sessionis, Tridentini hac de re doctrinam in hæc verba contraxerat. *Nihil aliud continet eorum definitio, quàm tritum illud scholarum dogma: partim gratiâ Dei, partim operibus propriis iustificari homines, vt aliquantò se magis verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius.*

Præceptorem sequitur Petrus Du Moulin, in fine Epistolæ ad Synodum Dordrechtanam, quæ habetur in Actis eiusdem Synodi pag. 395. *Credo Deum non modò dare vires credendi, sed & ipsum actum credendi. Quem actum qui dicunt partim esse à gratia, partim à libero arbitrio, meritò Semi-Pelagianis accensentur. Etsi homo liberè credit, & sponte, totum tamen illud, quod facit, est donum Dei.* Consonat Synodus Dordrechtana sess. 136. pag. 365. *Reiicit Synodus errores eorum, qui docent gratiam, & liberum arbitrium esse causas partiales simul concurrentes ad conuersionis initium, nec gratiam ordine causalitatis efficientiam voluntatis antecedere: id est, Deum hominis voluntatem non priùs efficaciter iuuare ad conuersionem, quàm voluntas ipsa hominis se mouet, ac determinat. Hoc enim dogma Ecclesia prisca in Pelagianis iam olim condemnauit.*

Neque

Neque verò hîc aliquis obiiciat, ideo Caluinistas humanæ voluntati meritum ademisse, quòd eam ad bonum opus passiuè tantùm se habere fingerent: atque in eo multùm abesse ab recenti opinione, quæ agere voluntatem & operari pronuntiat. Quis enim nescit Caluinistas non omnem voluntati operationem ademisse, sed liberam, id est (vt clarissimè ostendi superiùs sect. 2. §. 2.) eiusmodi, quam ponere, vel non ponere possimus? Nam vt vulgò de motibus indeliberatis, qui & gratiæ præuenientes sunt, dicitur, fieri illos in nobis sine nobis, quia licèt physicè illos producamus, non liberè tamen producimus, siquidem non est in nostra libertate eos ponere, vel non ponere: sic illi, omnia omnino bona opera fieri dicunt in nobis sine nobis, quia licèt ea producamus physicè, non sumus liberæ tamen eorum causæ, cùm non sit in libertate nostra, ea ponere, vel non ponere. Quam mentem suam toties Caluinus exponit, quoties ait nos, cùm bene agimus, voluntariè operari. Vnde lib. 3. in Pigh. 167. ita sibi ex Pighio obiicit. *At liberi arbitrij esse bona opera asserit Augustinus, quod negamus.* Et respondet: *Egóne voluntaria esse bona opera vnquam negaui? At nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo: nullas sanè, nisi vt agat, dum agitur, quia per se nihil potest. Quod si Augustini verbis non est consentaneum, neque ouum ouo simile est.* Eodem sensu tuentur Aduersarij voluntatem passiuè tantùm se habere.

Proderit hîc annotare hanc opinionẽ manâsse ab Luthero: vt patet, tum ex eius articulis ab Sorbona damnatis, inter quos secundus de libero arbitrio iste est: *Frustra garriunt sophistæ actum bonum esse totum à Deo, sed non totaliter:* tum ex Concilio Senonensi celebrato anno 1528. in Præfatione. IN ERROREM MANICHÆI INCIDIT LVTHERVS, DVM NIMIS ANXIÈ, ET SCRVPVLOSÈ DEVITAT PELAGIVM. METVENS NAMQVE LIBERVM ARBITRIVM CVM PELAGIO

NIMIS EFFERRE, OMNE BONVM OPVS, QVOD EST IN HOMINE, DEO TRIBVIT, ET DIVINÆ GRATIÆ; NIHIL PRORSVS LIBERO ARBITRIO; SICQVE TOLLENS OMNINO LIBERVM ARBITRIVM LVTHERVS, FACTVS EST MANICHÆVS, DVM REFVGIT ESSE PELAGIANVS.

Et iactent Aduersarij, religiosos se esse, qui laudem omnem boni operis Deo adiudicant? Lutheranorum est atque Caluinistarum illa religio.

PARAGRAPHVS V.

Tertium consectarium, quo aiunt Deum impoßibilia iubere, ex recentioribus Hæreticis depromptum est.

Libro 3. de grat. Christi cap. 13. 15. & libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. 23. 25.

QVIS ferat sacrilegum hoc noui dogmatis corollarium? *Sunt quædam homini præcepta, secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, obseruatu impoßibilia.* Quis ferat, commune hoc Theologorum placitum, *Deus impoßibilia non iubet*, explodi, sugillari, reiici? Non tulerunt certè, vt Sorbonici, ita Louanienses Theologi, qui hunc Lutheri articulum, *Quicumque negat Deum impoßibile iußiße, peßimè facit: & qui hoc falsum esse dicit, plusquam peßimè facit*, hæresis damnauerũt. Quod quàm immodicè tulerit Lutherus, constat ex iis, quæ scribit in confutatione rationis Latomianæ fol. 227. *Aliquot,* inquit, *meos articulos opponi dicit principiis fidei. Primus est, Deus præcipit impoßibilia. Quærimus autem, quod sit istud tam rigidum, & inclemens principium fidei, quod neget nobis à Deo præcipi impoßibilia? an Paulus? an Christus? an Moses hoc condidit? Non; sed Decretellum quoddam humanum ex Hieronymo sumptum, quod est huiusmodi: Qui dixerit Deum præcepisse impoßibilia, anathema sit. Hoc verbum hominis ambiguum, & obscurum, sic iactatur à sophistis, vt omnibus sensibus clausis, non nisi vociferentur, Anathema, Ana-*

thema, Anathema, vt eos furere ipsâ voce iudices. Huic verbulo humano cedere oportet, & silere, quidquid scripturæ euidentißimæ, & clarißimæ, & copiosißimæ controuertunt. Ne syllabam quidem Glossæ elucidantis Decretellum tam tenerum admittit; sed rigidißimum, vt sonat, iactari, omnium auribus obtrudi, omnium cordibus inculcari oportet, periculo maximo fidei. Pari ardore commune illud Theologorum effatum ab Hieronymo depromptum lacerant noui Dogmatistæ.

Nec verentur illud Anathema, quo Concilium Tridentinum eos perculit, *qui dicerent Dei præcepta obseruatu esse impoßibilia*: quod Decretum exagitat Caluinus in Antid. ad sess. 6. *Capite*, inquit, *duodecimo vetus illud anathema renouant. Ne quis Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum impoßibilia dicat*, &c. VEXABANT ETIAM AVGVSTINVM HAC CALVMNIA PELAGIANI, QVÒD DICERET DEI PRÆCEPTA AD OBSERVANDVM ESSE IMPOSSIBILIA. Quæ hîc breuiter perstringit, multò copiosiùs exequitur lib. 2. Instit. cap. 7. num. 5. *Quod autem impoßibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul, & confirmandum. Solet enim vulgò absurdißima sententia videri: vt Hieronymus non dubitauerit illi anathema denuntiare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror: nos quid verum sit, inquiramus. Non texam hîc longas ambages de variis poßibilitatis generibus*, &c. *Eiusmodi argutiâ vexabant Augustinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo, si plus iubeat, quàm per eius gratiam præstare queant fideles.*

Si vrgeas: frustra sunt præcepta diuina, si illis obsequi non possumus. Respondebunt primò, Pelagianam esse hanc obiectionem. Respondebunt secundò, frustra non esse diuina præcepta, etiamsi illa implere non possimus. Nam primò efficiunt, vt homines cognoscant infirmitatem suam: secundò, vt sint magis inexcusabiles: tertiò, vt sciant, quid debeant agere. Quæ omnia tam sæpe ab Hæreticis repetuntur, vt nihil sit illis

in hac materia tritum magis, atque familiare. Caluinus in Antidoto Concilij Trident. ad sess. 6. cap. 6. *Valde nouitios esse oportet Venerandos istos Patres, si ex praeceptis aestimant, quid valeat homo: cùm ideo potiùs requirat à nobis Deus, quod supra vires nostras est, vt imbecillitatis nostrae conuicti, superbiam omnem exuamus.* Hæc vberiùs prosequitur libro 2. Instit. cap. 5. num. 4. & sequent. Quæ qui legerit, mentiar ni ex omni parte cum iis, quæ ab Aduersariis dicuntur, congruere censeat. Neque enim eadem tantùm Scripturæ, Patrúmque testimonia adhibet: sed & iisdem verbis vtitur.

Non adscribam omnia, ne longior sim. Pauca tantùm in specimen attexam. num. 6. sic loquitur. *Qui pro ingenti piaculo ducunt, si dicatur legis obseruationem esse impossibilem, validissimo scilicet argumento insistunt, frustra aliàs datam esse legem. Perinde enim loquuntur, ac si Paulus de lege nunquam loqnutus esset. Quid enim quaeso, ista sibi volunt, legem propter transgressiones positam esse, per legem esse cognitionem peccati, legem peccatum efficere, subingressam esse, vt abundaret delictum?* Vbi ad id efficiendum multa congessit; ita concludit: *Eant nunc, qui ex praeceptis colligunt, quid valeat homo ad obedientiam.*

Quid plura? id Caluinistæ omnes, ac Lutherani vno consensu loquuntur. Chamierus tom. 3. libro 3. capite 5. num. 1. & 2. *Quartum Papistarum argumentum est: si tollatur liberum arbitrium, tolli praecepta, consilia, monita. Frustra enim admoneas, horteris, si non possunt homines aliud facere, quàm faciunt. Sed Caluinus respondet tripliciter. Primò, similia olim fuisse Augustino obiecta*, &c. Zanchius Tract. Theol. libro 1. capite 6. Thesi 9. pagina 113. *Eadem responsio ad omnia praecepta afferenda est: ex his scilicet non sequi, nos posse haec praestare; sed tantùm doceri, quid facere debeamus: ac cùm sentiamus nos non posse facere, quod debemus, ad implorandum Dei auxilium excitemur.*

Quæ omnia compendio colligit Petrus Du Moulin,

Lex Dei non est virium nostrarum argumentum, sed officij nostri: nec qui petit ab aliquo, quod sibi debet, iniustus est, licèt debitor culpâ suâ soluendo non sit. Sic habet in præsenti negotio. Deus enim creauerat hominem iustum, eique liberum arbitrium dederat, quo bonum eligere, & malum repudiare posset. Iam verò si ille culpâ suâ diuinæ legis implendæ facultatem amisit, an Deus iniustus est, qui ab illo petit, quod debet? En quibus debeant opinionem suam noui Dogmatistæ.

La Loy de Dieu n'est pas vne preuue de nos forces, mais de nostre deuoir: & celuy qui demande à quelqu'vn ce qu'il luy doit, n'est pas iniuste, quoy que le debteur soit deuenu insoluable par sa faute. Il est icy de mesme. Car Dieu auoit creé l'homme iuste, & pouuant par son libre arbitre choisir le bien, & laisser le mal. que si par sa faute il est deuenu incapable d'accomplir la loy de Dieu, Dieu est-il iniuste de luy demander ce qu'il luy doit? Du Moulin, Bouclier de la Foy article 9.

PARAGRAPHVS VI.

Quartum consectarium, quo asserunt peccari in eo, quod vitari non potest, ex recentioribus Hæreticis depromptum est.

QVO progrediuntur magis Aduersarij, eò prolabuntur turpiùs, & in grauiores sese errores induunt. Ex his, quæ dixêre hactenus, id sequitur, quod si frontem haberent, nunquam faterentur: nimirum, *demereri homines, & mereri dum id agunt, quod vitaré, & à quo abstinere non possunt.*

Libro 3. de grat. Christi cap. 13. libro 4. de statu puræ naturæ cap. 22.

Idem ex Wicleffi opinione consequi testatur Willelmus Widefordus Tract. in errores Wicleffi, ad artic. 17. *Septimò, principaliter* PATET, QVÒD ARTICVLVS EST HÆRETICVS, QVIA EX ILLO SEQVVNTVR HÆRESES. SEQVITVR ENIM PRIMÒ, QVÒD NVLLVS PECCAT DEMERITORIE, NISI PECCATO, QVOD VITARE NVLLO MODO POTEST. *Nam absolutè necessariò peccat, ac proinde nullo modo potest vitare peccatum.* SEQVITVR ADHVC, QVÒD NVLLVS IVSTVS EST LAVDANDVS DE SVA IVSTITIA, QVIA NECESSARIÒ EAM TENVIT.

Fatetur Caluinus idem ex opinione sua colligi libro 2. Instit. cap. 5. num. 2. *Subiiciunt, nisi ex libera arbitrij electione tum virtutes, tum vitia procedunt, non esse consentaneum, vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur. Hoc argumentum, etsi Aristotelicum est, fateor tamen à Chrysostomo, & Hieronymo alicubi vsurpatum. Pelagianis tamen fuisse familiare, nec ipse Hieronymus dissimulat,* &c. *de pœnis, Respondeo illas iure nobis irrogari, à quibus peccati culpa emanat.* Quo verò iure id fiat, paulò antè num. 1: exposuerat in hæc verba: NEGO PECCATVM IDEO MINVS DEBERE IMPVTARI, QVÒD NECESSARIVM EST, &c. *Atque hoc suprà clarè explicui, & in Diabolo ipso exemplum proposui, vnde pateret non minùs voluntariè peccare, qui necessariò peccat.* Hæc de pœnis. De præmiis autem sic loquitur ibidem, num. 2. *Quantum ad iustitiæ præmia: magna verò absurditas, si fateamur illa ex Dei benignitate potiùs, quàm propriis meritis dependere. Quoties hoc apud Augustinum recurrit, non merita nostra Deum coronare, sed sua dona?* Et lib. 4. in Pigh. pag. 175. *Absurdum esse dicunt, vt vitio aut culpæ dentur hominibus, quæ sic faciunt, vt aliter nequeant. Nos adductâ Dæmonum similitudine absurditatem hanc diluimus,* &c. *indicamúsque, non adeo à ratione dissentaneum esse, vt laude, aut vituperio dignum censeatur, quod tamen necessarium est.*

Illud ipsum pluribus exequitur Chamierus tom. 3. lib. 3. cap. 2. cui titulus est, *Vtrùm nullum necessarium sit peccatum*: atque ita auspicatur: *Papistarum affirmantium argumenta Caluinus collegerat, vt refutaret. Quàm disputationem, quia Bellarmino visum est exagitare, nos etiam considerabimus, vt fiat manifestum, quàm sint inania Papistarum argumenta, quæ iste solidissima appellat.* Papistarum hîc loco recentes Theologos appone, & hæc ex noui dogmatis interpolatore deprompta iurabis.

SECTIO V.

Noui Dogmatis effugia ex recentioribus Hæreticis captata sunt.

EXEMPLO suo probant Aduersarij, quàm verum sit illud, quod vulgò proditur, eum, qui latrociniis assueuerit, ab iis postea, etsi maximè velit, temperare vix posse. Sic enim illi furandi consuetudine tenentur, vt nihil aliud, quàm furta loquantur, & scribant. Cauillationes ipsæ & effugia, quæ vel bardus quilibet, ac stolidus, sua facilè in causa excogitare potest, maluerunt aliunde pudendo latrocinio accersere, quàm è suo repetere; sic planè, vt in eis etiam veritatem habeat, quod dicitur: *aquæ furtiuæ meliores.* Hæc sunt autem effugia, quæ ab Hæreticis acceperunt.

Primum: Cùm sacræ litteræ libertatis indifferentiam homini tribuunt, de homine integro, non de lapso loquuntur. Aut certè significant aliquam quidem inesse viatoribus corruptis, ac reparatis indifferentiam, sed quæ tantummodò sit capacitas naturalis, quâ liberum arbitrium, quamdiu hîc viuitur, mutari potest, neque ita malo adhæret, verbi causâ, vt bonum, cùm aderit gratia, non valeat amplecti.

Secundum: Quod ait Concilium Tridentinum hominem posse gratiæ dissentiri si velit, non ita explicari debet, quasi sit in eius potestate oblatam gratiam admittere, vel repudiare: sed eo tantùm sensu, quo dici potest: homo præuenienti gratiæ dissentiri potest, si dissentiatur. Quo modo non affirmatur absolutè, eum dissentiri posse, sed hoc vnum asseritur, verum esse, quòd si dissentiatur, possit dissentiri.

Tertium: Peccandi necessitas, & benè agendi im-

potentia non excusat, quia non est homini naturalis, sed in peccati pœnam inflicta.

Quartum: Ignorantiam inuincibilem iuris positiui à peccato excusare, quia non est pœna peccati: at ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, non excusare, quia in peccati pœnam est irrogata.

PARAGRAPHVS I.

Primum effugium, quo celebrem Ecclesiastici locum eludunt, ex recentioribus Hæreticis captatum est.

Libro 6. de grat. Christi cap. 34.

INCREDIBILE dictu est, quàm tortuosa responsa hîc implicent nuperi dogmatis vindices. Negant, aiunt, dissimulant, quidlibet dicunt, & faciunt, vt dum Hæreticorum nugas, atque flagitia, quæ deosculantur, reuocant in lucem, doctrinæ Catholicæ, cui bellum meditatum indixerunt, videantur assentiri. Primò enim Ecclesiastici testimonio conuicti, *apposuî tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam:* nonnullam in homine agnoscunt indifferentiam, sed aliam atque aliam pro diuersa illius, tum integri, tum corrupti conditione: neutram tamen pertinere ad *naturam libertatis; formalémque rationem* afferunt; aiúntque propterea, *ex illo loco malè concludi, vel Deum, atque Angelos bonos, ac malos libertate carere, quòd vni seu bono, seu malo affixi necessariò sint; vel actum rationalis voluntatis, solius coactionis expertem, non esse liberum*, quamuis internæ necessitati subiaceat.

Huius sui dicti auctorem habent Chamierum, qui ad obiectum à Bellarmino eumdem locum Ecclesiastici hoc ipsum responsum adhibet tomo 3. libro 2. cap. 2. num. 3. *Secundò*, inquit, *nego sermonem haberi de libero arbitrio in genere, sed specialiter de libero arbitrio hominis*, (viatoris scilicet.) *Aliter autem sentiendum de arbitrio*

arbitrio Dei, quod consistit in immutabilitate, quæ procul dubio est necessitas interna. Quid? nihílne Angeli tum boni, tum mali differunt à nobis? at in vtrisque tamen liberum arbitrium: & in illis confirmatio tanta, vt peccare non possint: in his verò tanta obstinatio, vt non peccare non possint: non igitur in his liberum arbitrium à necessitate. Itaque necesse est liberi arbitrij non esse hanc naturam, vt nulli omnino necessitati subiaceat; quare hic locus nihil concludit. Et propter eadem, nihil quoque concludit ex Dogmatistarum sensibus, Orthodoxis? an Hæreticis?

Sed quæ tandem ista est, quam in viatoribus, post peccatum primi parentis, esse fatentur, indifferentia? certè non ea, quâ, positis omnibus ad agendum requisitis, vel agere, vel abstinere pro libito possimus. Huiusmodi enim indifferentiam impugnant *septem grauissimis* ex ea consequentibus *absurdis*. Neque altera, quâ dicimur posse in sensu diuiso gratiæ, vel concupiscentiæ, abstinere ab eo, quod in sensu composito earumdem non possumus non facere. Nam licèt illam indifferentiam defendi posse ex Scholasticorum principiis putent: quia tamen hæc distinctio Catholicorum quorumdam est, neque quidquam volunt, nisi quod Hæreticorum sit, negant continuò, hanc esse *genuinam conciliationem gratiæ cum libero arbitrio*, aliámque quasi *secundùm Augustini mentem*, proferunt, ex eo solo petitam, quòd *gratia non cogat voluntatem, non inuitam trahat, non inferat violentiam.*

Secundò igitur (quod vnum ex omnibus superest) iidem illi, qui disertè docent, nunc omnem humanæ voluntatis bonum, aut malum actum necessitate ad vnum determinante, licèt non cogente, elici: dicunt pariter, in corrupto atque instaurato homine indifferentiam ad bonum & malum, aliam neque verbis Ecclesiastici significari, neque verò esse vllam, quàm *naturalem mutabilitatem, flexibilitatem, & capacitatem*, quâ modò vnum, modò alterum velit, vt cùm quis peccat,

etiam infidelis, omni Dei gratiâ ad abstinendum à peccato necessariâ destitutus, possit tamẽ non peccare: quia cùm peccat, manet in eo *potentia dissentiendi* peccato, quatenus *manet facultas illa liberi arbitrij interna, & flexibilis benefaciendi*; hoc est, vt verborum fucus omnis abigatur, quatenus per peccatum non perimitur animæ potentia, quæ voluntas dicitur, quæque mutari, ac flecti in bonum potest; dum aderunt omnia, quæ ad illud agendum necessaria sunt. Quod ipsum cùm dicunt Hæretici, ex eo rideri solent, quòd sequeretur amentes, ac dormientes libero esse arbitrio instructos; quia nemo est ex iis, qui tam sit addictus rei cuipiam, vt in contrarium flecti, vbi facta erit causarum mutatio, non possit; siquidem adhuc retinet facultatem illam, quâ possit; cùm, quæ sunt requisita, suppetent.

Hoc autem ipsum Hæreticos dicere, vt Catholicorum argumentis illudant, testis Lutherus, qui humano infensus arbitrio, quale profitebatur *Papistarum ac Pelagianorum*, vt vocat, *schola*, hanc tamen illius *mutabilitatem & vertibilitatem*, liberúmque adeo hoc sensu arbitrium, lubens amplectitur lib. *de seruo arbitrio*, fol. 476. quamuis *rectiùs*, inquit, *vertibile arbitrium, vel mutabile arbitrium diceretur, quàm liberum*. Et ibidem, *Donemus id abusui, licèt magno, & periculoso, vt idem sit liberum arbitrium, quod vertibile arbitrium.* Atque illam arbitrij mutabilitatem, ac flexibilitatem fol. 468. explicat hoc exemplo. *Humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum. Si insederit Deus, vult, & vadit, quò vult Deus. Si insederit Satan, vult, & vadit, quò vult Satan.* Quam sententiam laudat Petrus Martyr, in Loco *de libero arbitrio*, p. 974. vbi scribit: *Voluntatem instar equi esse, qua modò habeat sessorem spiritum Dei, & gratiam; modò verò Diabolum: & nunc ab eo agitari: nunc verò à gratia regi.* Quid aliud specioso illo flexibilis arbitrij nomine tegunt Aduersarij?

Sunt etiam ex nouæ opinionis fautoribus, qui illum Ecclesiastici locum sic eludant. Aiunt scripturam loqui de homine primo, qui in statu innocentiæ indifferentem ad vtrumlibet arbitrij facultatem accepit: non verò de homine lapso, qui vnà cum originali iustitia illam voluntatis flexibilitatem amisit. Non ego iam huius responsionis robur exploro, sed vnde nata sit primùm, inuestigo. Caluinus libro 2. Institutionum cap. 5. num. 18. eodem Ecclesiastici loco pari argutiâ se extricat. *Esto*, inquit, *acceperit homo à sua creatione facultatem adipiscendæ vitæ & mortis*, &c. *quidquid primæ conditioni tribuitur, non protinus sequitur, in vitiatam ac degenerem naturam competere*. Quod multò copiosiùs exposuerat lib. 1. cap. 15. num. 8.

Chamierus verò tomo 3. libro 2. cap. 2. num. 4. eandem obiectionem ita soluit: *Nego sermonem haberi de libero arbitrio in genere, sed specialiter hominis ab initio, id est, qualis fuit à Deo conditus ad sui imaginem. Non est autem legitima consequentia à primo hominis statu ad alterum eiusdem hominis corrupti statum*. Et libro 3. cap. 13. num. 18. *Superest Ecclesiasticus inuictissimus* (*vt inquit Bellarminus*) *& tam perspicuus, vt nullâ declaratione indigeat. Audiamus ergo capite 15. Deus ab initio constituit eum in manu consilij sui: & hac sanè tam sunt apud Papistas pro certis ac liquidis; vt nemo sit, qui ad hanc controuersiam non habeat in ore. Respondet Caluinus, loqui de statu primi hominis ante lapsum*. Quam Caluini responsionem fusissimè defendit.

Hanc ergo latebram cum Hæreticis communem habent noui Dogmatis opifices.

PARAGRAPHVS II.

Secundum effugium, quo explicant quomodo poßit homo gratiæ medicinali reſiſtere ſi velit, ex recentioribus Hæreticis captatum eſt.

Libro 6. de gratia Christi, cap. 35.

CELEBRIS eſt alia cauillatio, quâ Aduerſarij plurima Scripturæ, Patrum, Conciliorum teſtimonia eludunt. Verè, inquiunt, ab Scriptura, & Conciliis dicitur: hominem, aut dominanti concupiſcentiæ, aut aſpiranti gratiæ reſiſtere poſſe; id enim poteſt, ſi velit. At impoſſibile eſt, vt id velit? Fatentur id quidem; contendunt nihilominus voluntatem eſſe liberam: quia, licèt quæcumque vult, neceſſariò velit, verum eſt tamen eam poſſe contrarium velle, ſi velit. Verbo dicam: cùm ſtatuitur ab Tridentino, hominem poſſe gratiæ diſſentiri, ſi velit; negant inde colligi poſſe hominem abſolutè gratiæ diſſentiri poſſe: ſed hanc propoſitionem conditionalem eſſe aiunt, iſti perſimilem; homo poteſt volare, ſi habet alas, quâ non affirmatur abſolutè, hominem poſſe volare, ſed tantùm poſitâ conditione, quòd habeat alas. Ita, inquiunt, illa ſententia, *poteſt homo gratiæ diſſentiri, ſi velit*, conditionalis eſt, nec pronũtiat abſolutè hominẽ poſſe gratiæ diſſentiri, ſed tantùm ex hypotheſi quòd velit; quæ hypotheſis cùm ſit impoſſibilis, abſolutè etiam eſt impoſſibile, vt gratiæ diſſentiri poſſit. Verè tamen dicitur, gratiæ diſſentiri poſſe, ſi velit: ſicut verè dicitur, ſi homo eſt Deus, poteſt Angelos creare.

O plumbeum acumen! quis hoc non rideat? Riſit certè, & pluribus exagitauit grauiſſimus auctor Valdenſis libro 1. Doct. fid. art. 1. cap. 15. cui titulus eſt, *contra ſubterfugium illud Vvicleffi. Poteſt Deus, ſi velit.* Negabat Wicleffus Deum habere indifferentem ad vtrumlibet voluntatem, ſed ita ab ſua præſcientia ad alterutram

partem affigi, vt contrarium facere non posset. At cùm premi se videret iis Scripturæ testimoniis, quibus Deus alia ab iis quæ fecit, facere posse dicitur. *Iis*, inquit Valdensis, *glossam hanc communem, quasi generale prouidit emplastrum; Deus, inquit, potest hæc omnia, si velit. Sic negare solet Deum posse maiorare, vel minorare mundum, & similia; sed ad finem semper infert, potest tamen ea, si velit. Cur negas posse Deum maiorare mundum, quod tamen potest, si vult? an tunc non potest, si, cùm vult, potest? non, inquis. Cur hoc? quia non vult, & nihil potest, nisi volens. Iam ecce supposui tibi quòd velit. Non potest, inquis, velle; sed si vult, potest. Mirabilis, & apud omnem intellectum intricata responsio: quod, si vult, potest; hoc ipsum non potest.* Sic planè respondent noui Dogmatistæ, cùm iis Trident. Synodi Decretum opponitur, quo sancitum est, hominem gratiæ dissentiri posse, si velit. *Homo*, inquiunt, *absolutè loquendo gratiæ dissentiri non potest, quia gratia agendi necessitatem imponit, verum est tamen dicere, hominem posse gratiæ dissentiri, si velit; quia velle dissentiri gratiæ, dissentiri est.*

Frigidam hanc & iocularem Wicleffi responsionem acriùs insectatur Wilelmus Wilde-fortius, Waldensi ætate suppar, & ex Minorum ordine subtilissimus Theologus. Pauca ex iis, quæ in eam rem congerit, decerpam, quòd hanc noui dogmatis latebram euertant penitus, atque disiiciant. *Quod non est possibile, nisi sub conditione impossibili, absolutè non est possibile: & ideo si Deus potest tantùm destruere creaturas, si velit, & id velle non potest, non potest eas destruere. Aliàs sequitur, Deum annihilare Deum secundùm Diuinitatem, esse Deo possibile, si Deus velit. Item; Deum facere hominem, & non facere hominem, Deo erit possibile, si Deus velit. Et omnis contradictio est Deo possibilis, si Deus velit.* Age, iisdem rationibus Aduersariorum responsionem impugna: quàm facilè collabetur! Aiunt liberum esse homini gratiâ aspirante benè agere; quia, si vellet, gratiæ dissentiri posset. Aiunt

insuper, amorem, quo Beati Deum amant, liberum esse, quia, si vellent, ab eo cessarent. Sic fucum faciunt, sic imperitâ & friuolâ cauillatione nobis illudunt. At quàm promptum est, illam euertere! cùm ex ea sequatur, liberum esse homini amare malum, sub ratione mali; quia id potest, si velit: item, liberum illi esse odisse bonum quâ bonum; quia id potest, si velit: Deo liberum esse peccare; quia peccare potest, si velit: & alia quamplurima, quæ nemo non insipientissimus admittet.

Non absimili cauillo Lutherus vtitur, vt se ab illo Ecclesiastici loco expediat: *Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te.* Nam lib. *de seruo arbitrio*, fol. 480. sic loquitur: *Non video, quomodo istis verbis liberum arbitrium probetur. Est enim verbum coniunctiui modi (si volueris) quod nihil asserit: sicut Dialectici dicunt, conditionalem indicatiuè nihil asserere: vt, si Diabolus est Deus, meritò adoratur. si asinus volat, asinus habet alas.* Quod à Luthero Andreas Riuetus expressit Summ. Controu. Tract. 4. quæst. 3. *Eadem,* inquit, *solutio adhibenda est obiectioni ex Isaia, si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis: conditionalis est propositio quæ nihil ponit in re.* Inanem hanc subtilitatem bellè refutat Erasmus iis verbis, quæ ipse sibi Lutherus obiicit. *Ecclesiasticus dicendo, (si volueris seruare) significat esse voluntatem homini ad seruandum, & ad non seruandum. Alioqui, quid sonat dicere ad eum, qui libertatem non habet, si volueris?*

Vides, quàm perdita sit Aduersariorum causa, qui rancidam hanc, & stramineam responsionem ab Hæreticis mutuari coguntur, & eò sæpe confugere: vt cum Zanchio pag. 132. dicant: *Voluntas gratiæ efficaci resistere non potest, quia velle non potest.*

PARAGRAPHVS III.

Tertium effugium, quo huius dicti inuidiam molliunt, Deus impossibilia iubet, *ex recentioribus Hæreticis captatum est.*

INVIDIOSVM est, quod ex opinione sua consequi fatentur nuperi Theologi; nimirum, *Deum impossibilia iubere: nec esse de ratione peccati, vt caueri possit.* Quare omni arte enituntur, vt huiusce corollarij offensionem abstergant. Atque id vnâ fere cauillatione consequutos se arbitrantur; quam ego, vt clariùs appareat, tres in partes distinguo.

Libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 22. 24. 25. & lib. de gratia Christi cap. 13. 14. 15.

Primò aiunt, Deum nihil homini præcepisse, quod absolutè illi sit impossibile; quia poterat homo omnia Dei præcepta implere, si in statu innocentiæ permansisset, atque adeo bene agendi impotentiam non posse homines excusare, quia non est illis à natura insita, sed ab primi parentis peccato profecta.

Nihilne vnquam de suo proferent Aduersarij? furtisne tantùm, & latrociniis splendebunt? Quis Hæreticorum aliter sensit, cùm Deum impossibilia præcipere dixit? Instar omnium sint Hieronymus Zanchius, & Beza. Ille Tractatuum Theologic. lib. 1. cap. 6. pag. 121. ad hanc obiectionem, *Præcepta Dei sunt homini possibilia ad seruandum: alioqui Deus foret insipiens, immo tyranni similis, si præciperet impossibilia;* ita respondet: NIHIL SIMPLICITER ET PER SE IMPOSSIBILE PRÆCIPIT DEVS. NAM VIRES DEDERAT HOMINI, QVIBVS OMNIA DEI MANDATA SERVARE POTVISSET, SI VOLVISSET. *Quòd igitur fiant impossibilia homini corrupto, hoc est ex accidenti. Ita Deus manet iustus, & sapiens, quanquam eius mandata natura corruptæ sint impossibilia.* Eadem Beza multis in locis, ac præcipuè libro *de æterna Dei prædestinatione*, contra Castellionem pag. 414. &

415. vbi proponit primùm, hanc Castellionis obiectionem. *Iniquum est præcipere, quod præstari non posse scias; perinde ac si quis pater filio præcipiat, vt rupem comedat.* Tum ita respondet: *Miram verò agutiam! nunquam ita creati sunt homines, vt possint rupes vorare. Iniquum igitur fuerit ab eis flagitare, vt rupem vorent. Ista verò peccandi necessitas, ista impotentia, quæ facit, vt ne idonei quidem ad bona cogitanda simus, num à prima illa creatione proficiscitur? immo à vitiositate. Vnde autem hæc vitiositas? nisi quòd is sponte defecit à suo opifice, ex quo peccandi necessitas in omnes inuasit.* Atque vt eius argutiæ auctorem agnoscas: expende, quæ sequuntur. *Denique vt semel tecum transigam, audi quàm breuiter, & quàm apposite omnem hanc controuersiam decidat Caluinus. Prætendere, inquit, excusationem non licet, quòd facultas desit, ac veluti exhausti debitores, soluendo non simus. Quicquid enim exigat Deus, ex natura obligatione obsequendi necessitas manat: quòd autem obsequi non possumus, id vitij nostri est.* Quæ paucis ac disertè expressit Albertus Grauuerus magni apud Lutheranos nominis. Articulo 18. de libero arbitrio. *Nullius pili est*, inquit, *quod Pontificij vrgere solent, Deum non præcipere impossibilia, licèt enim lex homini iam per lapsum Adæ corrupto, sit impossibilis, tamen ante corruptionem erat possibilis: Iustè igitur Deus hoc ab homine per legem exigere potest, quod homo per lapsum Adæ iniustè amisit.*

Secundò affirmant peccandi necessitatem, quâ homines obstringi putant, à peccato non excusare; quia primi parentis culpâ inducta est. Ita Caluinus libro 2. Instit. cap. 5. num. 1. *Nego peccatum ideo minùs debere imputari, quòd necessarium est. Si quis enim disceptare cum Deo velit, & hoc prætextu iudicium subterfugere, quoniam aliter non potuerit: habet paratam responsionem, quam alibi attulimus; non ex creatione esse, sed naturæ corruptela, quòd homines peccato mancipati nihil velle possunt, nisi malum. Vnde enim ista, quam improbi libenter prætexerunt, impotentia? nisi, quod Adam vltro se Diaboli tyrannidi addixit.* Eadem

dem repetit & confirmat lib. 4. in Pigh. pag. 173. *Nam quod dicitur frustra esse legem, nisi sit obsequendi facultas, & similia: hæc meritò dicerentur, si hæc seruitus, quæ nos impeditos tenet, naturæ foret, non proprij vitij. Nunc verò, cùm istud semper in promptu sit, quicquid impotentiæ aut defectus in nobis est, culpæ nostræ esse imputandum: hoc responso diluuntur omnes illæ obiectiones, ac soluuntur.*

Quæ in eam rem ab Caluino vberiùs disputantur; in pauca contrahit Chamierus tom. 3. lib. 3. cap. 2. *Negabat Caluinus hanc consequentiam, si peccatum necessarium est, ergo non est peccatum. Rationes negandi sunt; Prima, quoniam idem argumentum erat Pelagianorum contra Augustinum. Secunda, quia peccata sunt non ex creatione, sed ex corruptione naturæ, quæ fuit à peccato primi hominis. Tertia, quia Diabolus necessariò semper malè agit, & tamen verè peccat.*

Consentit Beza in lib. Quæst. & Respons. Christian. edit. 2. pag. 665. vbi ad hanc quæstionem, *positâ peccandi necessitate, peccatum tollere videris*. Respondet: *Falsa est hæc consequutio multis modis. Nec enim necessitas excusat à scelere, si quis vltro in eius compedes sese coniecerit: ista verò necessitas, de qua nunc ago, non à natura est, sed à voluntario hominis lapsu.* Et pag. 680. *Homines eximi culpæ non possunt, quia hæc necessitas peccandi, quâ nunc est oppressum humanum genus, non est à conditore, sed à spontanea naturalis humanæ voluntatis inclinatione ad malum.*

Accedit Dauid Pareus lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 7. pag. 177. *Qui necessariò peccant, non peccant: Hæc propositio est falsa, nam Diaboli necessariò peccant, & tamen peccant. Tantùm est vera de necessitate naturæ vel coactionis, non autem de necessitate ex vitio.* Et l. 5. cap. 27 pag. 896. *Neminem teneri reum peccati, quia non fecit, quod facere non potuit, verum est de eo, qui absque sua culpa non potuit: falsum de homine in statu peccati, qui necessitate peccandi, suâ culpâ constrictus, non potest.* Scharpius quoque l. 2. de libero arbitrio cap. 3. pag. 212. *Necessitas*, inquit,

peccandi, qua homo peccatum euitare non potest, hominis voluntatem non tollit, vt nec necessitas bene agendi libertatem in Deo & Angelis bonis tollit. Homo enim licet necessario liberè tamen, id est sponte & non coactè agit. Necessarium autem voluntario non opponitur. Immo qui necessariò peccat sciens & volens, magis peccat, &c. *quòd verò homo non possit non peccare, ipsius culpa est. Sibi enim hanc peccandi necessitatem imposuit.*

Tertiò contendunt nuperi Theologi: ex mente Augustini, illud esse discriminis inter peccatum, quod tantummodo peccatum est, & aliud, quod est etiam pœna peccati: quòd de illius ratione sit, vt caueri possit; hoc verò etiam necessarium sit. Hanc distinctionem perpetuò adhibent, ad soluenda Augustini, aliorúmque Patrum testimonia, qui aiunt sæpissime, de ratione peccati esse, vt caueri possit. Ingeniosa est illa responsio, sed eam debent Caluino, qui lib. 3. in Pigh. pag. 160. obiicienti Pighio, *negat Augustinus peccare in eo quempiam, quod caueri nullo modo possit*, ita respondet: INSPICIAT LOCVM QVI VOLET, AN NON DE PECCATI INITIO LOQVATVR. Mentem suam planiùs exponit pag. sequenti. *Subiungit deinde Pighius, definitionem peccati illic positam, quòd sit voluntas retinendi vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Hanc obiectionem Augustini verbis soluere se gloriatur. *Iam in his etiam verbis mentem suam Augustinus edisserat. Vera, inquit, propterea est definitio, quia id definitur, quod tantummodo peccatum est, non etiam pœna peccati.* VIDES IPSIVS AVCTORIS TESTIMONIO, NON NISI PRIMO ADÆ PECCATO CONVENIRE HANC DEFINITIONEM. Tum paucis interiectis, aliam Pighij obiectionem proponit. *Locus, quem allegat* (Pighius) *ex libro de vera religione, nobis, fateor, in speciem videtur repugnare*, quòd in eo dicat Augustinus de ratione peccati esse, vt caueri possit: Quam ex eodem Augustino soluit: *Nunc locum demus interpretationi. Peccatum, inquit* (Augustinus) *illud*

intelligi debet, quod tantummodo peccatum est, non etiam pœna peccati.

Eandem cantilenam occinunt omnes Caluinistæ, atque Lutherani. Chamierus tom. 3. lib. 3. cap. 17. num. 18. sic loquitur: *Quod dixerat* (Augustinus) *vsque adeo peccatum esse voluntarium, explicat cap. 13. libri 1. Retract. Potest videri, inquit, falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur, inuenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est: non quod est etiam pœna peccati.* Petrus Martyr tomo 1. Loc. Comm. Titulo de libero arbitrio: *Sententia illa, quæ iactari solet, nihil habendum esse pro peccato, quod ab electione non pendeat, intelligi debet, vt Augustinus interpretatur, de eo peccati genere, quod non sit pœna peccati.* Dauid Pareus l. 5. de gratia & lib. arb. c. 27. p. 890. Ad illud Augustini, *Vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, sic respondet: *Augustinum propriè de primo hominis peccato id dicere, quòd fuerit voluntarium (secus homo iniustè fuisset reprehensus & punitus à Deo) est tam manifestum, vt Aduersarius ipse negare non possit: idque Caluinus ex retractationibus rectè demonstrauit.*

Adhúcne gloriabuntur Aduersarij, hanc se responsionem ex profundissimis & immobilibus Augustini principiis diuturno labore expressisse? miri certè erunt præstigiatores, si id nobis persuaserint.

PARAGRAPHVS V.

Quintum effugium, quo duplicem ignorantiam inuincibilem distinguunt, ex recentioribus Hæreticis captatum est.

NEMO non exhorrescit ad truculentum illud & immane noui dogmatis effatum; *Homo in ea re peccat, quam cauere non potest.* Quid? an is etiam peccat, qui

id committit, quod malum esse funditus ignorat? Omnino. Quis id ferat? Certè tritum est illud, atque peruagatum Scholasticorum placitum, *ignorantiam, quæ inuincibilis dicitur, à peccato excusare.* Quis id nisi exhausti pudoris neget? Negant verò Aduersarij: sed ita negant, vt vitandæ nonnihil inuidiæ causâ, solertem distinctionem adhibeant. Aiunt duplicem esse ignorantiam inuincibilem, facti alteram, alteram iuris: ignorantiam inuincibilem facti à peccato semper excusare: ignorantiam inuincibilem iuris, si est iuris positiui, excusare etiam: si iuris naturalis, non excusare. Cuius arcanæ reconditæque doctrinæ rationem inde repetunt, quòd ignorantia iuris naturalis sit pœna peccati: siquidem in statu naturæ integræ, perfecta nobis iuris naturalis cognitio debebatur. Ignorantia verò, aut iuris positiui, aut facti, pœna peccati non sit: cùm opposita illi notitia homini etiam in statu innocentiæ posito non debeatur.

Libro 1. de statu naturæ lapsæ cap. 5. n.

Elegans, & ad eludendam argumenti vim ingeniosè conficta distinctio! ex qua laudis aliquid sperare possent Aduersarij, nisi eam infami plagio ab turpissimis Hæreticis sumpsissent. Nihil affingo. Lutherus in caput 12. Gen. tom. 6. edit. Wittemb. 1560. fol. 153. *Duplex est ignorantia: alia iuris, quæ neminem excusat; alia facti, quæ excusat, &c. Theologi in scholis alias ignorantiæ species numerant. Prima est, quam vocarunt inuincibilem, confictam ad excusanda peccata, quòd nullâ industriâ vinci, aut emendari possit, &c. In politicis negotiis potest esse locus inuincibili ignorantiæ. Sed hæc ad res sacras, & conscientiæ negotia transferenda non sunt: sicut Scholastici inuincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quæ simpliciter à toto excuset, id est, peccatum prorsus tollat. Tanta cæcitas est in Papæ scholis, & Ecclesiis.* Et paucis interiectis: *Sed quid multa? quisquis inuincibilem hanc ignorantiam excusationem mereri statuit, euertit Scripturam sacram, & tollit è medio Christum iustitiæ solem, reuelatum ideò, vt hanc ignorantiam tolleret.*

Hieronymus Zanchius Tract. Theol. lib. 1. cap. 12. de ignoratione Dei, Thesi 1. *Altera ignorantia est eorum, qui cognoscere vellent, sed non possunt: atque hanc* (Scholastici) *negant esse peccatum, sed pœnam tantùm esse peccati contendunt, & à peccato excusare*, &c. hoc *non est consentaneum sacris litteris: neque enim vllibi lego illum simpliciter excusari à peccato, qui simpliciter ignorat, quod scire tenebatur.* Tum distinguit duplicem ignorantiam. Prima est, earum rerum, quas iure naturæ scire tenemur: altera rerum, quas scire non tenemur. De secunda ita loquitur: *Libenter do Scholasticis hanc ignorantiam peccatum non esse.* Et paulo pòst addit, *sed primam speciem esse, nunc mihi contra Scholasticos demonstrandum est.* Quod probat ex August. lib. 5. contra Iul. cap. 3. additque: *Est igitur Augustinus, Patrum omnium nomine, Patronus noster in hac causa.* Deinde ex Aristotele statuit, aliam esse ignorantiam iuris, aliam facti: & hanc excusare, illam verò minimè, contendit: concluditque: *Summa: omnis ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, peccatum est: quia cum lege, quâ iubemur illa cognoscere, pugnat: siue ea cognoscere iam possis, siue non possis. Quod enim iam non possis, peccato Adæ, quod & tuum est, quia in eo omnes peccauerunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cùm talem ignorantiam, quam inuincibilem vocant, ideo à peccato excusant, quia inuincibilis est, vt loquuntur: quanquam euincere etiam possumus eam non esse simpliciter inuincibilem, cùm voluntarium Adæ peccatum sit consequuta.* Hinc eruditam illam subtilitatem hauserunt noui Theologastri, quâ sibi tantopere blandiuntur.

SECTIO VI.

Noui Dogmatis calumniæ ex recentioribus Hæreticis arreptæ sunt.

MIRVM ſanè, nouos Dogmatiſtas, qui ſe tam peritos calumniarum architectos probant, nullam marte ſuo procudiſſe: ſed omnes ex Hæreticorum ſcriptis ſummâ curâ, ſtudióque corraſiſſe. Locum hunc ſtrictim attingam; ne, ſi hanc ſentinam diutiùs mouero, fœdiſſimum odorem inhalet.

PARAGRAPHVS I.

Prima calumnia, quâ communem de libertate opinionem vt Ariſtoteleam & Philoſophicam infamant, ex recentioribus Hæreticis arrepta eſt.

Præfatione libri 6. de grat. Chriſti. Libro Prooemiali cap. 8. & 18.

COMMVNEM de libertatis indifferentia ſententiam eâ re infamant Aduerſarij, quòd ex Ariſtotele, ac Philoſophis ſit deriuata. Hinc illam Ariſtoteleam, & Philoſophicam per ludibrium nuncupant. Atque vt ex eo nomine maiorem illi inuidiam conſciſcant, in Philoſophiam inuehuntur atrociter, eámque quaſi Hæreticorum omnium parentem, & Pelagianæ impietatis fontem exagitant: tum in recentes Theologos ſtylum vertunt, eóſque profanâ Philoſophiâ, humanâque ratione Theologiam corrupiſſe calumniantur. Aiunt per illos factum fuiſſe, vt regnaret in ſcholis Ariſtoteles, vt humana ratio ſeſe fidei myſteriis immiſceret, vt Theologia omnis in rixis, & inani verborum pugna conſumeretur.

Sed antiquiores ſunt illæ querelæ, & ab Hæreticis in Sorbonicos primùm, ac S. Thomam vſurpatæ; à quibus noui Dogmatiſtæ ſic eas ſumpſerunt, vt ipſa

ſæpe Hæreticorum verba retinuerint. Caluinus in Antidoto Decreti Sorbonici, ad artic. 2. Sorbonicorum de libertatis indifferentia ſententiam, vt Philoſophicam, & Ariſtoteleam cauillatur. Statuerant enim illi liberum arbitrium eſſe ſolutam & indifferentem ad vtrumlibet facultatem: hoc decretum Caluinus exagitat, illíque ineptam & ridiculam probationem attexit in hæc verba: *Probatur ſic, quia Magiſtri Noſtri ſic determinauerunt poſt Ariſtotelem, & omnes Philoſophos, qui rationem in homine dominam conſtituunt loco Spiritus ſancti.* Quam Caluini ſententiam ita reddit Aduerſarius libro Prooemiali cap. 6. *Quibus definiendis* (de Scholaſticorum controuerſiis loquitur) *non rarò magis Ariſtotelis commentatio, quàm Spiritus ſancti reuelatio præſidet.* Caluinus idem libro 1. Inſtit. cap. 15. num. 8. *Papiſtarum* (ſic habet ad marginem) *delirium* ita confutat. *Qui in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo planè deſipiunt.* libro verò 2. cap. 2. num. 4. *Nimis ergo Philoſophicè hac de re loquuti ſunt, qui ſe Chriſti iactabant eſſe diſcipulos. Nam quaſi adhuc integer ſtaret homo, ſemper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multo arrogantius vſurpare vocabulum. Siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet.* Et libro 3. cap. 2. num. 2. ait, *Scholaſticos Theologos velut obducto velo Chriſtum texiſſe, & plurima mala illis accepta referri debere.*

Id multò luctuoſiùs queritur Philippus Melancthon, in Locis Theologic. apud Tapperum artic. 7. pag. 225. *Et in hoc quidem loco, cùm prorſus Chriſtiana doctrina à Philoſophia, & humana ratione diſſentiat, tamen ſenſim irrepſit Philoſophia in Chriſtianiſmum, quia receptum eſt impium de libero arbitrio dogma, & obſcurata Chriſti beneficentia per profanam illam, & animalem rationis noſtræ ſapientiam. Vſurpata eſt vox liberi arbitrij à diuinis litteris, à ſenſu, & iudicio ſpiritus alieniſſima, quâ videmus ſanctos viros non rarò*

offensos esse. Additum est è Platonis Philosophia vocabulum rationis aquè perniciosum. Nam perinde atque his posterioribus Ecclesiæ temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi; ita statim post Ecclesiæ auspicia per Platonicam Philosophiam Christiana doctrina labefactata est. Ita factum est, vt præter Canonicas scripturas, nulla sint in Ecclesia sincera scripturæ. Redolet Philosophiam quidquid omnino Commentariis proditum est.

Idem Melanchthon in Apologia pro Martino Luthero, in Sorbonicos acriter inuehitur, quòd apud eos Scholastica Theologia nata primùm sit, & exculta. *Quanquam,* inquit, *vbi rem propiùs considero, videtur Lutetia non peccare nunc primùm, sed iam olim ineptire, cùm Ecclesiastica doctrina humanis disputationibus vitiata philosophari cœpit. Constat enim natam esse Lutetiæ profanam illam scholasticen, quam Theologiam vocari volunt, quâ admissâ, nihil salui reliquum est Ecclesiæ, Euangelium obscuratum est, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem, sed Moralium Aristotelis populus sumus, & ex Christianismo, contra omnem sensum spiritus, facta est quædam philosophica viuendi ratio. O vtinam! Sorbonici, contingat vobis spiritualibus oculis cernere, quid Ecclesiæ damni dederit vestra illa apud vos & nata, & exculta Scholastica, quam à vobis acceperunt, quasi per manus reliqua Europæ Gymnasia.* Quàm hæc similia sunt iis, quæ ab noui dogmatis auctoribus in Scholasticam Theologiam iaciuntur!

Lutherus eâdem impudentiâ Scholasticam Theologiam calumniatur, in Confutatione Rationis Latomianæ, sub finem. *Ex iis puto satis monstratum, Theologiam Scholasticam esse aliud nihil, quàm ignorantiam veritatis, & scandalum iuxta scripturas positum,* &c. *Ex fructibus suis cognoscitur Philosophia, & Scholastica Theologia. Thomas* (Aquinas) *auctor est regnantis Aristotelis vastatoris piæ doctrinæ,* &c. *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam: hanc ego Scholasticam Theologiam*

logiam interpretor. Item: *Meum est consilium, vt adolescentes vitent Philosophiam & Theologiam Scholasticam, vt mortem animæ suæ.* Quis dubitet idem noui Doctoris consilium extitisse, cùm Philosophiâ & Theologiâ Scholasticâ crucem Christi euacuari scripserit? Per illum profectò non stetit quin toto orbe Catholico Scholastica Theologia exularet, libenter enim Christianis Principibus persuasisset, vt Eduardum Angliæ Regem imitarentur: de quo Grauina ita scribit in Præscriptiónibus pag. 168. *Eduardus Angliæ Rex, Henrici octaui sanguinis & erroris hæres nedum Collegia, & vniuersitates Theologicas euertit, sed Scholasticos Doctores incusans è Bibliothecis extraxit, ita vt collecta ingenti mole librorum, & pheretro imposita rogo tandem traderentur, clamantibus, & ouantibus adolescentulis hoc modo, funus Scoti & Scotistarum.*

Sed nihil æquè noui dogmatis in vexanda lacerandáque Scholastica Theologia cum Luthero consensum prodit, quàm Censura Sorbonica, quâ Lutheri errores damnantur, ex qua hîc articulos aliquot subiiciam.

III. PROPOSITIO LVTHERI.

Theologia Scholastica est falsa Scripturæ & Sacramentorum interpretatio, & exulem nobis fecit veram, & sinceram Theologiam.

CENSVRA SORBONÆ.

Hæc propositio est falsa, temerariè ac superbè asserta, ac sanæ doctrinæ inimica.

V. PROPOSITIO LVTHERI.

Quo tempore cœpit Theologia Scholastica, id est, illusoria, eodem euacuata est Theologia crucis, súntque omnia planè peruersa.

CENSVRA SORBONÆ.

Hæc propositio est falsa, præsumptuosè & irrationabiliter asserta, & errori Bohemorum damnato vicina.

VI. PROPOSITIO LVTHERI.

Libidinem corrumpendæ Scripturæ iam ferme trecentis annis patitur Ecclesia, incomparabili damno suo, à Doctoribus Scholasticis.

CENSVRA SORBONÆ.

Hæc propositio est falsa, stultè & malitiosè asserta.

Hanc Parisiensis Academiæ Censuram adeò nihil extimescit nouæ opinionis Coryphæus, vt has ipsas Lutheri propositiones probandas, illustrandas, confirmandásque susceperit. Primam, quâ Lutherus ait, *Scholasticam Theologiam exulem fecisse veram Theologiam*, sic amplificat libro Proœmiali capite 28. *Recens Theologia ad humanæ rationis modulum, & Philosophiæ gentilis regulas concinnata*, &c. *Tantùm ab ostio veræ Theologiæ* aberrauit, *vt neque fidem Christianam, neque spem, neque cupiditatem, neque charitatem, neque naturam, neque gratiam; eámque, neque Angelorum, neque hominum, neque stantium, neque lapsorum, neque sufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque prauenientem, neque subsequentem, neque excitantem, neque adiuuantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem eius, neque præmium, neque supplicium creaturæ rationalis, neque beatitudinem, neque miseriam eius, neque liberum, neque seruum arbitrium, neque prædestinationem, neque effectum eius, neque timorem, neque amorem Dei, neque iustitiam, neque misericordiam eius, denique neque vetus, neque nouum testamentum intelligere videatur: sed Babylonicam quandam confusionem, Cimmeriásque quasi tenebras in Theologiæ moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo, intulisse*. Quisquis hæc thrasonico efflata spiritu, & ex effreni impotentique maledicendi libidine temerè deblatterata non putat, Aduersarij iudicio minus est modestus. Nam cùm ipse ex longiori illo pneu-

mate reſpiraſſet, eáque ſedato relegeret animo, quæ quodam veluti œſtro percitus effutierat, faſſus eſt ingenuè modeſtiorem quemlibet tam inſolenti ſcribendi ratione offendi debere. *Hyperbolicè,* inquit, *vel temerè me iſta fundere citra dubium lector quiſque modeſtior arbitrabitur.* Arbitrabitur ſanè, ſtupebitque qua fronte Catholicus ſcriptor hanc Lutheri propoſitionem: *Scholaſtica Theologia exulem nobis fecit veram, & ſinceram Theologiam,* Pariſienſis Academiæ cenſurâ, & Chriſtianorum omnium execratione damnatam, tanto verborum & ſententiarum apparatu ac pompa, tot maledicentiæ figuris, & calumniarum aculeis ornarit, probarit, amplificarit.

Alteram Lutheri propoſitionem quâ ait: *Theologiâ Scholaſticâ euacuari Theologiam crucis,* longiori oratione Aduerſarius non explicuit, quòd ipſa per ſeſe ſatis atrox foret, ſed illi ex Auguſtino auctoritatem conatus eſt adiungere libro 9. de Hæreſi Pelagiana cap. 23. vbi hæc Auguſtini verba Theologiæ Scholaſticæ accommodat: *Sapientia verbi, quâ euacuatur crux Chriſti.* Poſtremam denique Lutheri calumniam, quâ Scholaſticos criminatur, quaſi *à trecentis annis* Eccleſiæ doctrinam perturbarint, fusè dilatat nouus Doctor toto capite 30. libri Prooemialis. Neque id tantùm *à trecentis annis* vt Lutherus, ſed *à quingentis* contigiſſe ait. Nam cùm ita oppoſuiſſet ſibi: *Scholaſticorum ſententias,* quas ab Auguſtino tanquam Pelagianas damnari contendit, *iam à quingentis ferè annis per vniuerſam penè Eccleſiam fuiſſe familiares, ideóque ſequi Eccleſiam penè totam errorum eſſe ream.* Reſpondet: verè quidem Scholaſticos Doctores ab eo tempore *Auguſtini doctrinam tot ſæculis antè receptam probatámque per ſuſceptionem contrariarum opinionum aboleuiſſe, & ex Scholis exturbaſſe:* ſed negat, *vllâ Scholaſticarum opinationum vetuſtate, quantocunque patrocinantium numero roboratâ, quibuſcunque locis diffusâ, quotcunque ætatibus propagatâ fidem Eccleſiæ maculari.* Si quæ-

rerem, quò auolarit Ecclesiæ doctrina, aut vbi delituerit quingentis illis annis, quibus contrariæ Scholasticorum sententiæ totum orbem. Christianum inundarunt, non leue Aduersariis negotium facesserem. Sed istud modò non premo, hoc vnum obseruatum velim, Lutherum de Scholastica Theologia multò modestiùs scripsisse: & tamen eius propositiones à Parisiensi Academia damnatæ sunt tanquam *falsa, temeraria, superbè asserta, sana doctrina inimica, præsumptuosè & irrationabiliter asserta, & errori Bohemorum damnato vicina.* Quibus verbis 29. Wicleffi articulũ designat Constantiæ damnatum, quo pari impudentia Theologiam lacerabat. Fuit enim ille Scholasticæ Theologiæ Calumniatorum Antesignanus, eámque tanto prosequutus est odio, teste Waldiensi tomo 1. libro 2. artic. 3. capite 67. vt Theologiæ Scholas appellaret, *Castra Caimitica, quatuor mendicantium ordines in nomine Caim figurando, ita vt C, Carmelitas; A, Augustinienses; I, Iacobitas; M, Minores significet.*

Hæc sunt Hæreticorum in Theologiam Scholasticam conuicia, quæ ipsi quoque Stancaro tam atrocia visa sunt, vt eius patrocinium aduersus tam iniustos Criminatores susceperit libro de Trinitate & Mediatore, scripseritque: *Petrum Lombardum pluris esse, quàm centum Lutheros, ducentos Melancthones, trecentos Bulingeros, quadringentos Petros Martyres, quingentos Caluinos. Qui si omnes in mortario contunderentur, non exprimi posset vna vncia vera Theologia.* An idem de recenti Theologorum Calumniatore dicendum sit, lectoribus statuendum relinquo. Vnum hoc moneo testari plurimos, vix illum accuratiori, & pugnatrice illâ Theologiâ leuiter fuisse perfusum. Atque illud fortasse fuit in causa, cur eam tantopere fastidiat, & auersetur. Nam inde quoque Caluinistarum in Scholasticam Theologiam odium exarsit, vt scribit Claudius Espencæus Parisiensis Theologus in Digressionibus ad posterio-

rem D. Pauli Epistolam ad Timotheum pag. 251. *Caluinistæ,* inquit, *conuiciis lacessunt, quam vix à limine salutarunt Scholasticam, ac tantùm non dedignantur: sed non aliter fortè, quàm apud Gabriam Poëtam Græcum, vulpes vuas proceræ cuiusdam vitis diu conspicata, & decerpere frustra conata, tandem eas se despicatui ducere, ac damnare dixit, quòd viderentur acerbiores.*

PARAGRAPHVS II.

Secunda Calumnia, quâ communem de libertate sententiam Pelagianismi notâ inurunt, ex recentioribus Hæreticis arrepta est.

GRAVIOR est altera nouæ factionis calumnia, cui concinnandæ temporis multum, & operæ perdiderunt: quòd hac vnâ communem de libertatis indifferentia sententiam infamari penitus, & explodi arbitrentur. Pugnant illam ex omni parte Pelagianam esse: quod vt persuadeant efficaciùs, eam diuidunt in partes, & singulis Pelagianismi notam inurunt. Verùm in hac calumnia tam infeliciter sunt versati, vt nulla in re recentes Theologos Pelagianismi criminentur, in qua Lutherani, atque Caluinistæ Tridentinos Patres, Sorbonicos, aliósque Doctores Catholicos, eiusdem Pelagianismi non insimularint. Vnde quilibet facilè suspicetur, eos suum illud *Parallelum opinionis quorundam recentiorum cum opinione Semi-Pelagianorum,* ex perpetuis, & integris Hæreticorum locis texuisse, in quibus vnum hoc mutauerint, quòd vbicumque Tridentinorum Patrum, Sorbonicorum, aliorúmque Catholicorum nomina legerunt, eorum loco recentium Theologorum nomen posuerint. Pauca hîc adscribam, ex quibus de reliquis coniecturam facies.

Libris octo de Hæresi Pelagiana, & reliquo deinceps opere.

Primò, vniuersim pronuntiant recentiores Theologos Pelagij hæresim, etsi verbo tenus execrentur, re

tamen ipsâ consectari. Lutherani omnes, atque Caluinistæ idem Tridentinis Patribus, Summis Pontificibus, Sorbonicis, aliisque Catholicis imponunt. Chemnitius in Examine Concil. Trid. ad sess. 6. edit. Francofurtiensis: *Hoc memori mente reponamus, & nouerimus non seriò, sed pro forma tantùm fieri, quando Pelagianismum damnant Pontificij*. Synodus Caluinistarum Dordrechtana pag. 728. PONTIFICII PELAGIANORVM ERRORIBVS, TAMETSI VERBIS ID NEGARE VIDEANTVR, RE VERA PARTICIPANT. Lutherus in assertione articulorum, summum Pontificem, eiúsque Theologos Pelagianos vocat; immo & Pelagio nequiores esse calumniatur.

Secundò, recentium Theologorum opinionem per partes cum Semi-Pelagianorum errore committunt, in multísque deteriorem esse pugnant. Quis non putet hoc fieri Caluini exemplo? qui lib. 3. in Pigh. pag. 188. Catholicorum de libero arbitrio sententiam cum Pelagianismo componit, illúdque suum *Parallelum* ita auspicatur. *Quòd autem toties cum Pelagianis nihil se habere commune tactat, nescio quos hic Pelagianos comminiscatur. Neque enim tantùm cum iis, quos describit Augustinus, multa habet similia: sed eorum quibusdam multo est deterior*. Quod pluribus ostendere conatur, illúdque identidem vsurpat, *vbi nunc tantum illud inter Pighium, & Pelagianos dissidium, quo tantopere gloriatur?* totúmque hoc *Parallelum* ita concludit pag. 191. *Ergo vt aliquando claudatur hic liber, frustra se à Pelagio disiungere conatur Pighius, cuius societate eum teneri implicitum tam apertè demonstrauimus*.

Petrus Martyr tomo 1. Loc. Comm. titulo de libero arbitrio, idem *Parallelum* instituit inter Pontificios & Pelagianos, illique hunc titulum ad marginem præfigit, *Collatio inter Aduersarios nostros, & Pelagianos*: eámque sic inchoat: *Neque verò Aduersariorum nostrorum decreta longè discedunt à Pelagianis*. Melanchthon in Apolo-

gia pro Luthero, aduersus Sorbonicos: PELAGIANI, IMMO PELAGIANIS IMPVRIORES SVNT SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ SCRIPTORES. Tum ad Sorbonicos conuersus, PRÆTER SCHOLASTICA, HOC EST PELAGIANA, NIHIL SAPITIS.

Tertiò, affirmant Pelagianum esse, quod recentes Theologi mordicus tuentur, gratiam ita voluntatem præuenire, vt integrum nobis sit eam admittere, vel respuere. Eandem ob causam Lutherani, atque Caluinistæ Pontificios Pelagianismi reos faciunt. Zanchius Tractat. Theolog. lib. 1. cap. 6. Thes. 7. pag. 96. *Docuerunt, & adhuc Sophistæ docent* (sic Pontificios Theologos vocat) *Pelagiani, gratiæ nomine intelligi motionem quandam Dei, quæ intus præuenit voluntatem, sed ita vt relinquat eam liberam, vt oblatam salutem vel amplectatur, vel respuat.* Breuiùs pag. 131. *Nostri Semi-Pelagiani statuunt ita offerri voluntati gratiam, vt voluntas sit libera ad illam amplectendam, vel respuendam.* Nihilò moderatior est Caluinus. Nam lib. 2. Instit. cap. 3. num. 13. cui hic titulus ad marginem apponitur, *Probatur multis locis fuisse Augustini sententiam, non offerri tantùm à Deo gratiam, quæ libera cuiusque electione aut recipiatur, aut respuatur*, hæc habet: *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur, in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur.* Eandem calumniam recoquit Petrus Martyr, in Locis Comm. Titulo de gratia Dei, num. 12. *Recentiores Theologi, vel Sophist.* (sic Hæretici omnes Pontificios Theologos vocant) *ne prorsus viderentur cum Pelagio conuenire, ita statuunt, gratiam quidem primò accedere; sed nostrum esse eam aut recipere, aut respuere. Atqui hoc nihilo melius est, quàm illud Pelagij.*

Quartò, Pelagianum esse vociferantur, quod vulgò dicitur, pendere à nobis bonum vsum gratiæ, atque

adeo iustificationem nostram, non diuinæ tantùm gratiæ, sed & libertati nostræ esse tribuendam. Illud ipsum Caluinus Tridentinis Patribus Pelagianismo vertit in Antidoto Concilij Trident. ad sess. 6. *Postaquam singulari Dei beneficio factum est, vt communi veteris Ecclesiæ consensu Pelagij repudiaretur impietas, non tam proteruè ampliùs de hominum meritis garrire ausi sunt. Mediam tamen viam excogitarunt, vt in homine iustificando, neque totum Deo, neque nihil darent. Hæc moderatio est, quam tenent Venerandi Patres, vt aliquanto se magis verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius.* Eandem ob causam Pontificiis omnibus Pelagianismum aspergunt Dordrechtani pag. 728. *Pontificij Pelagianorum erroribus, tametsi verbis id negare videantur, re vera participant. Voluntatem enim non renatam dicunt posse cooperari gratiæ præuenienti, & efficaciam huius à libero arbitrio pendere.* Hubertus Sturmius lib. de præd. edit. Hannou. anni 1604. pag. 11. *Si totam salutis gloriam nobis assumimus, deteriores sumus Pelagio; si verò hîc cum Deo partimur, meri Pelagiani sumus.*

Quintò, ferre non possunt gratiæ sufficientis nomen, iurántque communem de illa doctrinam, purum putúmque Pelagianismum esse. Ita Synodus Dordrechtana pag. 730. *Bellarminus, cum Concilio Tridentino, & Pelagio, intelligit per gratiam præuenientem, vocationem, cuius efficacia ab hominis ingenio pendet. Atque hanc gratiam Sophistæ tales appellant auxilium sufficiens ad conuersionem, quod omnibus hominibus dari volunt.* Hubertus Sturmius lib. de præd. PELAGIANI AC SEMI-PELAGIANI NOSTRI DICVNT GRATIAM DEI OMNIBVS OFFERRI, *ac in arbitrio hominis esse situm oblatam vel acceptare, vel repudiare.*

Sextò, aiunt gratiam illam, quæ infidelibus ante fidem tribui dicitur, Pelagianum esse commentum ad eleuandam Christi gratiam confictum, contendúntque acerrimè, ex Augustini mente fidem esse primam gratiam.

gratiam. Non absimili strophâ Catholicos aggreditur Petrus Martyr, tom. 1. Loc. Comm. Titulo de libero arbitrio num. 9. *Neque verò*, inquit, *Aduersariorum nostrorum decreta longè discedunt à Pelagianis. Illi enim docuerunt naturam adiutam gratiâ creationis, & doctrinâ legis, posse rectè agere: isti verò dicunt, naturam gratiâ praeueniente, & pulsante adiutam posse bona facere, quæ Deo placeant*, &c. *Apud Augustinum autem, qui aduersus istos fortiter dimicauit, nihil est discriminis inter rectè agere absque gratia, & rectè agere extra fidem Christi.* Et num. 13. *Apparet ergo eos qui aliam gratiam sibi fingunt, quàm eam, quâ iustificamur, & in Christum inserimur, obtrudere nobis humanum commentum, vel potiùs Pelagianum perfugium, quod diuinæ litteræ non agnoscant.*

Septimò, recentioribus Theologis irascuntur, quòd dicant, Deum omnes ac singulos homines velle saluos fieri, & Christum pro omnibus, ac singulis mortem obiisse: atque hanc sententiam non tantùm Pelagianorum errori affinem, sed etiam ab ipso Pelagio fluxisse contendunt. Hæretici eadem Catholicis obiiciunt. Caluinus lib. de æterna Dei prædest. pag. 706. Beza lib. de æterna Dei prædest. pag. 419. Et Synodus Dordrechtana pag. 300. 354. aiunt eos, qui Christum pro omnibus mortuum esse docent, *populo perniciosum Pelagianismi venenum propinare.*

Octauò, argumenta, quibus recentiores Theologi libertatis indifferentiam probant, ab Pelagianis sumpta esse criminantur. Primum est, quod necessariò fit, non esse peccatum. Secundum, virtuti, & vitio verti non posse, quod necessariò fit. Tertium, exhortationes, & præcepta frustra esse, si non sit in nobis libertatis indifferentia. Eâdem calumniâ Catholicos vexant Hæretici. Caluinus lib. 2. Instit. cap. 5. vbi confutat argumenta, quibus vtuntur Catholici ad astruendam libertatis indifferentiam, num. 1. sic primam obiectionem proponit. *Si peccatum, aiunt, necessitatis est,*

iam desinit esse peccatum. Tum respondet: *Hac Pelagij quoque arma erant ad impetendum Augustinum.* Ad marginem verò id habet: *Primum absurdum à Pelagio mutuatum.* Num. 2. ita loquitur, *Subiiciunt, nisi ex libera arbitrij electione, tum vitia, tum virtutes procedunt, non esse consentaneum, vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur. Hoc argumentum etsi Aristotelicum est, fateor tamen à Chrysostomo, & Hieronymo alicubi vsurpatum. Pelagianis tamen fuisse familiare, nec ipse Hieronymus dissimulat.* Margini illud adscribit, *Alterum absurdum ab Aristotele & Pelagio desumptum.* Num. 4. *Instant*, inquit, *frustra exhortationes suscipi*, &c. Respondet, *Similia olim, cùm obiectarentur Augustino, libellum de correptione & gratia scribere coactus est.* Consentit quod è regione margini attexit: *Quartum absurdum à Pelagianis olim obiectum.* Quæ toties repetit, quoties illorum argumentorum meminit, vt in Antid. Conc. Trid. ad sess. 6. vbi ad illam obiectionem, *Deus impossibilia non iubet*, respondet: *Vexabant etiam Augustinum hâc calumniâ Pelagiani.* Et lib. 4. aduersus Pigh. pag. 180. & sequentibus. Caluinum sequuntur Hæretici omnes, atque hac vnâ fere calumniâ se ab iis argumentis defendunt. Quanquam & in ea re nonnulli paulò sunt moderatiores, quàm Aduersarij. Nam ex eo, quòd Pontificij eodem vtantur argumento, quo Pelagiani, nolunt continuò sequi, eos esse Pelagianos. Chamierus tomo 3. lib. 3. cap. 3. num. 4. vbi soluit Catholicorum argumentum de præmiis, & pœnis, quod Caluinus ab Pelagianis mutuatum fuisse dixerat: *Repetenda est*, inquit, *Caluini protestatio ex primo argumento itidem mutuato à Pelagianis. Negabat enim, se velle Papistas Pelagij nomine pregrauare, donec de re ipsa satisfactum à se fuisset. Non igitur ex eo, quod hoc argumento Papista cum Pelagianis vtuntur, idcirco statim concludebat Papistas esse Pelagianos.*

Quàm importunè Lutherani atque Caluinistæ Pe-

lagianiſmum Catholicis impingant, ex iis etiam ſcriptoribus, qui cum illis dimicarunt, liquidò conſtat. Thomas Stapletonus to. 2. pag. 410. PROTESTANTES, inquit, IN QVÆSTIONE DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO PELAGIANA DOGMATA NOBIS IMPINGVNT, *ſéque ac ſuam doctrinam Pelagianorum hæreſim impugnare aiunt. Sed id dum faciunt in Manichæi inſanias ruunt, & Scyllam Pelagianam declinantes, in Charibdim Manichæam impingunt*, &c. *Quid enim eis prodeſt contra Pelagianos adiuuantem gratiam aſſerere, cùm tamen cum Manichæis liberum arbitrium tollant.* Ac demum ita concludit: *Egregia ergo & callidiſſima, ſed vana, & improba aſtutia. Pelagianiſmum ſe impugnare Proteſtantes aiunt, & Pelagianiſmi Catholicos redarguunt, dum Pelagium declinantes, vel Manichæo adhærent, vel in tertium quoddam extremum delati, deteriora Pelagianis docent.* Et Driedo libro de Concordia liberi arbitrij cap. 1. *Sunt iam, ſicuti fuerunt & olim, improbi diuinæ gratiæ defenſores, contradicentes quidem Pelagianæ hæreſi, eorúmque erroribus, ſed dum inſipienter id faciunt, incidunt & ipſi in duo præcipuè mala, vnum quòd Catholicos Patres &* TOTVM DOCTORVM SCHOLASTICORVM COETVM PELAGIANORVM NOMINE CRIMINANTVR; *alterum quod etiam ipſi alio peruerſitatis genere inſanientes hæreſim noui erroris inducunt.*

PARAGRAPHVS III.

Ex iiſdem Hæreticis deſcripta eſt tertia calumnia, quâ inſcitiæ ac Semi-Pelagianiſmi notam iis ſcriptoribus aſpergunt, qui aliquam Prædeſtinatianorum hæreſim extitiſſe teſtantur.

INTER proſcriptas ſuperiorum temporum hæreſes, quas Lutherani atque Caluiniſtæ excitaſſe denuo,

& ab inferis reuocasse dicuntur, non extremum locum obtinet Prædestinatianorũ Hæresis. Hæc nata primùm est quinto seculo, vt grauissimi auctores referunt, Prosper, Sigebertus, Genebrardus, Baronius, aliique pene innumeri. Emersit rursus seculo nono à Goteschalco Orbacensi Monacho instaurata, quem Hincmarus in Epistola ad Nicolaum Papam vocat, *Habitu Monachum, mente ferinum, quietis impatientem, & vocum nonitate delectantem, ac inter suos mobilitate noxia singularem.* Qui *è Monasterio irregulariter egressus peragratis regionibus plurimis*, suum vbique dogma proseminauit. Quod à veterum Prædestinatianorum hæresi nihil discrepasse testantur Hincmarus in Epistola ad Nicolaum Papam, Rabbanus in Epistolis ad Eberhardum Comitem, & ad Hincmarum, Trithemius in Hirsaugiensi Chronico ad annum 851. Sigebertus ad annum 849. Flodoardus l. 3. hist. cap. 28. quos sequuntur Baronius, Binius, Grauina, Coccius, aliique scriptores Catholici. Wicleffus eandem hæresim recoxit, vt auctor est Thomas Waldensis l. 1. Doctrinalis fidei articulo 1. cap. 22. *Inter hæc*, inquit, *surrexit hæresis* PRÆDESTINATORVM *in Ecclesia, qui vt reor occasione sumpta quorumdam verborum Augustini præfatam necessitatem firmabant: de quibus in Chronicis Prosperi sub tempore Celestini Papæ*, &c. Tum paulo pòst: *Destruxerunt hi prædicti liberum arbitrium: quidam publicè sicut Manichæi, & Iouinianistæ, quidam occultè sicut* PRÆDESTINATI, *& Vvicleuistæ: qui profitentur quidem liberum arbitrium saluare, & saluant quidem exemplariter, sed destruunt in effectu.* PRÆDESTINATI *quidem in hominibus, & Angelis, quibus solis necessitatem prædictam ascribunt, Vvicleuistæ*, &c. Eiusdem hæresis instaurationem Ioanni Huss Bohemo tribuunt Alphonsus à Castro, Sebastianus Medices, & Gabriel Prateolus verbo *Prædestinati.* Docent insuper illam ab hodiernis Hæreticis suis è cineribus rediuiuam excitari. Prateoli verba sunt: *De hac hæresi & eius immigra-*

tiane his extremis temporibus, vide plura in Hussitis, & Martino Luthero. Illud ipsum Caluinistis exprobrant scriptores Catholici Claudius de Sainctes Ebroicensis Episcopus in Atheismis Caluini, Dominicus Grauina pag. 671. Iacobus Gaulterius in Chronologia pag. 381. & 603. Nicolaus Romæus in Caluini Effigie pag. 58. Serrarius libro 1. rerum Mogunt. cap. 33. Becanus in quæstionibus Caluinisticis contra Pareum quæst. 3.

Pupugit ea res Caluinistas, qui cùm opinionem suam à Prædestinatianorum errore secernere non possent, audax tandem consilium iniuere. Statuerunt Historicorum omnium fidem accusare, qui aliquam Prædestinatianorum hæresim extitisse scripserunt. Atque vt ex ipsis Catholicorum querelis aliquam opinioni suæ auctoritatem accerserent, pugnauerunt non alios fuisse Prædestinatianos, quàm qui sancti Augustini doctrinæ, atque adeo Catholicæ opinioni impensiùs addicti, à Semi-Pelagianis vexati sunt, atque hoc infami Hæreticorum nomine appellati. Quamobrem adeo illud Prædestinatianorum nomen Caluinistæ non abnuunt, vt illud vertant in laudem, séque illa appellatione Augustini sectatores dici glorientur. Qua de re vberrimè scripsit Iacobus Vsserius Hibernorum Caluinistarum antesignanus libro Dublinij edito anno 1631. quem ita inscripsit: *Gotteschalci & Prædestinatianæ controuersiæ ab eo motæ historia.* Vbi acriter contendit non alios fuisse Prædestinatianos, quàm qui Augustini sententiam aduersus Semi-Pelagianos propugnarunt. Vnde Catholicis scriptoribus insultat pag. 26. quòd Prædestinatianorum opinionem *è graueolentibus priscorum hæreticorum bustis ab hodiernis refossam Caluinistis* scribant, vel vt ipse ait, *calumnientur.*

Nouæ opinionis artifex, cùm intelligeret ex illa Prædestinatianorum hæresi non minorem sibi quàm Caluinistis inuidiam conflari, illud ipsum Caluinistarum suffugium arripuit, & scriptores omnes qui Præ-

destinatianæ hæresis meminerant, tanquam Augustinianæ doctrinæ calumniatores atrocibus verbis insectatus est. Caput integrum in ea re consumit, cui titulum fecit: *De Prædestinatianis & eorum hæresi, non esse hæresim, sed calumniam, qua Maßilienses sancti Augustini doctrinam infamarunt.* Quo capite Hiberni illius Caluinistæ disputationem integram ad verbum ferè descripsit, neque verò, vt gratitudo postulabat, illius nomen appellauit, vnde ista sumpserat, sed omnia ita proposuit, vt ea sibi venisse primùm in mentem non obscurè significarit. Quàm immeritò ex iis quæ subiicio cognosce.

Libro 6. de hæresi Pelagiana cap. 23.

Primò ita pronuntiat: *Itaque Hæretici illi Prædestinatiani, non fuerunt alij quàm sanctus Augustinus, Prosper, Hilarius, & quotquot eorum doctrinam sequebantur.* Caluinista verò pag. 25. *Prædestinatos non alios fuisse quàm eos, qui Augustinianam de prædestinatione sententiam sunt amplexi.* Addit Aduersarius: *Qui Augustini doctrinam sequebantur Prædestinatianorum nomine indigetarunt Semi-Pelagiani, atque inter hæreticos collocarunt.* Vel vt habet inferiùs: *Inuidioso nomine traductos inter Hæreticos*, &c. Caluinista autem pag. 18. ait, *Semi-Pelagianorum fuisse istas technas, qui nouellæ cuiusdam Prædestinatianæ hæreseos excogitato odioso nomine, ipsius Augustini Orthodoxam de prædestinatione doctrinam prægrauare studuerunt.*

Secundò ita argumentatur: *Hincmarus ait Prædestinatianorum hæresim primùm in Africa, postea in Galliis per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis nascebatur, exortam esse, & tempore Celestini Papæ, & instantia sancti Prosperi reuictam esse.* Tum paulo pòst: *Ex quibus clarè ostenditur, non Prosperum, aut Celestinum Hæreticos Prædestinatianos instantiâ, aut auctoritate sua reuicisse, vt Hincmarus ait, sed Maßilienses Presbyteros, qui praua dogmata de prædestinatione ex Augustini, & Prosperi scriptis inferebant.* Quæ Hibernus Caluinista sic expresserat: *Quid*

de Hincmari ἀνεφρονίᾳ *statuendum sit, qui commentitiam hanc Prædestinatianorum Hæresim primùm in Africa, postea in Galliis, per idem tempus quando & Nestoriana hæresis esse exortam; & tempore Celestini Papa, ipsius auctoritate & instantiâ S. Prosperi reuictam esse asserit.* Paucis interiectis: *Ex istis responsionum Prosperi libris constat, non quidem à Prædestinatianis nescio quibus, sed à Pelagianorum reliquiis, Augustini doctrinam in prauum sensum calumniosè fuisse detortam: eiúsque innocentiam, Prosperi & Hilarij instantiâ, aduersus istorum calumnias à Celestino assertam fuisse.* Mox: *Sed extitisse tum Prædestinatianæ alicuius hæreseos defensores alios, à Celestino, & Prospero refutatos, Hincmari commentum est.*

Tertiò, idcirco Prædestinatianam Hæresim explodit, quòd *primus omnium, qui dogma Prædestinatianorum recensuit, fuit Gennadius Massiliensis Presbyter, non mediocriter de Semi-Pelagiana hæresi suspectus, & Augustino periniquus, quem tanquam ex multiloquio peccantem, & errantem taxat.* Caluinista quoque pag. 19. ait, *Gennadium Massiliensem* de Prædestinatianis primum scripsisse. De quo ista subnectit: *Quâ à Massiliensibus suis imbutus persuasione Gennadius, quo animo in Augustinum affectus fuerit satis aperuit, cùm illum in multiloquio non effugisse peccatum pronuntiat.*

Quartò, Gennadium ab Isidoro Hispalensi correctum fuisse scribit. *S. Isidorus Hispalensis Episcopus, cùm librum illum Gennadij vidisset, atque inde plures hæreses iisdem omnino verbis descripsisset. Pelagianos à Gennadio prætermissos addidit, & Prædestinatianos à Gennadio positos prætermisit.* Quæ sumpta sunt ex eodem Hibernorum Caluinistarum Primate ita scribente pag. 20. *Itaque Isidorus Hispalensis relicto hic Gennadio, quem aliàs in suo Hæreticorum catalogo sequi solet, Prædestinatianorum horum mentione prorsus prætermissâ, Pelagianorum hæresim eorum loco, iudicio longè rectiore substituit.*

Quintò, sic disputat: *Omnia quæ Sigebertus, Hincma-*

rus, maximéque Gennadius Prædestinatianis adscribunt, sunt ipsissima illa dogmata, quæ Semi-Pelagiani tanquam ab Augustino tradita, atque in eius libris expressa carpebant. Quod pluribus probare nititur ex Prospero, & Augustino. Sed nihil prorsus eo loci affert, quod idem ille Caluinista non scripserit pag. 20. & 21. vbi illud argumentum sic aggreditur: *Atqui nihil est eorum quæ Prædestinatianis ab Gennadio, Hincmaro, aut ipso etiam Sigeberto tribuuntur; quod non à Pelagianis & Semi-Pelagianis, ipsi Augustino, & eius sectatoribus attributum fuisse comperimus.* Si Augustini ac Prosperi locos quibus id euincêre conatur, cum iis conferrem quos Aduersarius ad illud ipsum probandum congerit, ex vtroque paginas duas exscriberem: adeo nihil inter se discrepant.

Sextò, superius argumentum ita concludit: *Ex his luce meridiana manifestius est, Prædestinatianorum hæresim non esse aliud nisi doctrinam Augustini & Prosperi inuidiosè propositam.* Eadem est Caluinistæ conclusio: *Vnde*, inquit, *manifestum existit, non ex libris Augustini malè intellectis, vt Sigeberto visum est, sed ex Augustini libris ritè intellectis, sensisse Massilienses, & alias Pelagianorum reliquias, iustâ consequentiâ deducta fuisse nefanda illa, quæ Prædestinatianis adscribebant dogmata.*

Ce Prosper n'est pas S. Prosper du temps de S. Augustin, comme a fort bien remarqué Arnauld de Pontac. Apologie premiere pag. 198.

Septimò, Prosperi qui Prædestinatianorum meminit auctoritatem sic eleuat: *Et Prosper ille, qui Tyro dicitur, quamuis pudendis erroribus scateat*, &c. Addunt eius defensores: *Prosper iste non est S. Prosper, qui Augustini tempore vixit, vt optimè obseruauit Arnaldus Pontacus.* Quæ Hibernus Caluinista totidem ferè verbis conceperat pag. 17. *Et Tyro Prosper*, inquit, *quisquis ille fuerit, nam à Prospero Aquitanico Augustini propugnatore, longè diuersum fuisse iam dudum demonstrauit Arnaldus Pontacus.*

Octauò, Sigeberti quoque fidem his verbis extenuat: *Quid mirum si Gennadium secuti Prædestinatianos in hæreticorum Catalogo collocauerunt. Quod Sigeberto tan-*

quam

quam Historico facile fuit, cùm Historici absque profunda rerum talium indagatione plerumque litteris mandare soleant, quod bona fide apud alios scriptum inueniunt. Caluinista verò à Semi-Pelagianis impositum Sigeberto fuisse scribit pag. 23. *Hæc Sigebertus: ignorans Semi-Pelagianorum ictibus, per Prædestinatorum istorum latus, rectà petitum fuisse ipsum Augustinum.*

Nonò, Hincmarum Remensem qui eiusdem Prædestinatianæ hæresis mentionem fecerat fœdè traducit, vt omnem illi auctoritatem abroget. *Hincmarus*, inquit, *Massiliensium obiectiones & Anathemata pro hæresi Prædestinatiana accepit, & articulos ab Augustino, Prospero, Fulgentio traditos, quia à Godeschalco probabantur, improbauit.* Paulo antè dixerat: *Godeschalci assertionem*, damnatam ab Hincmaro, *non esse hæresim, sed doctrinam sancti Augustini, ac Fulgentij.* Eadem scribit Caluinista, & toto libro suo inuidiosè exaggerat. *Extitisse*, inquit pag. 26. *Prædestinatianæ alicuius hæreseos defensores alios, à Celestino, & Prospero refutatos, Hincmari commentum est, odium hinc Aduersario Gotteschalco conflare volentis. quem* (Gotteschalcum) *Prædestinatianos nullos in prædestinationis doctrina tradenda secutum fuisse, quàm Augustinum, Prosperum, & Fulgentium, scripta ipsius declarant.*

Decimò, ait, *Valentinam Synodum tanquam Catholicam fidem tradere, id quod Hincmarus in Godeschalco tanquam Prædestinatianam hæresim condemnauerat.* Quam in rem aliquot rationes adhibet repetitas ex eodem Caluinista, qui illud ipsum pluribus efficere conatur cap. 12. & sequentibus. Vnde pag. 197. hæc habet: *In Valentino Concilio Prædestinatianam illam quam vocat hæresim, hoc est Gotteschalci pariter & Augustini sententiam de prædestinatione Orthodoxam comprobatam fuisse iam ostendimus.*

Est hîc quòd de Aduersarij fide expostulem, qui ex Vsserio Caluinista Goteschalci Apologiam ita descripsit, vt quæ aduersus illum faciebant ne verbo quidem

attigerit. Tacet enim, quod Vsserius narrat, Goteschalci causam in Germania penitus esse damnatam, *In Gallia tamen*, inquit pag. 45. *sequens historia omnia exhibebit hic penè paria; Episcopos, Episcopis: Synodos oppositas Synodis, infestisque obuia signis signa; pares aquilas & pila minantia pilis.* Tacet, inquam, quod testantur Trithemius, Sigebertus, Flodoardus, Baronius aliique scriptores innumeri, nimirum, Goteschalci opiniones quas Aduersarius Orthodoxas contendit, damnatas esse à Concilio Moguntino, & à Rabano Mauro Moguntiæ Archiepiscopo, quem sanctus Odilo Abbas Cluniacensis vocat, *Fide Catholicum, & spirituali scientiâ ad plenum edoctum*: Hermannus Contractus, *diuinorum librorum tractatorem egregium*: Ioannes Trithemius, *Virum in diuinis scripturis eruditissimum, cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem*: Sixtus Senensis, *Virum omnium disciplinarum cognitione absolutissimum, cui nullum parem eo sæculo Germania habuit*: Cardinalis Baronius, *Fulgens temporibus istis Germaniæ sidus, verticem huius temporis Theologorum, & non imparem magnis Doctorem.* Porro Concilium illud Moguntinum habetur tomo 6. Conciliorum pag. 438. hoc titulo: *Concilium Moguntinum secundum sub Rabano Archiepiscopo, contra Goteschalcum hæreticum Presbyterum anno Domini* 848. *celebratum. Cui interfuerunt*, inquit Trithemius, *celeberrimi Episcopi, Helti Archiepiscopus Treuirensis, Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Altfridus Episcopus Hildesheimensis, Haymo Episcopus Halberstatensis, Ludericus Episcopus Bremensis,* &c. *Aduentitius Abbas Metensis (postea ibidem Episcopus) & Radulphus Abbas sancti Medardi Suessionensis (postea Bituricensis Archiepiscopus) & alij multi Episcopi, Abbates, & Monachi, inter quos complures erant vitâ & doctrinâ famosissimi.* Goteschalcus tam celebri eruditóque in consessu Rabano Archiepiscopo libellum professionis suæ porrexit, à quo & Lupo Seruato doctissimo homine rationibus fractus, conuictúsque,

cùm suam nihilominus hæresim eiurare detrectaret, damnatus est à Patribus, & cum litteris Synodalibus ad Hincmarum proprium Episcopum remissus, vt totidem ferè verbis Hincmarus ipse narrat in Epistola ad Nicolaum primum. Interim dum Rabanus Maurus, Lupúsque Seruatus multa ad præfocandam Goteschalci hæresim scribunt: Carisiaco in Palatio Episcoporum Synodus habetur, cui interfuerunt Wenilo Senonensium Archiepiscopus, Hincmarus Remorum Episcopus, Fulconius Morinensium, Teudericus Cameracensium, Hrothadus Suessionum, Ragenarius Ambianensium, Immo Nouiomagensium, Erpoinus Siluanectensium, Lupus Catalaunensium, Yrminfridus Beluacensium, Tutboldus Lingonensium, & Gernobrius Turonensi in prouincia Episcopus. Chorepiscopi quoque Rigboldus, & Witaus, ille Remorum, hic Cameracensium: Alij denique doctrinâ & pietate spectabiles viri, quos inter eminebant Wenilo Rotomagensium postea Archiepiscopus, Æneas postea Parisiorum Episcopus, & Isaac Diaconus postea Lingonensium Episcopus. *In quorum præsentia*, inquit Hincmarus, *idem Godeschalcus sicut & in Moguntina ciuitate, inuentus hæreticus, atque incorrigibilis, honore Presbyterali, quem per Rigboldum Chorepiscopum, cùm esset Suessionica Parochiæ Monachus, inscio ciuitatis suæ Episcopo, vsurpauerat potiùs, quàm acceperat, abiectus, & pro suâ irreuocabili contumaciâ, secundùm leges, & Agathenses canones, & Regulam sancti Benedicti, vt improbus virgis cæsus, sicut decreuerant Germaniæ Prouinciarum Episcopi, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus.* Atque ex illo tempore Historici & Theologi, ac præsertim Trithemius, Sigebertus, Flodoardus, Baronius, Andreas du Vallius, Seuerinus Binius, Dominicus Grauina, Iodocus Coccius, & Georgius Ederus Goteschalcum inter Hæreticos retulerunt, & quatuor eius capitula Moguntino, & Carisiaco in Concilio damnata hæresis notâ confixere.

Mihi verò modò non vacat ea refellere; quæ fusissimè Vsserius Caluinista differit, vt vincat Synodi Valentinæ Patres Goteschalci opinionem probasse; fiet id commodiùs cùm Aduersarij, hæc quoque eius argumenta, quæ leuiter tantùm attigerunt, suos in libros integra transtulerint. Quod facient propediem, si eâdem, quâ cœperunt audaciâ, in hoc Caluinistâ spoliando pergant. Vix enim librum vllum dederunt in lucem, cui excerptam ex hoc Hæretico laciniam aliquam non assuerint. Sic Apologia prima Gallicè illud vertunt, & magnificè ostentant, quod de Prudentio Tricassino Vsserius iactat pag. 166. *Cùm Æneas*, inquit, *qui Synodo Carisiacæ interfuerat, in Parisiensi Ecclesia Episcopus esset ordinandus: pro Goteschalci parte capitula nonnulla edidit Prudentius, illis quæ in Carisiaco conuentu constituta fuerant, opposita, quibus si Episcopus postulatus subscribere recusaret, ordinationi eius se nequaquam assensurum protestatus est.* In secunda Apologia multo liberiùs eundem Caluinistam deprædantur, vt paragrapho sequenti docebo.

Prudence Euesque de Troyes écriuant aux Euesques assemblez pour la consecration d'Enée, Euesque de Paris, declara, qu'il ne pouuoit consentir à cette ordination, si dans la profession de foy, qu'Enée deuoit faire, il ne comprenoit tous les points de la doctrine de sainct Augustin, qu'Hincmare, & quelques autres auec luy auoient osé reuoquer en doute. Apologie premiere pag. 302.

PARAGRAPHVS IV.

Quarta calumnia, quâ Arelatensi Concilio Semi-Pelagianismi notam allinunt, ex recentioribus Hæreticis petita est.

ALIVD est quod in hac noui Doctoris de Hæresi Prædestinatiana dissertatione persæpe miratus sum: Nimirum, quid causæ sit, cur ne verbum quidem fecerit de Concilio Arelatensi; quo Prædestinatianorum hæresis damnata est. Habetur tomo 2. Conciliorum Galliæ pag. 147. hoc titulo: *Concilium Arelatense à Leon-*

rio Arelatensi Episcopo ad condemnandum prædestinationis errorem congregatum, &c. Et tomo 3. Concil. pag. 823. quo loco Seuerinus Binius in notis ad illud Concilium ita scribit: *Hac Synodo subscriptione Episcoporum approbata est illa Epistola Fausti Regiensis, quam dedit ad Lucidum quendam magni nominis Presbyterum*, PRÆDESTINATORVM *hæresim sectantem*. Cuius etiam Concilij, atq; in eo damnatæ Prædestinatianæ hæreseos meminit Cardinalis Baronius ad annum Christi 490. nam vbi dixit, *Post sancti Augustini obitum prodiisse quosdam, qui ex eius scriptis malè perceptis plures inuexerunt errores*, quique *dicebantur hæresis* PRÆDESTINATORVM *sectatores*, subdit: *His autem erroribus detentus fuit Lucidus quidam magni nominis Presbyter, ad quem Faustus Epistolam illam scripsit, quam vt* VERE' CATHOLICAM *ab Episcopis Concilij Arelatensis probatam, & subscriptione munitam dicimus.*

Eiusdem Concilij auctoritate Caluinistas Prædestinatianorum hæresim renouantes impetit Paulus de Windeck libro *De efficacia mortis Christi contra Caluinistas*, pag. 262. vbi antequam Fausti ac Lucidi epistolas recitet ita præfatur: *Et si hæ duæ epistolæ etiam in Bibliotheca Sanctorum Patrum* (*tomo* 5. *fol.* 802.) *excusa Lutetiæ extent; tamen ne tortuosi Caluinistæ expostulent, me somnia magis Monachorum, quàm monumenta Antiquitatis ipsis obiicere, eas non secus transcripsi, quàm ad verbum etiam leguntur in eo opere excuso Basileæ anno* 1569. *quod Iacobus Grynæus, ibi superintendens, & præcipuus Caluinismi per Germaniam professor, Orthodoxographiam inscripsit*, &c. Quibus epistolis recitatis concludit in hæc verba: *His testimoniis ruit ingens mendacium Bezæ, qui in libro de Colloquio Mompelgartensi à se & Antonio Faio an.* 1591. *edito pag.* 126. *scribere ausus est; ex nullo Concilio probari posse, Christum propter omnium hominum salutem humanam naturam suscepisse*, &c. Alij denique complures eiusdem Arelatensis Concilij meminere, ac de illo duo docent. Primum, Fausti ac Lucidi Epistolas, & Prædestinatia-

næ hæresis anathemata iis comprehensa tanquam Orthodoxa; atque Catholica fuisse comprobata. Qua de re Ioannes Maria Brasichellanus sacri Palatij Magister in Ind. expurg. Roman. in tom. 4. Bibliothec. Patrum ita scribit: *Sciendum epistolam Fausti ad Lucidum Presbyterum, approbatam tot Episcoporum subscriptione in Concilio Arelatensi, & epistolam Lucidi Presbyteri ad Episcopos congregatos in Synodo Lugdunensi, quæ ambæ operi Fausti præmittuntur, sanas esse, atque Catholicas, iudicio duarum Synodorum confirmatas.* Alterum, quod de eâdem Synodo Catholici Scriptores tradunt, illud est, quod Seuerinus Binius in hæc verba obseruauit: *Fausti libellum Pelagianis erroribus plenissimum, quem de gratia & libero arbitrio inscripsit, & toti orbi vulgauit, quémque Cæsarius Arelatensis, Auitus Viennensis Episcopi, Ioannes Presbyter Antiochenus contrario scripto refutauerunt, quem denique Gelasius Pontifex merito inter apocrypha detulit, hunc inquam libellum sacer Episcoporum conuentus nequaquam approbauit.* Qua de re pluribus Baronius ad annum Christi 490. Et Brasichellanus in indice libror. expurgand. in Censura tomi 4. Biblioth. Patrum.

Cùm apud Catholicos scriptores Arelatensis huiusce Concilij, & Prædestinatianæ hæresis in eo damnatæ tam frequens sit & crebra mentio, peto ab Aduersariis quam ob causam nouæ opinionis instaurator de illo tacuerit? An ignorauit quæ de illa Synodo litteris mandata sunt? At id certè nec debuit, nec potuit, cùm illum ipsum Cardinalis Baronij locum ad marginem citet, quo illius Synodi historia, & Prædestinatianæ hæresis condemnatio fusissimè narratur. Timuit fortasse ne malè audiret, si primus ex Catholicis illud Concilium exploderet, & Fausti ac Lucidi epistolas, quas Cardinalis Baronius VERE' CATHOLICAS, Ioannes Maria sacri Palatij Magister, SANAS, ATQVE CATHOLICAS, Seuerinus Binius, SVBSCRIPTIONE EPISCOPORVM APPROBATAS, aliique Catholici Or-

THODOXAS vocabant, Semi-Pelagianiſmi argueret? At iſtud terrere hominem non debuit, qui auſus eſt Goteſchalci opiniones tanquam Orthodoxas probare, quas idem Cardinalis Baronius, cæterique huius temporis ſcriptores Catholici, poſt Sigebertum, Trithemium, Flodoardum, Rabanum Maurum, Hincmarum, & duplicis Synodi decreta, HÆRETICAS eſſe pronuntiant. Quid eſt igitur, cur huius Concilij, quo vno præcipua noui dogmatis placita ſubruuntur, ne mentionem quidem fecit? vna hæc proferri ratio poteſt, quam ego veriſſimam puto: Nimirum iis de rebus ea tantùm ſcripſit, quæ apud Caluiniſtas legerat, quorum in libris cùm Apologiam Goteſchalci, & rationes aliquot ad Prædeſtinatianam hæreſim negandam inueniſſet, ea ſtudioſè compilauit: at cùm iiſdem in libris nihil prorſus offenderet ad Concilij Arelatenſis auctoritatem labefactandam, de illo ſilere coactus eſt.

Neque enim cùm hæc ſcriberet emiſſum erat in lucem aliud eiuſdem Vſſerii Caluiniſtæ opus editum Dublinij anno 1639. inſcriptúmque: *Britannicarum Eccleſiarum antiquitates, quibus inſerta eſt peſtifera aduerſus Dei gratiam à Pelagio Britanno in Eccleſiam inductæ Hæreſeos Hiſtoria.* Quo in libro cap. 13. Fauſti ac Lucidi epiſtolas Semi-Pelagianas, & nullius Synodi auctoritate comprobatas eſſe contendit. Vix in Gallia viſus eſt hic liber, cùm nouæ opinionis fautores, qui in omnia hæreticorum opera ius direptionis habere ſe putant, illum continuò expilarunt. Atque vt eorum Doctor vnius Caluiniſtæ auctoritate, & coniecturis quas ab illo emendicauit, fretus, contra Catholicorum omnium opinionem ſcribere auſus eſt, nullam vnquam Prædeſtinatianorum hæreſim extitiſſe: ſic illi altero eiuſdem Caluiniſtæ opere animati, eiúſque inſtructi armis, Fauſti ac Lucidi epiſtolas, quas Cardinalis Baronius, Seuerinus Binius, Magiſter Sacri Palatii, aliique ſcriptores Catholici, *Sanas, verè Catholicas, & duarum Synodo-*

rum iudicio confirmatas esse testantur, Semi-Pelagianas, & nullius Concilij auctoritate comprobatas esse contendunt.

Aiunt primò [a] Fausti epistolam ad Lucidum Semi-Pelagianorum erroribus scatere, & [b] librorum Fausti de libero arbitrio, quos Catholici hæreticos esse fatentur, summam continere. [c] Addunt Semi Pelagianorum errores in Lucidi epistola clariùs cerni, [d] & Lucidum non à Prædestinatianorum erroribus ad Catholicam fidem, sed à fide Catholica ad Semi-Pelagianorum hæresim Fausti opera fuisse traductum. Illud ipsum est, quod toto illo capite Vsserius Caluinista contendit, quódque in Historia Goteschalci pag. 25. his verbis perstrinxerat: *Summa venenati illius scripti* (loquitur de libris Fausti) *duabus epistolis comprehenditur, quarum altera ipsius Fausti est ad Lucidum Presbyterum; altera Lucidi à Fausto seducti, præteritos errores reuocantis, seu veriùs ab Orthodoxorum consortio ad Semi-Pelagianorum castra transeuntis.* Nominatim verò de Lucidi Epistolâ ita loquitur posteriori in opere pag. 436. *In Epistola Lucidi summatim comprehensa sunt illa, quæ fusiùs in libris de gratia & libero arbitrio sunt declarata.* Et pag. 435. ait Lucidum Epistolam concinnasse ex *articulis depromptis non tam ex superiore illa Epistola, quàm priuata auctoritate ad Lucidum Faustus scripserat, quàm ex libris de gratia & libero arbitrio.*

Aiunt secundò [e] Arelatensem illam Synodum ex Semi-Pelagianis tantùm, aut ex Episcopis aliquot à Semi-Pelagiano circumuentis fuisse conflatã. Quod ita ex Vsserio Caluinista sumpserunt, vt eius impudentiam insigni audaciâ superarint. Nam Caluinista quidem concedit, deceptos fuisse à Fausto Arelatensis Concilij Patres. *Atque vt maximè daremus*, inquit pag. 437. *Faustum Episcopis aliis, ambiguitate verborum circumuentis, vt Epistolæ ad ipsos nihil attinenti nomina sua apponerent persuasisse*, &c. Negat tamen illos Episcopos fuisse

[a] *Ce ne sont que les sentimens d'vn Semi-Pelagien.* Apologie 1. pag. 191.

[b] *Cette lettre n'est qu'vn abregé de la mauuaise doctrine contenue dans ses deux liures.* pag. 202.

[c] *Les erreurs des Semi-Pelagiens paroissent encore plus clairement dans la lettre de Lucide.* Apologie 1. pag. 346.

[d] *Ce Lucide à qui Fauste auoit inspiré les erreurs, sous pretexte de le guerir d'vne heresie imaginaire des Predestinatiens.* ibidem.

[e] *Ce Concile ne peut auoir esté qu'vne assemblée de Semi-Pelagiens, ou d'Euesques trompez par vn Semi-Pelagien.* Apologie 1. pag. 197.

fuisse Semi-Pelagianos. Sic enim loquitur pag. 426. *Interim tamen in tot doctrina, & pietate præstantes viros ita iniuriosos esse nos non decet, vt vnius versipellis vulpeculæ (eo enim nomine, nec iniuria Faustum notauit Baronius) auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæreseos patronos eos fuisse credamus.* Quod Caluinista non est ausus, ausi sunt noui dogmatis Patroni, nec, vt ille, religioni duxerunt sanctum Pragmatium Augustodunensem Episcopum, S. Patientem Lugdunensem, S. Claudium Bisuntinum, aliósque *doctrinâ, & pietate præstantes* Episcopos, quos huic Concilio interfuisse Baronius narrat, [f] Semi-Pelagianismi criminari.

[f] *C'a esté vn Concile de Semi-Pelagiens.* Apologie 1. pag. 204.

Aiunt tertiò [g], Arelatensem Synodum non subscripsisse Epistolæ & Anathematismis Fausti, quòd in Fausti præfatione nulla fiat huius Epistolæ mentio. Quod descriptum est ex eodem Caluinista pag. 435. vbi ait non credere se Anathematismos Fausti in Concilio probatos fuisse, quòd *Anathematismorum aliquorum in illa præfatione* Fausti, *nulla omnino occurrat mentio; neque litteris & Anathematismis Fausti ipsum Arelatensem conuentum vnquam subscripsisse adhuc constare arbitremur.*

[g] *Nous voyõs par là quelle authorité cette lettre de Fauste peut receuoir de ce Concile d'Arles, quand mesme elle y auroit esté approuuée. Et neantmoins il ne paroist point qu'elle l'ait esté. Fauste ne le dit pas luy-mesme.* Apologie premiere pag. 200.

Aiunt quartò [h], inde constare Fausti Epistolam probatam non fuisse in Concilio Arelatensi, quòd Henricus Canisius asserat in manuscripto codice non reperiri subscriptiones illas Episcoporum, quæ in vulgatis editionibus leguntur. Habet illud ipsum Vsserius Caluinista pag. 436. vbi ad probandum *non esse legitimam subscriptionem illam ad Epistolam Fausti*, ait facere *vetustum codicem manuscriptum Bibliothecæ S. Galli; in quo Episcoporum subscriptiones nullæ extant.* Ad marginem verò hæc adscribit: *Henricus Canisius Antiquarum lectionum tomo 5.* Quæ nouæ opinionis defensores ita Gallicè verterunt, vt hæc verba, *Vetustum codicem manuscriptum Bi-*

[h] *Mais de plus il y a tres-grand suiet de croire que ces souscriptions ont esté faussement adioustées à la fin de cette lettre. Cela se peut iuger de ce qu'Hẽry Canisius tesmoigne, que toutes ces souscri-*

ptions qui se trouuent dãs l'editiõ vulgaire de la Bibliotheque des Peres, ne sont point dans le Manuscrit. C'est dans le Tome 5. de son ouurage intitulé, Antiquæ lectiones. Apologie 1. 3. part. pag. 313.

bliothecæ S. Galli, vna hac voce *le Manuscrit* expresserint. Ineptè sanè ac veteratoriè. Nam vel hac voce omnes huius Epistolæ Manuscriptos codices significant, vel illum tãtùm quem ex Biblioth. S. Galli Canisius habuit. Si omnes, imponunt Canisio, qui nunquam affirmauit abesse hanc subscriptionem ab omnibus Manuscriptis codicibus; Insuper quoque contra Grammaticam peccant, dicendum enim fuisset *les Manuscrits*. Si illum tantùm quem Canisius habuit, inquinatiùs adhuc loquuntur, vel enim dicendum fuit *son Manuscrit*, vel *le Manuscrit de la Bibliotheque de sainct Gal*. Nisi fortè arbitrati sint vnum hunc in toto terrarum orbe huius Epistolæ Manuscriptum codicem extitisse, vel saltem ex hoc tantùm Fausti Epistolam editam fuisse in lucem. Quæ ex Canisio apertè refelluntur, nam cùm dixisset, se aliquot Fausti Rhegiensis Epistolas *nunc primùm ex membranis M. S. celeberrimi Monasterij S. Galli* edere, vbi ad hanc epistolam venit, descripto tantùm illius initio, hæc subiunxit: *Quia extat hæc Epistola, ideo eam non edimus, sed varias lectiones notamus.* Extabat verò, vt paulò pòst testatur, *in vulgata editione Bibliotheca Patrum*. In quam profectò ex hoc sancti Galli codice non fuerat transcripta, aliàs enim ceteræ quoque Fausti Epistolæ simul editæ fuissent.

Fraudulentam hanc versionem duplici de causa concinnarunt. Primò, vt innuerent, asserere Canisium subscriptiones illas non reperiri, in eo ipso codice Manuscripto, ex quo in Bibliothecam Patrum Fausti Epistola translata est. Hic est enim genuinus verborum illorum sensus, quæ ex iis suprà recitaui, quem apertiùs etiam produnt in sequentibus [i], vbi de Manuscripto codice eodem semper modo loquuntur, quo si vnicus existeret. Secundò noluerunt appellare Manuscriptum illum codicem Canisij, seu Bibliothecæ S. Galli, ne eorum argumentum inde labefactaretur. Constat enim vel ex ipso Canisio perturbatissimum esse codicem il-

[i] *Canisius ayant corrigé par le Manuscrit, quelques fautes de l'edition vulgaire dãs cette lettre de*

lum, qui Fausti Epistolæ ne ipsius quidem Fausti subscriptionem attexit, sed alia quædam inserit, ac tandem post paginas circiter centum & viginti, Fausti subscriptionem alieno prorsus loco recitat. Canisii verba sunt pag. 430. *Hæ, inquam, subscriptiones non sunt in M. S. codice,* (de illo loquitur, quem ex Bibliotheca S. Galli habuit) *sed sequuntur quædam aliena, primò fragmentum quoddam breue auctoris incerti: deinde fragmentum ex proœmio S. Hieronymi, &c. Tertiò fragmentum Epistolæ, quæ à viro an à fæmina sit conscripta nescitur, &c. Quartò ponitur Epistola titulo S. Hieronymi, & sequuntur postea Epistolæ Fausti, Ruricij, Desiderij, aliorúmque prout hîc fideliter damus. In fine autem post Epistolam 21. quæ est Felicis ad Desiderium, sequuntur hæc verba: Item alia manu Faustus exempl. Epistolæ meæ relegi, & subscripsi. quæ verba sunt,* inquit Canisius, *quibus Faustus subscripsit Epistolæ suæ* ad Lucidum Presbyterum. Et ad huius codicis fidem Aduersarii prouocant, pugnántque Episcopos Fausti Epistolæ non subscripsisse, quia hoc in codice perturbatissimo nullæ Episcoporum subscriptiones extant: si valet hæc ratiocinatio, efficit quoque Faustum in Epistola sua antequam subscriberet, posuisse fragmentum illud auctoris incerti, Proœmium sancti Hieronymi, Epistolas denique Ruricii, Desiderii, aliáque eiusmodi, quæ in hoc codice inter Fausti Epistolam eiúsque subscriptionem inseruntur. Viderat Caluinista quàm nihil certi ex hoc codice teneri posset, adeóque in hac coniectura vim non fecerat. Sed Aduersarii, quos fortasse pudebat tam seruiliter Caluinistæ vestigia consectari, hac in parte vlteriùs progressi sunt. Quemadmodum paulo antè simili de causa S. Pragmatium, S. Patientem, S. Claudium aliósque Arelatensis Concilii Patres, quos Vsserius Caluinista erroris insimulare ausus non fuerat, pleno ore Semi-Pelagianos vocitarunt.

Fauste à Lucide, dit qu'elle finit dans le Manuscrit par les mesmes mots que dãs l'imprimé, mais que ces souscriptions d'Euesques ne s'y trouuẽt point. ibidem.

Aiunt quintò, illas Episcoporum subscriptiones fal-

sitatis inde conuinci, quòd [k] in iis Leontii Arelatensis Archiepiscopi, totius Synodi præsidis, cui Faustus suos libros inscribit, nomen non appareat. Quæ ex eodem Caluinista ad verbum descripserunt, sic enim habet pag. 437. *Neque Arelatensis Archiepiscopi, totius Concilij Præsidis, nomen vspiam comparet. Leontij, inquam illius; cui Concilij summorum Antistitum congregati, & erroris (vt ille vocat) Prædestinationis in eo condemnati, præcipuam laudem in operis sui præfatione ipse Faustus tribuit.* Paulo pòst ex Hilari Papæ Epistolis probat Leontium tunc temporis Arelatensem Archiepiscopum fuisse. *Hilari Papæ*, inquit, *habentur litteræ anno 463. ad Leontium Arelatensem episcopum datæ*, &c.

Neque verò ea tantùm ex Vsserio Caluinista surripuerunt, quibus Arelatensem Synodum directè oppugnant; sed quidquid ex incidenti tractant, quod vel leuem eruditionis vmbram præferat, indidem emendicarunt. Cuiusmodi est illud quod de Henrico Canisio asserunt [l]: Errasse illum cùm affirmauit, Lucidum Epistolam suam scripsisse vt testaretur dolere se quòd erroneæ Fausti Epistolæ subscripsisset. Sic enim loquitur Caluinista libro de Goteschalco pag. 25. *Apparet quid de Henrici Canisij nugamento iudicandum sit; qui Lucidum quòd* ERRONEÆ FAVSTI EPISTOLÆ *subscripsisset, pœnituisse fingit, errorémque publicata Epistola damnauisse.* Eodem quoque pertinet quòd ibidem affirmant Canisio consentire collectorem Bibliothecæ Patrum Coloniæ editæ, cuius locum ad marginem his notis indicant: *Tom. 5. Biblioth. Par. 3. p. 326. edit. Col.* Caluinista verò sic eundem designarat: *Bibliothec. Patr. Tom. 5. part. 3. pag. 326. edit. Colon.* Denique eodem reuocari potest quod de Seuerino Binio pronuntiant, pag. 342. suas illum in Concilia annotationes ex Cardinali Baronio describere. Nam Caluinista pag. 425. illud ipsum in hæc verba affirmat: *Cæsar Baronius (ex cuius Annalibus suas Binius in Concilia annotationes*

[k] *Le nom de Leonce qui se deuoit trouuer à la teste des souscriptions de cette lettre, si elle auoit esté approuuée par ce Concile, puisque c'est luy qui y a presidé comme Archeuesque d'Arles, ne s'y trouue point en tout.* Apologie 2. 3. p. pag. 313. *Leonce estoit en ce temps là Archeuesque d'Arles, ainsi qu'il paroist clairement par beaucoup de lettres du Pape Hilaire; & c'est aussi à luy que Fauste dedie ses liures.* ibidem pag. 312

[l] *Henry Canisius a appellé cette Epistre de Fauste, il y a plus de 40. ans, vne Epistre erronée.* Epistolam Fausti erroneam, *quoy qu'il se soit mespris en*

las eiſdem penè verbis deſcripſit,) &c.

croyant que Lucide ait eſcrit ſa lettre, pour témoigner le regret qu'il auoit d'auoir ſouſcrit à cette lettre de Fauſte. Apologie 2. p. 1. pag. 340.

Si omnia eorum furta vellem recenſere, libros ferè omnes, quos ediderunt, deſcriberem. Neque enim in his tantùm, quas attigi, quæſtionibus Caluiniſtas diripiunt, ſed in aliis etiam, quas à communi opinione diſcrepantes ſancti Auguſtini auctoritate veſtire conantur. Si quis id à me contumelioſè dictum credit, ſeligat ex decumano noui Doctoris opere, præcipua eius placita, & illuſtriora S. Auguſtini teſtimonia quibus nituntur: hæc ego ex Caluiniſtis petita eſſe demonſtrabo.

CAPVT II.

Nouum dogma etſi ab antiquioribus Hæreticis verbis diſtet, re ipsâ conſentit: adeóque pariter cum illis ab Patribus, Conciliiſque damnatum eſt.



EVICIMVS, vt opinor, nouos Dogmatiſtas pro Auguſtini doctrina, rancidas nobis, & obſoletas Lutheranorum, atque Caluiniſtarum opiniones obtruſiſſe. Nunc altiùs repetenda eſt huiuſce dogmatis origo, atque adeo ab primis Hæreſiarchis, tanquam ab ipſo capite, arceſſenda. Hoc igitur pugno, nouum de libertate dogma, etſi verbis diſtet ab antiquioribus Hæreticis, qui liberum homini arbitrium ademerunt, re tamen ipsâ cum illis conſentire. Ab iis verbo tenus diſcrepat, quia illi, quod res erat, loquebantur, cúmque libertatem peſſumdarent, nullum ſupereſſe homini liberum arbitrium affirmabant. At nouæ opinionis Patroni, licèt eodem modo libertatem perimant, libe-

ri tamen arbitrii nomen retinent, vt hac libertatis vmbrâ, ac veluti laruâ simplicioribus imponant. Qua in re Wicleffistas imitantur, de quibus Valdensis libro 1. Doct. fid. art. 1. cap. 22. *Destruxerunt hi prædicti liberum arbitrium, quidam publicè sicut Manichæi, & Iouinianistæ, quidam occultè, vt Prædestinati, & Vvicleffistæ, qui profitentur quidem liberum arbitrium saluare, & saluant quidem exemplariter, at destruunt in effectu.* Iàm verò recentem sectam cum veteribus Hæreticis reipsâ concinere, sic probo. Duplex est libertas, altera à violentia, seu coactione; altera à necessitate, seu determinatione ad vnum. Veteres Hæretici non ademerunt homini libertatem à violentia, seu coactione, sed tantùm libertatem à necessitate, seu determinatione ad vnum: ergo cum illis consentit noua opinio, quæ licèt homini libertatem à coactione relinquat, libertatem tamen, quæ à necessitate est, seu determinatione ad vnum, illi adimit. Valida est in primis hæc ratio ad nouum dogma profligandum; quam & hoc modo proponere possum. Patres, & Concilia, non idcirco veteres illos hæreticos, vt libertatis hostes, damnauerunt, quòd homini libertatem à coactione, seu violentia eripuerint, sed quòd eidem homini libertatem à necessitate, seu determinatione ad vnum ademerint: ergo, iidem Patres, & Concilia nouum dogma damnauerunt, quia cum veteribus Hæreticis hominis voluntati libertatem à necessitate, seu determinatione ad vnum eripit.

Argumentum hoc pridem informauit Ruardus Tapperus artic. 7. pag. 237. edit. Colon. anni 1563. vbi hæc Caluini verba recitat, quibus, quæ sua sit de libertate sententia nefandus Hæresiarcha exponit. *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & constanter assero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat.* Quam Caluini mentem hoc argumento Tapperus refellit, quòd Hæretici omnes, qui extinctæ libertatis nomine

infames sunt, illam ab coactione libertatem nunquam negauerint. *Sed hanc*, inquit, VOLVNTATIS LIBERTATEM, QVÆ COACTIONEM EXCLVDIT, ET EXTERNVM MOTVM, QVO VIOLENTER TRAHITVR VOLVNTAS, NEC MANICHÆI, NEC VALLA, NEC VLLI HÆRETICI NEGAVERVNT. *Nouerunt enim inseparabilem esse à voluntate.* Quod vbi pluribus ostendit, ita concludit: *voluntatem cogi posse, potiùs est hæresis contra Philosophiam, quàm contra fidem Catholicam.*

Placet hoc Argumentum, vrgere vehementiùs. Quod vt ordine fiat, Hæreticos omnes, qui superioribus sæculis humanæ voluntati libertatem eripuerunt, quatuor ad classes reuocabo. Prima est eorum, qui diuinâ præscientiâ liberum arbitrium interimi defenderunt. Secunda Astrologorum, qui finxerunt hominis voluntati fatalem ab stellis necessitatem imprimi. Tertia Manichæorum, qui duas in nobis partes collocauerunt, quarum altera necessariò ad malum, altera necessariò ad bonum nos traheret. Quarta illorum, qui ab diuina gratia liberum extingui arbitrium putauerunt. Quos omnes non aliter, quàm nouum dogma, libertatem nobis eripuisse contendo.

SECTIO I.

Nouum dogma reipsâ consentit, & damnatum est, cum illis Hæreticis qui olim liberum arbitrium cum diuina præscientia stare posse negauerunt.

PRÆSCIENTIA diuinâ libertatem euerti putauerunt Stoïci, teste August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. & 10. Putauit & Hesiodus, qui voluntates humanas fato illigabat, illúdque nihil esse aliud arbitra-

batur, quàm Iouis mentem. Idem ſentiebant Hæretici, quos referunt, & refutant Theol. 1. parte ad quæſt. 14. Bardeſanes, Marcion, Priſcillianus, Abailardus, & Wicleffus. Qui omnes nunquam ſunt arbitrati vim nobis internam, atque coactionem ab præſcientia diuina inferri: ſed ideò tantùm liberum arbitrium negauerunt ipſi; ideò tanquam libertatis hoſtes damnati ſunt à Patribus, quòd ab eadem præſcientia ſimplicem voluntati neceſſitatem imponi voluerint. Ergo ſimiliter Aduerſarij liberum arbitrium perimunt, cùm voluntatem non cogi quidem; at ſimplici neceſſitate obſtringi pugnant.

Mihi iam probandum Antecedens illud, quod triplici ratione euinco.

PARAGRAPHVS I.

Probatur primò ex difficultate libertatis cum præſcientia conciliandæ.

PERDIFFICILIS ea ſemper eſt viſa quæſtio: quomodo libertas cum diuina præſcientia conſentiat. negarunt multi cohærere vtramque, ac proinde, vel adimendam Deo præſcientiam, vel eripiendam homini libertatem, putauerunt. Quos inter inſignis eſt Cicero, de quo Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. *Atque in has anguſtias Cicero coarctat animum religioſum, vt vnum eligat è duobus: aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam diuinam: quoniam vtrumque arbitratur eſſe non poſſe; ſed ſi alterum confirmatur, alterum tolli: ſi elegerimus præſcientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: ſi elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præſcientiam futurorum.* Alij verò, etſi conuenire vtramque rectéque conciliari doceant, putant tamen arcani illius conſenſus nullam ab homine mortali rationem proferri poſſe. Ita Ochamus in 1. diſtinct. 38. Gabriel

ibid.

ibid. quæst. vnicâ, artic. 2. Gregorius eadem distinct. quæst. 2. art. 2. Quam opinionem ita reiiciunt reliqui Theologi, vt fateantur cum Patribus, vix aliam esse quæstionem, quæ ardua magis sit, & intricata.

Vnde aduersus nouitium errorem, sic argumentor. Si ex mente SS. Patrum necessitas simplex cum libero arbitrio stare posset, illúdque sola coactione interna pessumdaret, difficultas hæc, quæ ab omnibus grauissima dicitur, leuissima foret, ac penè nulla: ergo ex mente SS. Patrum necessitas cum libero arbitrio stare non potest. Probatur Antecedens: vt libertatis cum præscientiâ consensus ostenderetur, vnum hoc esset demonstrandum, non inferri nobis ab præscientia diuina vim internam, seu coactionem propriè dictam: quod adeo clarum est, & explicatum, vt nemo sit, qui neget.

Confirmatur primò: Quis putet Hæreticos, qui præscientiâ diuinâ aboleri libertatem docuerunt, tam stolidos fuisse, vt existimarent, fieri præscientiâ diuinâ, vt cùm volumus, volitio nostra sit à principio extrinseco, voluntate nihil conferente, immo reluctante? quæ est coacti definitio.

Confirmatur secundò: Si omne voluntarium esset liberũ, vt statuunt Aduersarij, tam facilè libertatis cum præscientia consensus intelligi posset, quàm facilè intelligitur spontaneum belluarum cum instinctu ad aliquid vnum determinante conciliari. Quia vtrumque solâ coactione interimi posset. At nemo vnquam dixerit, vix intelligi posse, quomodo spontaneum belluarum cum earum instinctu consentiat: ergo neque dicere debuissent SS. Patres, Doctorésque Catholici, vix humanæ libertatis cum diuina præscientia concordiam intelligi posse.

PARAGRAPHVS II.

Probatur secundò ex argumentis Hæreticorum.

PRIMVM Argumentum quo probabant Hæretici, positâ diuinâ præscientiâ, ruere liberum arbitrium, est eiusmodi. *Quod necessariò fit, nec potest non fieri, non est liberum: sed quod subest certæ, & infallibili præscientiæ Dei, necessariò fit, nec potest non fieri: ergo quod subest certæ, & infallibili præscientiæ Dei, non est liberum.* Vtebatur hoc argumento Marcion, teste Tertulliano lib. 2. contra Marcion. vtebatur Abailardus, & Wicleffus, vt refert Valdensis libro 1. cap. 29. Vnde colligi potest, hoc vnum pugnasse Hæreticos, nos ob præscientiam diuinam simplici necessitate alligari, ac proinde tolli à nobis liberum arbitrium, quod cum illa necessitate stare non potest: de coactione propriè dicta, ne per somnium quidem cogitasse.

Dices, ita quidem existimasse Hæreticos, necessitate simplici libertatem extingui: at aliam fuisse SS. Patrum mentem, eósque solam coactionem libertati repugnare voluisse. Sed contrà: si ista fuisset SS. Patrum opinio, longè aliam huic Hæreticorum argumento solutionem adhibuissent. Negassent enim Maiorem illam: *quod necessariò fit, nec potest non fieri, non est liberum.* nec omisissent ea exempla: Deum nempe liberè producere Spiritum sanctum, & liberè amare seipsum, licèt vtrumque summâ necessitate faciat: Beatos liberè simul & necessariò Deum amare, aliáque eiusmodi, quæ in hanc rem ab Aduersariis plurima afferuntur. At nunquam ita argumentum soluerunt, sed concessâ Maiore, Minorem funditus negauerunt: vt constat ex Tertulliano libro 2. contra Marcion. August. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9. & 10. Anselmo lib. de concordia libertatis cum prædestinatione & gratia, D. Tho-

ma 1. parte, quæst. 14. artic. 13. Valdensi lib. 1. capite 29. aliisque Doctoribus Catholicis, quorum mentem accuratiùs paulo pòst expendemus.

Secundum argumentum, quo pugnant Hæretici tolli præscientiâ diuinâ liberum arbitrium, sic concipitur. *Res à Deo præscita non potest aliter, atque aliter se habere. Nam aliàs falsa esse posset præscientia diuina: ergo res à Deo præscita non potest esse libera.* Inuictum hoc esse argumentum putabat Wicleffus, teste Valdensi lib. 1. cap. 29. iactabátque Armacanum in eo dissoluendo viginti annos posuisse, nec aliter tamen soluisse, quàm contra fidem Catholicam affirmando, Dei præscientiam infallibilem non esse; atque adeo ea, quæ à Deo prædicuntur, aliter euenire posse, quàm prædixerit.

Illud ipsum argumentum ita proponit Euodius apud August. lib. 3. de libero arbitrio cap. 2. *Ineffabiliter me mouet, quomodo fieri possit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nullâ necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid, quàm Deus antè præsciuit, præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur. Quapropter si præsciuit Deus peccaturum esse primum hominem: necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet necessitas?* Quæ paulo pòst ita repetit Augustinus: *Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est vt peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs ineuitabilis, & fixa necessitas.* Certè id vnum spectat hoc argumentum, vt probet, positâ præscientiâ diuinâ, aboleri liberum arbitrium, quia ex eadem præscientia *ineuitabilis*, & ad vnum *affixa* necessitas consequitur. Ergo ideo liberum arbitrium extinguunt illi Hæretici, quia libertatem à necessitate homini abiudicant. Vnde vlteriùs colligo, aboleri item ab nouis Dogmatistis liberum arbitrium, cùm eandem à necessitate libertatem nobis adimunt.

PARAGRAPHVS III.

Probatur tertiò ex modo, quo Sancti Patres libertatem cum præscientia conciliarunt.

SI Patres illi, qui cum superioribus Hæreticis congressi sunt, in ea fuissent opinione, quam tuentur Aduersarij, ita libertatem cum præscientia conciliassent. Esto, necessarium sit, quod diuinæ præscientiæ subest; non hinc tamen sequitur, euerti liberum arbitrium, cùm illud non simplici necessitate, sed solâ coactione violetur. Breui hac responsione omnia Hæreticorum argumenta fregissent. At longè aliam libertatis cum præscientia componendæ viam iniuerunt. Nimirum, idcirco præscientiam diuinam liberum arbitrium non abolere dixerunt, quia non tollit contingentiam effectus, nec voluntatem ad vnum necessariò determinat. Huc reuocantur modi omnes libertatis cum præscientia conciliandæ, quos hîc paucis attingam; vt constet Patres id constanter asseruisse, liberum arbitrium simplici necessitate pessumdari.

Primus est, præscientiam diuinam non tollere libertatem, quia voluntatem ad vnam partem non astringit, sed alterius eligendæ potestatem relinquit. Ita Origenes apud Euseb. lib. 6. de præpar. cap. 11. nam ad hanc obiectionem, *Si Deo semel futurorum prænotio concedatur, sequitur arbitrij nostri potestatem continuò funditus esse tollendam:* post varias solutiones hanc postremò adhibet: *Nullam prorsus à diuina prænotione, rebus iis, quas prænidet, necessitatem imponi, cùm superioribus argumentis, tum hoc insuper efficitur, quòd in sacris passim litteris Prophetæ ad pœnitentiam homines cohortari iubeantur: idque perinde, ac si Deus, vtrum ij meliorem ad frugem sese recepturi, an suis in sceleribus hæsuri porrò, ac perstituri sint, ignoraret. Sic apud Hieremiam habetur: forsitan audient,*

& agent pœnitentiam. Neque enim idcirco hunc in modum loquitur, quod nesciat, vtrum audituri sint, nec ne; sed vt illam quodammodo parem in vtramque partem vim facultatum ostendat. Vnde sic disputo: præscientia ideo non officit libertati, quia relinquit *parem in vtramque partem arbitrij facultatem:* ergo in indifferenti ad vtrumlibet arbitrij facultate libertas posita est.

Secundus est. Præscientia non obstat libertati, quia non est causa effectus liberi, sed potiùs effectus liber causa est præscientiæ, atque adeo est in potestate hominis efficere, vt Deus hoc, vel illud præsciuerit. Ita Augustinus libro quinto de Ciuit. Dei capite 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: immò ideo non dubitatur, ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.* Et tractatu 53. in Ioan. *Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet: & ideo si non malum, sed bonum facere voluissent: & hoc facturi præuiderentur ab eo, qui nouit, quid sit quisque facturus.* Origenes apud Euseb. lib. 6. præp. cap. 11. *Tandem concludunt, si Deo semel futurorum prænotio conceditur, arbitrij nostri potestatem continuò funditus esse tollendam. Quibus hoc modo respondendum erit. Quemadmodum si quem imperitiâ temerarium ac præcipitem esse videas, eáque temeritate impulsum, lubrico sese itineri committere, licèt eum labente fallentéque vestigio ruiturum intelligas, ipse tamen prolapsionis causa non es. Ita planè sentiendum est de Deo, quòd nempe, cuiusmodi quisque sit futurus, præuiderit, causas etiam, quamobrem eiusmodi sit futurus: tamen non modò Dei prænotionem rerum causam non esse; sed etiam, quod à communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum, quod futurum sit, eiusmodi prænotionis causam esse: neque idcirco sit, quia futu-*

rum esse cognoscatur; sed quòd futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur. Ex quibus id colligo, præscientiam diuinam obfuturam libertati, si effectus liberi esset causa. Atqui si esset causa effectus liberi, non coactionem propriè dictam, sed necessitatem tantùm inferret: ergo necessitas liberum arbitrium euertit.

Tertius modus libertatis cum præscientia coniungendæ est: Præscientiam non inducere necessitatem antecedentem, sed tantùm consequentem, quæ stat cum libertate. Nam liberè iam scribo, licèt ex hypothesi quòd scribam, necessarium sit, me scribere. Modum hunc ex Anselmo clarissimè exponit Albertus Magnus 1. parte, quæst. 61. membro 8. *Duplex*, inquit, *est necessitas, vt dicit Anselmus. Absoluta scilicet, quam vocat Anselmus antecedentem, quæ est ex causis proximis ad effectum ordinatis: & est necessitas consequens rei positionem, sicut sedentem sedere, dum sedet. Quod subiacet necessitati primæ, nullo modo concordat cum libero arbitrio: sed ea, quæ subiacent secundæ necessitati, nihil prohibet concordare cum libero arbitrio.* Atque eiusmodi esse probat ea, quæ diuinæ præscientiæ subiiciuntur. Quæ omnia copiosiùs exsequitur Anselmus ipse lib. de concord. lib. arb. cum prædestinat. & grat. & libro 2. cur Deus homo cap. 18. S. Thom. paucis ea complexus est quæst. 24. de verit. art. 1. nam ad hoc argumentum, *Quicquid Deus præscit, necesse est euenire, cùm præscientia Dei falli non possit: sed omnes actus humanos Deus præscit: ergo de necessitate eueniunt; & ita homo non est liberi arbitrij:* respondet: *Dicendum, quòd ex præscientia Dei non potest concludi, quòd actus nostri sint necessarij necessitate absolutâ, quæ dicitur necessitas consequentis: sed necessitate conditionatâ, quæ dicitur necessitas consequentiæ.*

Porrò consequentem necessitatem non officere libertati inde colligunt, quòd supponat actum iam liberè positum. Ita Anselmus libro 2. cur Deus homo, cap. 8. *Est namque necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res; &*

est necessitas sequens, quam res facit. Praecedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur cælum volui, quia necessitas est, vt voluatur: sequens verò, & quæ nihil efficit, est, cùm dico te ex necessitate loqui, quia loqueris: cùm enim hoc dico, significo, nihil facere posse, vt dum loqueris, non loquaris; non quòd aliquid te cogat ad loquendum.

Vides, hîc nullam coactionis propriè dictæ mentionem fieri, sed tantùm determinationis ad vnum. Vides insuper, supponere Patres istos, necessitate antecedente interimi liberum arbitrium, atque adeo ex illorum mente genuinam hominis libertatem non esse illam, quæ à coactione dicitur: sed aliam, quæ necessitatem simplicem, seu determinationem ad vnum excludit.

Quæ hac sectione fusiùs disputaui, ita colligo. Hæretici omnes, qui arbitrati sunt præscientiâ diuinâ deleri liberum arbitrium, nunquam dixerunt præscientiâ diuinâ tolli libertatem à coactione: sed hoc vnum voluerunt, eâdem præscientiâ tolli libertatem à necessitate: & tamen tanquam humanæ libertatis hostes ab Patribus, Conciliísque damnati sunt, quòd vel sic libertatem perimerent: ergo cum illis pariter damnantur nouæ opinionis fautores, qui homini libertatem à necessitate abiudicant.

SECTIO II.

Nouum dogma cum Astrologorum & Stoïcorum hæresi consentit, & damnatum est.

FATALEM ab stellis necessitatem humanæ voluntati imprimi putauerunt Mathematici iudiciarij, quos alij Chaldæos, alij Planetarios, alij Genethliacos, aut Astrologos appellant. His accessit Priscillianus, vt colligitur ex capite 3. secundi Concilij Bracarensis. *Si quis animas, & corpora fatalibus stellis credit*

astringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit. Accesserunt ex Stoïcis aliqui, qui fato omnia regi ita putauerunt, vt illud in stellis collocarent. Nam Augustino teste libro 5. de Ciuit. Dei capite 1. *Homines fatum quando audiunt, vsitatâ loquendi consuetudine non intelligunt, nisi vim positionis siderum.* Quem errorem vno hoc fere argumento profligarunt Patres, Doctoréśque Catholici. *Fatalis ista necessitas, quam inducunt Astrologi iudiciarij, euertit arbitrij libertatem: ergo non est admittenda.* Ita Origenes, Eusebius, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, S. Thomas, aliique, qui aduersus Astrologos disputarunt. Vnde hoc argumentum sumo validum imprimis, & efficax ad recentem opinionem comprimendam. Ex mente SS. Patrum necessitas, quam inducebant Astrologi, & Stoïci, repugnat libero arbitrio: atqui necessitas, quam inducebant Astrologi, & Stoïci, non erat necessitas coactionis, sed sola necessitas simplex, seu determinatio ad vnum: ergo ex mente SS. Patrum necessitas simplex, seu determinatio ad vnum repugnat libero arbitrio. Vnde vlteriùs consequitur, euerti ab Aduersariis liberum arbitrium, cùm simplicem voluntati necessitatem inferri volunt.

Sola in hoc argumento probanda minor, quam duplici ratione confirmo.

PARAGRAPHVS I.

Demonstratur primò ex ipsis Astrologorum, & Stoïcorum effatis.

ASTROLOGI actiones omnes humanas ex vi siderum suspendunt; putántque Venerem, verbi gratiâ, ita ad libidinem pertrahere; Martem, ad iram; Mercurium, ad furta, vt alij esse non possimus: atque hinc singulares, ac liberos euentus ex astris præsciri posse con-

contendunt, quia tam necessariæ sunt illorum causæ, quàm Sol necessaria est luminis causa. Vnde vt est hæc infallibilis consequutio: Sol ortus est, ergo lucet; ita & ista: natus est sub Mercurio, ergo furabitur. Ex quibus liquidò constat, simplicem tantùm necessitatem Astrologos admisisse: eam nempe, quæ ita nos ad vnum affigit, vt alterius partis potestatem adimat; non verò coactionem propriè dictam, quâ fiat, vt quod nolumus, velimus.

Confirmatur ex Turcarum opinione, qui etiamnum voluntates hominum inexorabili fatorum necessitati subiiciunt. Aiunt sua singulis rebus esse fata, quæ nullâ hominum industriâ perrumpi possint, aut eludi. Vnde vox hæc eorum peruagata: *Si est in fatis vt hoc agam, aut hîc moriar, non possum, quin hoc agam, aut hîc moriar.* Quæ sententia non coactionem nobis ab fato, sed simplicem necessitatem imprimi supponit. Quam in rem eleganter Euseb. libro 6. præpar. cap. 6. aliquem tali opinione imbutum ita loquentem inducit. *Fiet illud omnino, si fatum ita meum tulerit: quorsum autem frustra molestus mihi sim? hunc si officij sui admoneas, referret vtique monitori suo, quemadmodum nonnullis, qui superiori memoriâ vixere, contigit: ad quid, hæc tu mihi monita, bone vir? Nec enim integrum mihi est, mentem hanc, consiliúmque mutare, quando iam fatum occupauit. quid me porrò iuuet contendere, vbi ne optandi quidem facultas, arbitriúmque relinquatur? nisi optare fatum quoque mihi sit: optabo verò si fatum erit, licèt nihil præcipias, ipsámet fati necessitate adductus. Cur ergo frustra molestus ipse tibi es? vrget nimirum eadem te necessitas, atque vt ista mihi suadeas omnino cogit. Ac quorsum hæc in re tantum study? cassa quippe & inutilis cohortatio tua est. Nam in rem ipsemet incumbam vltro, si fatum erit: sin autem; inanis est vtriusque contentio.* Nulla hîc coactionis mentio; sed illius tantùm necessitatis, quæ ad vnum voluntatem addicit.

PARAGRAPHVS II.

Demonstratur secundò ex SS. Patribus aduersus Astrologos, Stoïcósque disputantibus.

ASTROLOGORVM, Stoïcorúmque deliria ideo explodunt SS. Patres, Doctorésque Catholici: quòd ex iis sequatur, hominem non habere indifferentem ad vtrumlibet arbitrij facultatem; sed ad vnam partem fatali necessitate adstringi. Ita Origenes relatus ab Eusebio lib. 6. Præpar. cap. 9. *Non solùm Gentiles stellarum ex coniunctione, & aspectu, quæ in terris sunt, necessariò accidere credunt; quam vim, fatum appellant; verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes, quàm stellarum cursus effecerit. Vnde sequitur, nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari, aut vituperari posse.* Fatalem hanc necessitatem libertati infensam esse dicit, quia illâ positâ, quidquid fit, aliter fieri non potest. Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Et nos quidem sub fato stellarum, nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Non coactionem tantùm, sed & omnem necessitatem ab libera voluntate excludit.

Nemesius cap. 35. Stoïcos sic refellit. *Si enim iisdem causis positis, vt aiunt ipsi, omnino necesse est eadem fieri: nec fieri potest, vt aliquando sic, aliquando aliter eueniat, quòd illa ex æterno tempore præfixa statutaque sint; necesse est, & animalis appetitum omni modo, & ex omni parte iisdem causis positis ita fieri. quod si verò etiam appetitus necessariò consequitur, vbi relinquitur quod in nostra potestate est? debet enim esse liberum: esset autem liberum, si iisdem positis causis in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere.* Nota posteriora hæc verba, quæ recentis sectæ

iugulum petunt: *esset autem liberum, si iisdem positis causis, in nobis esset aliquando appetere, aliquando refugere.*

Eusebius lib. 6. Præpar. contra fatum acerrimè præliatur: idque sæpe inculcat, *Ab iis qui ineluctabilem fati necessitatem asserunt, idcirco libertatem tolli, quia voluntatem vni parti affigunt.* Quod maximè euincit cap. 2. cui titulus est: *Hoc etiam, quod in potestate nostra situm est, ab illis tolli, dum arbitrium quoque nostrum fati necessitate moueri volunt.* Quid ita? *quia vis fati adeo est inexorabilis, vt ipsa numina ne se fulmen quidem à suis templis arcere posse fateantur.*

Ex his omnibus id elicio, euerti libertatem simplici necessitate, seu determinatione ad vnum; quia Patres ideo ab fato liberum arbitrium tolli aiunt, quòd voluntatem ad vnum addicat, & alterius partis eligendæ potestatem non relinquat.

Confirmatur ex S. Thoma: si stellæ & astra eodem modo in voluntatem agerent, quo agunt in appetitum brutorum, destruerent liberum arbitrium: sed astra, & stellæ non agunt ita in appetitum brutorum, vt coactionem propriè dictam illis inferant; sed ita tantùm, vt illis necessitatem, seu determinationem ad vnum afferant; ergo si astra humanæ voluntati necessitatem, seu determinationem ad vnum afferrent, destruerent liberum arbitrium. Ex quo vlteriùs consequitur, liberum arbitrium necessitate, seu determinatione ad vnum corrumpi. Locus S. Thomæ, cui hæc ratio innititur, est eiusmodi 1. parte, quæst. 15. artic. 5. *Si intellectus, & voluntas essent vires corporeis organis alligatæ, ex necessitate sequeretur, quòd corpora cælestia essent causa electionum, & actuum humanorum: & hoc sequeretur, quòd homo naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cætera animalia, in quibus non sunt nisi vires animæ corporeis organis alligatæ. Nam illud, quod fit in istis inferioribus ex impreßione corporum cælestium, naturaliter agitur, & ita sequeretur, quòd homo non esset liberi arbitrij, sed haberet actiones determi-*

natas, sicut & cæteræ res naturales. Posterioribus his verbis tota controuersia dirimitur. Neque enim dicit, hominem non fore liberi arbitrii, quia violentiam & coactionem propriè dictam pateretur; sed quia haberet actiones determinatas.

SECTIO III.

Nouum dogma cum Manichæis reipsâ consentit, & damnatum est.

LIBERVM arbitrium extinxisse dicuntur Manichæi, non quòd hominum voluntati vim aliquam, & coactionem ab extrinseco inferri dicerent; sed quòd duas in homine partes collocarent, quarum altera necessariò illum in peccatum pertraheret: altera pari necessitate ad virtutem raperet. Ergo non coactione tantùm; sed simplici etiam necessitate liberum arbitrium euertitur. Ergo illud euertunt Aduersarii, qui hominis voluntatem necessitati subiiciunt.

Ruardus Tapperus, loco citato pag. 237. ita hanc rationem vrget aduersus Caluinum. *Sed hanc voluntatis libertatem, qua coactionem excludit, & externum motum, quo violenter trahitur voluntas, nec Manichæi, nec Valla, nec alij Hæretici negauerunt. Nouerunt enim inseparabilem esse à voluntate. Non enim docebat Manichæus, quòd voluntas violenter externo motu inuita trahitur ad bonum, vel malum: sed quòd homo ex parte, quam à malo habeat principio, sponte suâ, & voluntate ferebatur in malum: parte verò aliâ, quæ à Deo est, in bonum; sed necessariò; ita vt secundùm illam bonum eligere non possit, nec malum secundùm istam.* Non aliter Manichæorum hæresim Augustinus refert libro primo Retract. capite 15. *Pòst hunc librum scripsi, adhuc Presbyter, contra Manichæos, de duabus animabus, qui dicunt vnam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderat Deus, & quæ sit Deo coæterna: &*

has ambas animas, vnam bonam, alteram malam in vno homine esse delirant: istam scilicet malam propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum: illam verò bonam ex aduentitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque vtramque miscuerit: & omnia quidem bona hominis, illi bonæ animæ; omnia verò mala, illi malæ animæ tribuebant. Vnde id efficitur, non ideo Manichæos liberum arbitrium destruxisse, quòd affirmarent appetitiones nostras esse à principio extrinseco, voluntate nihil conferente. Nam illæ animæ duæ erant principia intrinseca, & sponte volebant quicquid volebant; sed quòd bonam animam, si victrix existeret, necessariò nos ad bonum inclinare, & malam, necessariò ad malum pertrahere fingerent.

Placet hîc accuratiùs scrutari, quid nouum dogma ab Manichæorum opinione dissideat. Statuunt Manichæi duo esse in nobis principia, bonum alterum, alterũ malum; si hoc vincat, necessariò nos malè agere; si verò aliud superet, necessariò nos bene operari. Statuunt & nouæ opinionis Architecti, duo esse in nobis principia, gratiam, & concupiscentiam; hanc si superior existat, inclinare nos necessariò ad malum; illam, si præcellat, pari necessitate nos ad bonum rapere. Quid inter vtramque opinionem discriminis? Vnum hoc afferunt Aduersarii: Manichæos duo illa principia ab natura insita finxisse: at statuere se gratiam non esse nisi ex dono Dei; & concupiscentiam, non nisi ex primi parentis peccato fluxisse. Aduersus hanc solutionem habeo duo dicenda.

Primum est, sumptam esse ex Caluino, lib. 5. in Pigh. pag. 182. *Dixi,* inquit, *iam antè, & quasi digito indicaui, quàm putida sit calumnia, quâ nos ita Marcioni, & Manichæis subinde adiungit: à quibus non minùs dissidemus, quàm Pighius ipse à nobis. Nam cùm illi essentialem in natura malitiam constituant, eámque ab ipso creationis initio talem esse imaginentur: Nostri ex naturæ corruptione vitium esse*

definiunt: naturam verò non cælesti aliquo influxu, sed voluntario hominis lapsu corruptam fuisse, constanter profitentur.

Secundum, quod aduersus hanc, Dogmatistis communem & Hæreticis, solutionem oppono, istud est: nihil prorsus ad rem pertinere, quod vtrique aiunt, non esse ab natura concupiscentiam. Certè si necessitas, quam inducit concupiscentia, libero arbitrio capitaliter est infensa, vndecumque sit illa, siue ab natura, siue ab peccato, libertatem eodem modo pessumdabit.

Confirmatur primò: si concupiscentia esset ab natura, eodem modo arbitrium euerteret, quo malum principium Manichæorum: ergo & nunc ita euertit. Probatur consequutio: etiamsi esset ab natura, non eriperet homini libertatem à coactione, sed solam libertatem à necessitate: atqui fatentur Aduersarii eam in hoc statu eripere nobis libertatem à necessitate, quia necessariò ad malum inclinat: ergo in hoc statu eodem modo abolet liberum arbitrium, quo si esset à natura.

Confirmatur secundò: malum principium Manichæorum non idcirco destruit liberum arbitrium, quia excludit libertatem à coactione, sed tantùm quia excludit libertatem à necessitate: atqui etiam concupiscentia in sententia Aduersariorum excludit libertatem à necessitate: ergo eodem modo liberum arbitrium destruit, quo malum principium Manichæorum.

SECTIO IV.

Nouum dogma reipsâ consentit, & damnatum est cum illis Hæreticis, qui diuinâ gratiâ liberum arbitrium interimi putauerunt.

PARTEM hanc breuiter attingam, nec ingrediar grauissimam illam difficultatem de concordia li-

beri arbitrii cum gratiæ efficaciâ, ne sanctissimæ Sedis Apostolicæ decreta conuellere videar. Vnum hoc dicam, Adrumetinos Monachos, Iouinianum, alióſque, qui efficacem gratiam cum libero arbitrio cohærere negauerunt, non aliter sensisse, quàm Aduersarios. quod sic probo. Non existimarunt illi Hæretici, diuinâ gratiâ eripi nobis libertatem à coactione. Nam quis id nisi demens somniauerit? sed solùm libertatem à necessitate: atqui idem dicunt Aduersarii: ergo idem cum illis Hæreticis sentiunt.

Addo, Patres omnes, qui de hac controuersia tractarunt, non existimare libertatem illam, quam cum diuina gratia conciliare nitebantur, esse libertatem à coactione; sed aliam, quæ à necessitate dicitur, quæque omnem determinationem ad vnum excludit.

Atque id inde efficio, quòd asserunt SS. Patres vix explicari posse, quomodo diuinæ gratiæ efficacia cum humana libertate consentiat. Ita Augustinus libro 1. de gratia Christi cap. 47. *Ista quæstio vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Quæ verba repetit non semel, nec vno in loco, vt videri apud illum potest lib. 4. contra Iul. cap. 8. & lib. de gratia & lib. arbit. cap. 1. & in duabus epistolis ad Valentinum. Ita etiam Anselmus, Bernardus, S. Thomas, aliíque Patres, Doctoréſque.

Hinc videmus omnes Hæreticos, tum antiquos, tum recentiores, qui de concursu gratiæ cum humana voluntate disputarunt, ob eandem difficultatem, in alterum ex duobus erroribus extremis turpiter esse prolapsos. Nam aut specie libertatis humanæ defendendæ, gratiæ necessitatem abnegarunt: aut vt eiusdem gratiæ necessitatem tuerentur, & efficacitatem commendarent, liberum hominis arbitrium euerterunt. Ex quibus colligo, libertatem arbitrii, quam Patres, vix ac ne vix

quidem cum Diuinæ gratiæ efficacia conciliari posse pronunciant, non esse libertatem à coactione; quia nihil facilius, quàm istam cum libero arbitrio componere. Siquidem tam facilè intelligitur, gratiam non abolere libertatẽ à coactione, quàm facilè intelligitur, instinctum belluarum non perimere earum spontaneum: at nemo dixerit vix intelligi posse, quomodo instinctus belluarum non perimat earum spontaneum.

Verbo dicam, si Patres essent in Aduersariorum sententia, breui hac ratione grauissimam hanc difficultatem expedirent: non potest ab vllo agente inferri coactio voluntati quoad actus elicitos: ergo neque à gratia. quo posito sequitur, gratiam non destruere libertatem à coactione, atque adeo cum libero arbitrio optimè conciliari. Quis autem SS. Patrum ita hanc quæstionem diremit?

Rationem hanc fusè prosequitur Ruardus Tapperus articulo 7. pag. 237. *Quando apud Augustinum disputatur, an gratia tollat liberum arbitrium, quod credebant Monachi Adrumetini (propter quos scripsit librum de gratia & libero arbitrio) non agitur de arbitrio libero à coactione, quæ naturæ voluntatis repugnat. Non enim ignorare poterant, quòd voluntas externo motu inuita non cogitur: nec inuitam velle ex doctrina B. Augustini, Monachi illi credebant; sed an gratia faciat opera salutis non esse in nostra potestate, quod illi ex ea sequi putabant, vt patet ex duabus epistolis, quas scripsit Augustinus ad Valentinum, & sunt numero 46. & 47. docens simul, hanc libertatem concludi ex præceptis, & consiliis Dei. Nullam enim hæc quæstio de gratia & libero arbitrio, quam difficillimam dicit B. Augustinus, haberet difficultatem, si libertas intelligeretur coactionem excludere solùm, & non necessitatem.*

SECTIO V.

Aduersariorum responsa diluuntur.

INGENIOSAM hìc Caluinus eiúsque Partiarij fallaciam obtendunt, quæ iam plurimos induxit in fraudem, & nisi cautèretexatur, nonnihil negotij facesset. Aiunt multùm se ab veteribus Hęreticis dissidere, quòd ex illorũ opinione sequatur nulla esse peccata, Deúmque crudeliter ac iniustè sceleratos homines flãmis addicere. Quia illa peccandi necessitas, quam ab astris, ab præscientia, aut malo aliquo principio imponi fingebant, à peccato excusabat. Si obiicias parem nobis, ex nouæ opinionis placitis, ab concupiscentia, peccandi necessitatem imminere: Respondebunt, peccandi necessitatem, quæ à concupiscentia oritur, ideo à peccato non excusare, quia culpâ nostrâ illam contraximus; habuimus enim aliquando insitam bene agendi facultatem; nec nisi Adami peccato in peccandi necessitatem prolapsi sumus. At peccandi necessitas, quam inducebant antiquiores Hæretici, à peccato excusabat; quia non erat nobis in peccati pœnam irrogata, sed ab ipsa quodammodo natura insita. Aduersus inanem hanc argutiam, quam tantopère venditant Aduersarij, duo præscribo. Primum est, ab Caluino excogitatam esse, vt se ab veteribus Hæreticis segregaret. vnde nihil est apud illum, nihil apud eius asseclas peruagatius. Secundum est, etiam illam peccandi necessitatem quam culpâ nostrâ incurrimus à peccato excusare, modò peccatum, quo illam contraximus, nobis sit condonatum. Ratio est, quia peccatum illud, quod committimus, antecedenti & absolutâ peccandi necessitate constricti, vel nullam habet malitiam, vel distinctam non habet ab ea culpa, quâ in eiusmodi peccandi necessitatem incidimus. Quare crudelis est Deus, in Aduersa-

riorum ſententia, qui originali peccato per baptiſmum remiſſo, pœnas nihilominus æternas nobis infligit, ob ea ſcelera ad quæ contracta ex originali peccato malè agendi neceſſitas neceſſariò pertraxit. Id ego tam manifeſtum puto, vt non tam rationibus, quibus probetur, quàm exemplis, quibus explicetur, indigeat. Tria producam; quæ, qui expenderit, inanem hanc præpoſteræ nouitatis argutiam deridebit.

Primò te ipſum compello, quiſquis es, qui id reſponſionis prætexis. fingo tibi eſſe ſeruum aliquem, qui te prohibente, & crudeliſſimam mortem interminante ſi in faſtigium domus aſcenderit, aſcendat nihilominus, indéque ſuâ culpâ delapſus in præceps, crura ſibi pedéſque frangat, ita vt non modò ingredi, ſed nec tantillum loco ſe mouere poſſit. fingo inſuper poſſe te quidem iuſtè illum morte plectere ob inſignem illam peruicaciam, at pro innata manſuetudine omnem culpam condonare, illíque ex animo reconciliari. Hoc pôſito, peto an poſſis miſerrimo illi ſeruo ſuâ culpâ pedibus capto præcipere vt ingrediatur, vt ambulet, vt currat, eúmque, niſi paruerit, graui ſupplicio afficere. Si id feceris, nemo eſt qui te crudelitatis non accuſet: vel ſaltem non arbitretur te non tam ſeruum multare, quòd fractis pedibus non ambulauerit, quàm quòd ſuâ culpâ crura ſibi fregerit; adeóque te inſigniter eſſe mentitum, cùm priorem illi culpam ex animo remiſiſſe profeſſus es. Vide num eandem Deo immanitatem, aut perfidiam affingas, quem ſtatuis homini in peccandi neceſſitatem ſuâ culpâ demerſo, cuíque neceſſariam ad peccatum vitandum gratiam tribuere non vult, imperare vt non peccet, & peccanti pœnas æternas infligere, licèt culpam, quâ peccandi neceſſitatem incurrit, in baptiſmo illi condonârit.

Secundò, finge Deum alicui homini poteſtatem volandi per aëra, maria inambulandi, & alia eiuſmodi miracula patrandi eâ lege tribuiſſe, vt ſi peccet, eâ pote-

ſtate priuetur, & ſuppliciis plectatur æternis. Adde peccare hominem iſtum grauiſſimè, cúmque iam eſſet in tartara detrudendus, Deum filij ſui precibus illi reconciliari, & æterna ſupplicia quæ commeritus erat condonare, ſolâ, in aliqualem peccati pœnam, miraculorum patrãdorum ereptâ poteſtate. Hoc poſito, peto an poſſit Deus præcipere huic homini vt volet per aëra, vt maria inambulet: ita vt, ſi huic præcepto non paruerit, iuſtè illum Deus pœnis æternis addicat. Cuilibet de Deo non malè ſentienti communis ſenſus ſuggerit, id non poſſe. quia quòd infelix iſte miraculorum patrandorum poteſtate, ſuâ culpâ, ſpoliatus non volet per aëra, vel nulla culpa eſt, vel non eſt diſtincta ab ea, quâ volandi poteſtatem amiſit, quam à Deo remiſſam poſuimus. Quàm bellè hoc exemplum in rem noſtram conueniat, vel me tacente ſatis intelligis.

Tertiò, Quæro vtrum Deus iam poſſit homini, cui nullum ad mortem vitandam peculiare auxilium conferre ſtatuit, imperare vt non moriatur, ita vt ſi illum mori contigerit, eâ re præcisè, quòd mortuus ſit, in infernum deuoluatur. Quidquid reſpondebunt Aduerſarij, abire non poſſunt, quin explodantur. Si dicant, Deum id non poſſe imperare, cauſam obtinuimus; Nam continuò ſequitur nec imperare etiam poſſe homini, cui nullam ad peccatum vitandum gratiam tribuere ſtatuit, vt non peccet. Nam vtrobique paria omnia: primò, vt in creatione homo acceperat non peccandi poſſibilitatem, ita & non moriendi. Secundò, vt per originale peccatum neceſſitatem peccandi contraxit, ita & moriendi. Tertiò, vt in hoc ſtatu non poteſt vitare mortem ſine peculiari Dei auxilio, ita nec peccatum. Quartò, vt ſtatuit Deus nullum huic homini peculiare auxilium conferre ad vitandam mortem, ita agimus de homine peccante, cui nullam ad peccatum vitandum gratiam à Deo tribui pugnant Aduerſarij. Iam verò ſi dicant poſſe id Deum imperare, iuſtéque homi-

nem iustum damnare, quòd mortuus sit, quis eos ferat? quis non sugillet? Certè desperati est hominis illa responsio, quam ego longiori refutatione non dignabor.

Liceat ergo secundum hoc caput his Guillelmi Estij verbis concludere ex l. 2. distinct. 7. §. 7. DICENDVM IGITVR EST ARBITRII LIBERTATEM QVAM CONTRA HÆRETICOS VETERES ET NOVOS DEFENDIT ECCLESIA, CONSISTERE IN FACVLTATE ELIGENDI VTRVMLIBET OPPOSITORVM. Quibus & illa Cuneri Petri Episcopi Leouardiensis libenter attexam ex libro 5. de libero arbitrio. *Quod à coactione liberi sumus, ipsa natura voluntatis exigit, quæ non est voluntas, si coacta sit.* MOX: *Ideóque de hoc libertatis modo nunquam fuit, aut potuit esse quæstio, quam omnes euidentissimè in se sentiunt, & sine qua natura voluntatis aliter concipi non potest. Sed* DE EO LIBERTATIS MODO SEMPER ECCLESIA CVM HÆRETICIS, ET NONNVLLIS PHILOSOPHIS CONFLIXIT, QVO SIMPLICITER HOMO ALIQVID FACERE, VEL ID IPSVM OMITTERE POTEST, CVIVS PROPRIVS ACTVS EST ALTERVTRVM OPPOSITORVM, QVÆ OFFERVNTVR, ELIGERE.



CAPVT III.

Nouum dogma damnatum est ab posterioribus Conciliis, Romanis Pontificibus, S. Thoma, Doctoribus Sorbonicis, Facultate Parisiensi, aliisque Catholicis Theologis.



OVAM opinionem plagij hactenus, errorisque conuicimus. Nunc damnanda est, & Conciliorum, Pontificum, Doctorúmque iudicio subiicienda. Qua in re ita versabor, vt ex Conciliis, non ea tantùm prolaturus sim, quæ recentis sectæ caput feriunt, sed & alia, quæ eiusdem fundamenta, aut consectaria labefactant. Quod si in S. Thomæ, Doctorúmque proferendâ sententiâ obseruarem, longiùs nostra hæc disputatio excurreret. Quare ex iis ea tantùm excerpam, quæ primarium nouæ opinionis effatum petunt.

SECTIO I.

Nouum dogma ab iisdem Conciliis damnatum est, quibus Lutheri Caluinique hæresis proscribitur.

TRIA sunt in Lutheri Caluinique hæresim collecta Concilia. Primum est, Senonense Prouinciale sub Reuerendissimo Domino Antonio à Prato, Tituli S. Anastasiæ Presbytero Cardinali, Senonensi Archiepiscopo, & Franciæ Cancellario, celebratum anno Domini 1528. cùm Lutherana pestis grassari latiùs, & propagari cœpisset.

Secundum est, Coloniense, Prouinciale item, Hermanni Archiepiscopi auctoritate celebratum anno 1536. cùm iam ferè tota Germania Lutheri hæresim sequeretur. Cuius Concilij auctoritate concinnatum est Enchiridion Doctrinæ Christianæ, quo præcipua Lutherani dogmatis capita confutantur.

Tertium est sacrosanctum Oecumenicum, & Generale Concilium Tridentinum sub Paulo III. & Pio IV. Pontificibus Maximis, habitum, ad Lutheri Caluiníque hæresim totâ iam Europâ diffusam impunéque grassantem, stirpitus exscindendam.

Quæ omnia Concilia ita per Lutheri Caluiníque latus, nouos Dogmatistas confodiunt, vt in eos collecta fuisse videantur. Quod in præcipuis noui dogmatis opinionibus, quàm verum sit, ostendo.

PARAGRAPHVS I.

Damnatur ab iisdem Conciliis, quod aiunt Aduersarij, hominem in hoc statu non esse liberum à necessitate.

QVÆ sit Concilij Senonensis de libero arbitrio sententia patet ex decreto fidei 15. vbi circa medium hoc habet: *Cùm reliquerit Deus hominem in manu consilij sui, apposuerítque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, vt ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam; nec abs re beatus ille iudicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non facit; quòd sub eo sit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti Scripturam Sacram passim obuium sit, quòd liberam vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret; satis esse visum est Sacro Prouinciali Concilio, libertatis eiusmodi vires, & metas exponere.* Potuítne clariùs communis de libertatis indifferentia opinio explicari? Circa hunc Concilij Senonensis locum duo sunt animaduertenda. Primum: liberum ar-

bitrium explicari per indifferentem ad vtrumlibet facultatem. Secundum: probari hominem in hoc ſtatu eſſe, liberi, & in vtramque partem ſoluti arbitrii, ex illo Eccleſiaſtici loco, *appoſui tibi aquam & ignem:* quem aiunt Aduerſarii ad veræ genuinæque libertatis explicationem nihil facere.

Conſentit Trident. ſeſſ. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, &c. anathema ſit.* Petit hic Canon Lutherum, Caluinúmque, qui, vt vidimus ſuperiùs, affirmabant, accepiſſe quidem hominem in creatione ſua indifferentem ad vtrumlibet arbitrii facultatem: at illam per peccatum amiſiſſe, nec aliter in hoc ſtatu eſſe liberum, quàm quia ſiue bene, ſiue malè agit, ſponte, & voluntariè, non coactè agit. Quæ cùm totidem verbis ſuccinant Aduerſarii, eodem certè anathemate percelluntur.

Confirmatur primò. Certum eſt, Tridentinos Patres eo ſenſu affirmare liberum arbitrium, quo negabant Lutherani, atque Caluiniſtæ: ſed illi negabant tantùm indifferentem ad vtrumlibet facultatem, non verò voluntatem incoactam, & violentiæ externæ expertem: ergo certum eſt, Tridentinos Patres affirmare, eſſe in homine lapſo libertatis indifferentiam.

Confirmatur ſecundò, ex iis, quæ Caluinus ad hunc Canonem reſpondet in Antidoto Concil. Trident. ad ſeſſ. 6. *De verbo,* inquit, *ne moueamus rixam: ſed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera, & ſoluta, titulum ſine re eſſe, qui affirmat, Chriſtum habet auctorem;* &c. Eadem dicunt noui Dogmatiſtæ: nimirum, nos non habere libertatem à neceſſitate, ſeu determinatione ad vnum: ergo vel hic Concilii Tridentini Canon in Caluinum non cadit, vel æquè in nouos Dogmatiſtas cadit.

Confirmatur 3. ex Canone 4. eiuſdem ſeſſionis, quo definitur hominem poſſe gratiæ diſſentiri, ſi velit, & ex

capite 5. quo illud ipsum his verbis sancitur: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, inspirationem illam recipiens eam abiicere potest.* Nam inde Doctores communiter eliciunt hominis lapsi voluntatem non à coactione tantùm, sed etiam à necessitate liberam esse. Ita Guillelmus Estius in 2. dist. 24. §. 1. *Vt autem intelligamus quàm necessariò tenenda sit hæc doctrina, quâ dicimus ad liberi arbitrij propriam rationem pertinere, vt sit liberum à necessitate naturali, nec sufficere quòd sit liberum à coactione, notandum est quod habetur in Concilio Trid. sess. 6. can. 5.* &c. Ioannes Wigers in 1. 2. quæst. 6. a. 2. num. 6. Alexander Pesantius in 1. 2. quæst. 6. artic. 3. disput. 4. Et Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 6. qui ita concludit: *Quare non video quomodo post dictas Concilij definitiones, illæ propositiones: Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè fit: Et, sola violentia repugnat libertati hominis naturali, in aliquo sensu legitimo ab aliquo Catholico possint defendi.*

PARAGRAPHVS II.

Damnatur ab iisdem Conciliis, quod aiunt Aduersarij, non esse integrum homini gratiam internam admittere, vel respuere.

PRIMARIVM hoc nouæ opinionis fundamentum tam manifestè subruitur ab Concilio Senonensi, vt nullus sit cauillationi locus. *Neque*, inquit Decreto iam citato, *liberum arbitrium asserentes, Diuinam excludimus propterea gratiam: quod illi falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere.* Tum vbi ostendit gratiæ necessitatem, addit: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* (en gra-

tiam

tiam sufficientem, quam noui Theologi Pelagianismi criminantur.) NEC DENIQVE TALE SIT HVIVSMODI TRAHENTIS DEI AVXILIVM, CVI RESISTI NON POSSIT. *Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Frustra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis, & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent.* FRVSTRA PAVLVS THESSALONICENSES ADMONERET, SPIRITVM NE EXTINGVERENT, SI DIVINIS INSPIRATIONIBVS HOMINES INEVITABILITER RAPERENTVR. Non video, quâ arte possint Aduersarii huiusce loci vim effugere.

Nihilo faciliùs se expedient ex Enchiridio Concilii Coloniensis, de sacramento Pœnitentiæ. *Septimò*, inquit, RETINENDVM EST, SITVM ESSE IN HOMINIS VOLVNTATE, VT GRATIAM DEI OBLATAM VEL ACCIPIAT, VEL REPVDIET. Quod inferiùs explicat exemplo euidentissimo. *Oculus*, inquit, *solem videre non potest, nisi solis lumen oculum praeueniat, vt videat: tamen sole lucente, qui super omnes oritur, libera est intuitio, hominique liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat; aut aperire, vt recipiat. Haud secùs* IMPIO LIBERVM EST PRÆVENIENTE SE DIVINÆ ILLVMINATIONIS GRATIA A PECCATO RESVRGENDI, EAM ACCIPERE, VEL NON ACCIPERE: DEO PRÆVENIENTI, ET PER BONVM COGITATVM AD POENITENTIAM EXCITANTI DARE, VEL NEGARE CONSENSVM, VELLE VEL NOLLE POENITERE. *Non enim, vt sæpe diximus, in casu primi hominis voluntate spoliati, sed voluntatis sanitate priuati sumus.* Quo ex loco non tantùm patet, integrum nobis esse gratiam amplecti, vel repudiare; sed etiam in eo esse positam libertatis nostræ rationem. quod constat ex postremis verbis, quæ probationis instar sunt: *Non enim in casu primi hominis*, &c.

Eodem loci, rationem, cur è duobus vnus conuer-

tatur, alter non conuertatur, hanc esse ait, quòd vnus oblatam gratiam recipere voluit, alter eandem sibi quoque oblatam repudiauit. *Nihil*, inquit, *mirum, si ille peccato demersus succumbat, hic resurgat. Hic enim diuinæ gratiæ dexteram non neglexit, sed apprehensæ dexteræ ductu, & tractu, è peccatorum fecibus emersit: ille verò diuinæ gratiæ dexteram sedulò oblatam, ac nunquam subtractam apprehendere neglexit, & sic in peccatorum luto defixus remansit. Ambo in peccati foueam corruerunt: sed hic funem gratiæ Dei demissum apprehendit, & mordicus tenuit, & extractus est; ille funem Dei demissum apprehendere neglexit.* Si hoc ab recenti Theologo diceretur, clamarent totis lateribus noui Dogmatistæ, hæreticum esse, atque Pelagianum.

Quæ omnia in pauca collegit Concil. Trid. sess. 6. can. 4. vbi anathemate ferit eum, qui dixerit, liberum hominis arbitrium Deo excitanti, atque vocanti non posse resistere, si velit. Et cap. 5. ita definit: TANGENTE DEO COR HOMINIS PER SPIRITVS SANCTI ILLVMINATIONEM, INSPIRATIONEM ILLAM RECIPIENS EAM ABIICERE POTEST.

Cauillantur hìc Aduersarij, & Tridentini auctoritatem, quam palàm abiurare non audent, conantur eludere. Voluntas, inquiunt, potest dissentiri gratiæ; sed si velit. quod non interpretantur, vt sonat; ita vt sensus sit: voluntas potest pro libito, gratiæ oblatæ vel assentiri, vel dissentiri; sed alium in sensum, ab communi omnium notione alienissimum detorquent. *Id est*, inquiunt, *voluntas etsi necessariò gratiæ assentiatur, tamen si vellet dissentiri, posset dissentiri, quia hoc ipso dissentiretur; siquidem velle dissentiri, dissentiri est*. Non immorabor diutiùs in hac friuola cauillatione confutanda, quam iam antè cap. 1. pluribus exagitaui. Vnum hoc breuiter euinco, ex mente Concilij hominem posse absolutè gratiæ dissentiri, & reipsâ sæpissimè dissentiri. Probatur primò, ex eo quòd supponit Concilium, ho-

mines sæpe illam gratiam repudiare. Eadem sessione cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Et cap. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi eius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.* Nec dicas, loqui Tridentinum de gratia sanctificante. Nam manifestè Concilij verba contrarium sonant. Loquitur enim de ea gratia, quæ Dei auxilium vocatur, quámque priùs deserimus, quàm deseramur à Deo. Cuiusmodi non est gratia sanctificans. Deinde, si illo cap. 13. loquitur de gratia sanctificante, ridicula est illa, quam affert bene sperandi ratio, vt vel legenti patet. Probatur secundò: editus fuit hic Canon aduersus Lutherum, Caluinúmque: ergo id statuere debet, quod Lutherus, Caluinúsque negabant. At nunquam negauerunt illi, hominem posito, quòd velit gratiæ dissentire, posse gratiæ dissentiri; sed id tantùm negauerunt, esse in potestate hominis præuenienti gratiæ dissentiri reipsâ, aut velle dissentiri: ergo definit Concilium, esse in hominis potestate præueniẽti gratiæ dissentiri reipsa, & velle dissentiri. Confirmatur: inanis esset, ac ridiculus hic Canon, si id vnum definiret, quod volunt Aduersarij. Nam, vt ipsi fatentur, hic esset eius sensus: *posito, quòd homo dissentiatur gratiæ, potest dissentiri gratiæ.* Itáne verò Concilio opus fuit, vt id sanciretur?

PARAGRAPHVS III.

Damnatur ab iisdem Conciliis, quod asserunt Aduersarij, nullam esse gratiam sufficientem tantùm.

GRATIA sufficiens, quam, vt Pelagij commentum, Lutherani, Caluinistæ, iísque hac in re persimiles noui Dogmatistæ execrantur, ab posterioribus Conciliis admissa est, atque probata.

Concilium Senonense decreto fidei 15. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio*, CVM ILLA SEMPER SIT IN PROMPTV, NEC MOMENTVM QVIDEM PRÆTEREAT, IN QVO DEVS NON STET AD OSTIVM, ET PVLSET: *cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Hæc totidem verbis Scholastici huiusce temporis Theologi: & ab Aduersariis Pelagianismi insimulantur!

Enchiridion Concilij Coloniensis, de sacramento Pœnitentiæ. *Sextò*, inquit, *statuendum est: quod* DEVS ADEO VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI, VT NEMINI QVANTVMLIBET SCELERATO GRATIAM SVAM SVBTRAHAT. Quod statim explicat his verbis: *Prior gratia, quâ Deus hominem præuenit, ac incitat, vt resurgat, iterum duplex est: vna generalior, quæ est bonus motus, bonáque cogitatio: veluti cùm peccator, Deo inspirante, agnoscit peccatum suum, cùm terrore gehennæ concutitur, cùm de amittenda æterna beatitudine dolet.* Hanc gratiam nemini deesse paulo pòst ostendit. *Iam constat, Deum nulli hominum gratiâ illâ generaliùs acceptâ deesse; adeo vt nullus sit peccator sceleratus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam subtrahat. Nam per hanc stans ad ostium sedulò pulsat, initium nostræ salutis (quæ est peccati cognitio) in nobis operari desiderans. Et quis tandem est hominum, qui non sentiat se hac gratia præueniri?* Ac ne quis scrupulus hæreat, obiectionem, quæ erat in promptu, sic dissoluit. *Quod autem Actorum* 14. *legimus, dicente Paulo ad viros Lystrios, Deum in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, non sic intelligendum, quasi Deus gentibus suâ gratiâ defuerit. Qui enim non reliquit se expertem testimonij, hoc est, qui beneficiis innumeris testificatur, se esse Deum optimum, & maximum, qui omne genus hominum inhabitare facit super terram vniuersam, vt quærant eum; atque adeo declarat, se eum esse, qui det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, séque non longè esse ab vnoquoque nostrûm, quòd in ipso vi-*

uamus, moueamur, & simus: isne putandus est, vlli genti gratiam suam praeuenientem subtraxisse? Et garriant Aduersarij gratiam sufficientem, quae paganis etiam conceditur, Pelagianorum esse commentum. Paulo pòst explicat idem Enchiridion Concilii Coloniensis, quomodo Deus aliquem deserat. *Factum est*, inquit, *vt gentes gratiam Dei contemnentes, ac repudiantes, dimissae sint ingredi vias suas. Atque eadem omnino ratione fit, vt non omnes illos motus gratiae specialis, omnibus peccatoribus Deus impertiat. In causa enim est peccatoris obduratio, gratiam illam communem, seu generalem negligentis, atque repudiantis.* Non potuit meliùs communis de gratia sufficienti sententia explicari, nec efficaciùs nouae opinionis deliria retundi. Certè non puto Aduersarios, licèt subdoli sint, & callidi, tam manifestam gemini Concilii auctoritatem posse defugere. Nam etsi eò prorumperent, vt quod de Concilio Tridentino clàm mussitant, palàm de Senonensi, Coloniensique dictitarent: nullam esse vtriusque auctoritatem, quòd & Senonensis Decreta, & Coloniensis Enchiridion Scholastici Theologi concinnarint; negare tamen non possent, sententiam suam cum Lutherana congruere, siquidem ex aduerso pugnat cum illa doctrina, quam vtrumque Concilium Lutherano dogmati opposuit.

PARAGRAPHVS IV.

Damnatur ab iisdem Conciliis quod aiunt Aduersarij, Deum impoßibilia iubere.

CONCILIVM Senonense inter errores damnatos pridem ab Ecclesia, & ab Lutheranis instauratos, refert hanc Lutheri sententiam, quâ dicit, *Deus hominem ad impoßibile obligauit: quod qui negat, pessimè facit, & qui hoc falsum esse dicit, plusquam peßimè facit.* Eandem Lutheri propositionem graui censurâ notauerunt Pari-

Concilium Senonense decreto fidei 15. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio*, CVM ILLA SEMPER SIT IN PROMPTV, NEC MOMENTVM QVIDEM PRÆTEREAT, IN QVO DEVS NON STET AD OSTIVM, ET PVLSET: *cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Hæc totidem verbis Scholastici huiusce temporis Theologi: & ab Aduersariis Pelagianismi insimulantur:

Enchiridion Concilij Coloniensis, de sacramento Pœnitentiæ. *Sextò*, inquit, *statuendum est: quod* DEVS ADEO VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI, VT NEMINI QVANTVMLIBET SCELERATO GRATIAM SVAM SVBTRAHAT. Quod statim explicat his verbis: *Prior gratia, quâ Deus hominem præuenit, ac incitat, vt resurgat, iterum duplex est: vna generalior, quæ est bonus motus, bonáque cogitatio: veluti cùm peccator, Deo inspirante, agnoscit peccatum suum, cùm terrore gehennæ concutitur, cùm de amittenda æterna beatitudine dolet.* Hanc gratiam nemini deesse paulo pòst ostendit. *Iam constat, Deum nulli hominum gratiâ illâ generaliùs acceptâ deesse; adeo vt nullus sit peccator sceleratus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam subtrahat. Nam per hanc stans ad ostium sedulò pulsat, initium nostræ salutis (quæ est peccati cognitio) in nobis operari desiderans. Et quis tandem est hominum, qui non sentiat se hac gratia præueniri?* Ac ne quis scrupulus hæreat, obiectionem, quæ erat in promptu, sic dissoluit. *Quod autem Actorum* 14. *legimus, dicente Paulo ad viros Lystrios, Deum in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, non sic intelligendum, quasi Deus gentibus suâ gratiâ defuerit. Qui enim non reliquit se expertem testimonij, hoc est, qui beneficiis innumeris testificatur, se esse Deum optimum, & maximum, qui omne genus hominum inhabitare facit super terram vniuersam, vt quærant eum; atque adeo declarat, se eum esse, qui det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, séque non longè esse ab vnoquoque nostrûm, quòd in ipso vi-*

uiuimus, moueamur, & sumus: isne putandus est, vlli genti gratiam suam præuenientem subtraxisse? Et garriant Aduersarij gratiam sufficientem, quæ paganis etiam conceditur, Pelagianorum esse commentum. Paulo pòst explicat idem Enchiridion Concilii Coloniensis, quomodo Deus aliquem deserat. *Factum est*, inquit, *vt gentes gratiam Dei contemnentes, ac repudiantes, dimissæ sint ingredi vias suas. Atque eadem omnino ratione fit, vt non omnes illos motus gratiæ specialis, omnibus peccatoribus Deus impertiat. In causa enim est peccatoris obduratio, gratiam illam communem, seu generalem negligentis, atque repudiantis.* Non potuit meliùs communis de gratia sufficienti sententia explicari, nec efficaciùs nouæ opinionis deliria retundi. Certè non puto Aduersarios, licèt subdoli sint, & callidi, tam manifestam gemini Concilii auctoritatem posse defugere. Nam etsi eò prorumperent, vt quod de Concilio Tridentino clàm mussitant, palàm de Senonensi, Coloniensique dictitarent: nullam esse vtriusque auctoritatem, quòd & Senonensis Decreta, & Coloniensis Enchiridion Scholastici Theologi concinnarint; negare tamen non possent, sententiam suam cum Lutherana congruere, siquidem ex aduerso pugnat cum illa doctrina, quam vtrumque Concilium Lutherano dogmati opposuit.

PARAGRAPHVS IV.

Damnatur ab iisdem Conciliis quod aiunt Aduersarij, Deum impoßibilia iubere.

CONCILIVM Senonense inter errores damnatos pridem ab Ecclesia, & ab Lutheranis instauratos, refert hanc Lutheri sententiam, quâ dicit, *Deus hominem ad impoßibile obligauit: quod qui negat, peßimè facit, & qui hoc falsum esse dicit, plusquam peßimè facit.* Eandem Lutheri propositionem graui censurâ notauerunt Pari-

sienses Theologi anno 1522. nam inter articulos Lutheri habetur hic in hæc verba conceptus: *Qui negat Deum impossibile iussisse, pessimè facit, & qui hoc falsum esse dicit, plusquam pessimè facit:* quam propositionem sic notant Parisienses: *Hæc propositio est scandalosa, impia, legis Christianæ infamatiua, ac auctore Augustino, in Deum blasphema.*

Apertiùs Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Nemo temeraria illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce vti debet: Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam* DEVS IMPOSSIBILIA NON IVBET, SED IVBENDO MONET, ET FACERE QVOD POSSIS, ET PETERE QVOD NON POSSIS, ET ADIVVAT VT POSSIS. Nec id affirmauit tantùm, sed & anathemate sanciuit can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta, homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.*

Dices primò, eos tantùm à Concilio damnari, qui dicunt homini iustificato, & sub gratia constituto præcepta Dei esse ad obseruandum impossibilia: non verò eos, qui absolutè statuunt, Deum impossibilia iubere. Sed contrà. Primò, etsi in canone de solis iustificatis mentionem faceret (nam & de aliis mentionem fieri particula, *etiam*, satis indicat) in capite tamen vniuersim pronuntiat, Deum impossibilia non iubere. Secundò, aiunt noui dogmatis patroni, etiam iustificatis hominibus, & sub gratia constitutis plurima Dei præcepta esse obseruatu impossibilia: ea nimirum omnia, ad quæ seruanda efficacem à Deo gratiam non accipiunt.

Dices secundò, Dei præcepta non esse absolutè homini impossibilia, sed tantùm homini lapso; siquidem in statu innocentiæ ea obseruare facilè potuisset. At iocularis est illa, & friuola cauillatio, quam licèt suo dogmati prætenderent Lutherani, atque Caluinistæ, damnatum est nihilominùs à Conciliis, & anathemate perculsum.

Dices 3° illa Conciliorum Anathemata, non aliam Caluinistarum opinionem ferire, quàm quæ asserit bona omnia iusti opera esse verè peccata, adeóque nullum ab illo mandatum verè & coram Deo impleri. Respondeo, Tridentinos Patres eâ ratione decretum suum firmare, quæ apertè indicat, damnari quoque illam Caluini opinionem, quâ affirmabat deesse plurimis gratiam ad diuina mandata, pro nostrâ tenuitate, implenda necessariam. *Nam Deus*, inquiunt, *non iubet impossibilia, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*

SECTIO II.

Nouum dogma à summis Pontificibus damnatum est.

NON potest Sorbonæ irasci Calumniator Censuræ, quam defendo, quin & summis etiam Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. succenseat, qui eas ipsas propositiones damnant, quas Sorbonica Censura proscribit. Præcipuas designabo ex Bulla eorumdem Pontificum depromptas.

39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.*

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.*

54. *Definitiua hæc sententia: Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.*

Quas propositiones vt hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias mentes offensionem immittentes, damnant, circumscribunt, & abolent Summi Pontifices. Etiam vapulat Sorbona, quòd eas hæreticas esse pronuntiarit.

Scio nouos Dogmatistas, vt versipelles sunt, tergi-

uersari hîc, & fucum facere, vt Pontificiæ Bullæ auctoritatem amoliātur. Nimirum summis Pontificibus Augustinum opponunt. Vnde cùm eorum antistes sibi obiecisset: *Quid ergo ad propositionem, quam proscripsit Apostolica Sedes?* (de illa loquitur, quam primo loco posui) respondet: *hæreo, fateor, sed quid ad doctrinam Augustini?* Quis ferat ita ab Catholico responderi? An non illud est Apostolicæ Sedi nequiter illudere? Certè non dissimili ratione hanc ipsam obiectionem soluit Chamierus magni nominis Caluinista tom. 3. lib. 2. cap. 3. Illam enim sibi cùm in hæc verba proposuisset, *Obiicitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. Item decretum Pij V. innouatum à Gregorio XIII. vbi damnantur hæ sententiæ: prima, quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, liberè tamen fit: altera, sola violentia repugnat libertati hominis naturali:* ita respondet: *Verùm in hoc Concilio Tridentino, in Pio V. in Gregorio XIII. nullum est momentum auctoritatis apud vllos Catholicos. Concilium eò tantùm coactum est, vt veritatem opprimeret, & obrueret fastu, & crudelitate: Pius, & Gregorius in hoc vnum intenti, vt quoquo modo huius Concilij placita sancirent.* Quare his omnibus Augustini præferendam auctoritatem passim docet.

Sunt qui ad eleuandam huius argumenti vim id causentur, multas opiniones iisdem Bullis damnatas, ab celeberrimis Theologis impunè defendi. Hac vnâ exceptione aduersus illa trium Pontificum anathemata se tuentur. Quod quàm immeritò faciant facilè intelliges, si duo obseruaueris. Primum est, ex iis propositionibus, quas Pontifices illi proscribunt, plurimas damnari tantùm ob Pelagianismi, & erroris notam, quam contrariæ opinioni inurunt. Eiusmodi est illa propositio, quæ statuit Pelagianos esse, qui aiunt dari aliquem Dei amorem naturalem. Neque enim ideo damnatur, quòd dicat, nullum dari amorem Dei naturalem, sed quòd contrariam opinionem Pelagianismi arguat. Sic ab Apostolica Sede damnata est aliàs hæc pro-

propositio; Hæretici sunt qui Beatam Virginem in originali peccato conceptam esse aiunt. Secundum est, non omnes propositiones iis Bullis comprehensas absolutè proscribi, sed tantùm, vt loquuntur Bullæ, in sensu ab auctoribus intento. His responsionibus probabilibus sanè, & ex ipsis Pontificum verbis desumptis vtuntur celeberrimi illi Theologi, qui propositiones aliquot his Bullis contentas propugnant. At neutram vsurpare possunt Aduersarij. Nam posteriorem ipsi sibi eripiunt, cùm fatentur se eodem sensu propositiones illas tueri, quo Baius ipse: priorem verò nec adhibere audent, cùm illæ propositiones, si quartam excipias, simplices sint, nullámque contrariæ opinioni notam allinant.

Sectio III.

Nouum Dogma à Doctoribus Parisiensibus tanquam hæreticum reiicitur.

Hos ego Iudices appellabo, quos Aduersarii si nondum omnem verecundiam excusserunt, abdicare non possint. Nam si veritatem habet, quod ait Augustinus l. 2. contra Iulian. *Omnes iudices ab odio, amicitiâ, irâ vacuos esse decere*, aptiores huic causæ arbitros deligere non potui, quàm eos, qui cùm multò floruerint antè, quàm hæc sit nata controuersia, ab omni partium studio, atque adeo *ab odio, amicitiâ, irâ* longissimè abfuerunt. Sic planè vt de iis quoque illud Augustini ex eodem loco vsurpare possimus. *Etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cùm hîc viuerent, suo iudicio definierunt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt.* Atque in recitandis eorum Testimoniis Parisienses primùm Doctores addu-

cam; eósque tantæ auctoritatis ac famæ, vt suo splendore non modò nouæ opinionis tenebras dispellant, sed duorum etiam ex eadem Parisiensi Facultate Doctorum, quos in Sorbonicam Censuram calumniator armauit, nomen obscurent.

PARAGRAPHVS I.

Hæresis damnatur à sancto Thoma.

PRIMVS sententiam dicat S. Thomas totius quidem Theologiæ, at Parisiensis præsertim Academiæ splendidissimum lumen. Quæstione 6. *de malo*, articulo vnico, ex professo Aduersariorum opinionem excutit. *Quæstio*, inquit, *est de electione humana, & vnum quæritur hic, vtrum homo habeat liberam electionem suorum actuum, aut ex necessitate eligat*: respondet in corpore: *Dicendum, quòd quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cuius principium est extrà.* Non aliis verbis suam sententiam exprimunt Aduersarii. Audiant ergo quid de illa sentiat S. Thomas: HÆC AVTEM OPINIO EST HÆRETICA: TOLLIT ENIM RATIONEM MERITI, ET DEMERITI IN HVMANIS ACTIBVS. *Non enim videtur esse demeritorium, vel meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, vt vitare non possit.* EST ETIAM ANNVMERANDA INTER EXTRANEAS PHILOSOPHIÆ OPINIONES, QVIA NON SOLVM CONTRARIATVR FIDEI, SED SVBVERTIT OMNIA PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ MORALIS. *Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ Moralis Philosophia consistit. Huiusmodi autem opiniones, quæ destruunt principia alicuius partis Philosophiæ, dicuntur posi-*

tiones extraneæ: sicut nihil moueri; quod destruit principia Philosophiæ naturalis. Ad huiusmodi autem opiniones ponendas inducti sunt aliqui homines, partim quidem propter proteruiam, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas soluere non potuerunt. Non antè huius loci vim effugient Aduersarii, quàm meridiano soli tenebras offuderint.

PARAGRAPHVS II.

Hæresis damnatur ab Andrea Du-Valliô.

SI Du-Vallio fides est, causam vicimus. Iugulat ille nouum dogma, eíque turpissimam Hæresis notam infligit. Nam tom. 1. in 1. 2. Tract. de humanis actionibus, quæst. 3. art. 1. illam & Caluinianam esse, & humanam libertatem funditus eruere pronuntiat. *Prima*, inquit, *opinio, eáque heretica est, hominem nullo ad quascunque actiones suas libero arbitrio gaudere, sed absolutâ necessitate (quam fatum veteres Philosophi appellarunt) semper agere, & agi. Ita Simon Magus, Marcion, Vvicleffus, Lutherus, & Caluinus, qui censet abolendum esse nomen liberi arbitrij, & potiùs seruum, quàm liberum arbitrium appellandum,* &c. *Et* QVAMVIS ALIBI LIBERVM ARBITRIVM ADMITTERE VIDEATVR, REIPSA TAMEN ILLVD PENITVS DESTRVIT: QVIPPE CVM TANTVM EXISTIMET HOMINEM ESSE LIBERVM A COACTIONE, ITA VT EIVS VOLVNTAS COGI, ET VIOLENTARI NEQVEAT: NON AVTEM A NECESSITATE: *quia (inquit) necessariò trahitur aut à tentatione Dæmonis, aut à gratia Dei.* Du-Vallius ait Caluinum perimere liberum arbitrium, cùm hominem liberum esse docet à coactione, non autem à necessitate. Atqui illud ipsum affirmant Aduersarii: ergo ex mente Du-Vallii liberum arbitrium perimunt.

Idem tractatu de gratia quæst. 10. artic. 4. vbi quærit, quæ libertas ad meritum requiratur: respondet,

MERITVM DEBET ESSE LIBERVM, NON SOLVM LIBERTATE A COACTIONE: HOC ENIM FATENTVR HÆRETICI, SED ETIAM LIBERVM A NECESSITATE. Breuiter hîc adstringit, quæ Ysambertus pluribus exponit postea: Hæreticos omnes, qui ob ereptam homini libertatem damnati sunt, non coactionem, sed solam necessitatem voluntati inferri voluisse.

Atque vt nouam opinionem hæreticis accenset, ita & oppositam omnium omnino Theologorum esse, atque Philosophorum pronuntiat Tract. de Humanis actionibus, quæst. 3. art. 2. *Certum est voluntarium distingui à libero, quòd voluntarium reperiatur in actibus necessariis, dummodo voluntati conueniant, & arrideant, vt patet in visione, & fruitione beatifica, quæ sunt actus omnino necessarij: at verò liberum præter istud, quod est oriri à voluntate, requirit adhuc potestatem ad vtrumlibet, seu indifferentiam, & indeterminationem ad obiectum, quod proponitur: & hæc distinctio est omnium Philosophorum, & Theologorum, qui hactenus, & hucusque de libertatis natura disputarunt.* Nimirum, tot Patres, Theologósque Du-Vallius non legerat, quos noui Dogmatistæ liberum cum voluntario confudisse volunt.

PARAGRAPHVS III.

Hæresis damnatur ab Nicolao Ysamberto.

NEMO in recens dogma seueriorem, quàm Ysambertus, censuram distrinxit. Tractatu de Incarnatione disp. 1. de libertate Christi artic. 2. *Sit hæc*, inquit, *prima nostra propositio: Libertas humanæ voluntatis Christi Domini non est tantùm libertas à coactione, sed etiam à necessitate. Hæc propositio ita est certa, vt S. Thomas in quæstionibus disput. quæst. 6. de malo, art. 1. dicat opinionem contrariam nostræ propositioni esse hæreticam: & quia non tantùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia Phi-*

losophia Moralis, esse annumerandam inter opiniones extraneas Philosophiæ. Nec obstat quòd S. Thomas agat de libero arbitrio hominis, non autem in particulari de libertate Christi Domini: cùm enim Christus sit homo eiusdem speciei nobiscum, liberum arbitrium hominis debet etiam illi conuenire. Gemino hîc telo confoditur nuperum dogma, S. Thomæ, atque Ysamberti auctoritate.

Addit Ysambertus. OMNES HÆRETICI ETIAM NOSTRI TEMPORIS, QVI DAMNATI SVNT AB ECCLESIA, EO QVÒD NEGARENT LIBERVM ARBITRIVM, NON INDVCVNT COACTIONEM, SED SOLVMMODO NECESSITATEM, ET NIHILOMINVS CONDEMNANTVR. *Nam Caluinus passim, & eius sectatores apertè concedunt, omnes homines exercere suas actiones sponte, & non coactè: & tamen hæc eorum doctrina damnatur hoc titulo, quòd inducat necessitatem: ergo si voluntas Christi Domini haberet necessitatem in operando, licèt non cogeretur, sed ageret spontaneè, & voluntariè, non esset verè ac propriè libera, quod esset hæreticum: ergo humana voluntas Christi Domini debet esse libera, libertate non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate.* Quâ fronte contendit Sorbonæ Calumniator, nouos Sorbonicos veteri illi Censuræ aduersari?

PARAGRAPHVS IV.

Recèns damnatum est à Facultate Parisiensi vniuersa.

PARVM esset, à duobus Sorbonæ Heroïbus tam grauiter percussum esse monstrum illud; nisi recèns ad ipsummet conficiendum Sacra Facultas vniuersa conspirâsset: Prohibuissétque ne cuiquam è suis liceret in posterum, propositiones vllas à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. Pontificibus Maximis damnatas defendere. Quas inter propositiones, cùm & ea, de qua

iam contendimus, & multæ vel connexæ cum ea, vel consectariæ recenseantur; certiùs ex eo & de Sorbonæ iudicio, & de obtrectatoris calumnia existimare fas erit.

Mihi si non credis; ipsis Actis crede, quæ hîc tibi ad verbum ex ipso Facultatis instrumento describo.

Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die decimâ quintâ Ianuary, Sacra Theologiæ Facultas Parisiensis, post sacrum pro Fidelibus defunctis celebratum, extraordinaria habuit Comitia in aula Collegij Sorbonæ, in quibus Honorandus Magister Noster Iacobus Pereyret Regiæ Nauarræ summus Moderator retulit; se iuxta ordinationem eiusdem Facultatis connocâsse Honorandos Magistros Nostros Breard, Charton, de Lestocq, Hallier, Cornet, Coqueret, & Nicolay, cum Domino Ant. de Breda Syndico in absentia Domini de Mince, die duodecimâ huius mensis, vt viderent, quid agendum esset in negotio Bullæ S. D. N. Vrbani VIII. Pontificis Maximi, à Rege Christianissimo, cum littera parui sigilli missæ, & per Auditorem Eminentissimi Card. Grimaldi Nuntij Apostolici, die secundâ dicti mensis allata: réque diligenter examinatâ, & ponderatâ, censuisse referendum esse in Acta publica, quid gestum esset in ea Deputatorum Congregatione, in qua quidem allatum fuerat Decretum Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Parisiensis, die vndecimâ Decembris præteriti, cum eiusdem Mandato, die decimâ huius mensis, & anni, in præconiis Parochiarum publicato: quo attentè lecto, & considerato, cum prædictis littera, & exemplari Bullæ prædictæ, diei sextæ Martij 1641. publicatæ Romæ decimâ nonâ Iunij 1643. à prædicto Eminentissimo Cardinali Grimaldo obsignato, & sigillato die secundâ Ianuarij 1644. conclusisse, in tabulas Facultatis referendas omnes propositiones relatas in dicta Bulla, quarum aliquæ renouantur in libro Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, qui inscribitur Augustinus, prohibendúmque Baccalaureis, Licentiatis, & Studentibus, ne eas proponant in Thesibus, & disputationibus, iísque iniungen-

dum, ſicut & Sapientiſſimis Magiſtris Noſtris, & Vigilantiſſimo Domino Syndico, ne eas probent in reſponſis, theſibus, libris, concionibus, aut lectionibus, ſub pœna priuationis, donec ab Eccleſia, aut S. Sede Apoſtolica aliter fuerit declaratum. Quâ relatione auditâ; ſenſuit Facultas negotium illud eſſe differendum. PROHIBVIT TAMEN TAM DOCTORIBVS, QVAM BACCALAVREIS, NE PROBENT, VEL SVSTINEANT, PRÆDICTAS PROPOSITIONES, PER BVLLAS PII V. GREGORII XIII. ET VRBANI VIII. SVMMORVM PONTIFICVM PROHIBITAS.

Atqui inter illas propoſitiones, trigeſima-nona; *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit:* & 56. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali;* illæ ipſæ ſunt, de quibus præſens eſt inſtituta diſputatio. Quò pertinet & 68. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* & 54. *Diffinitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm ſit Pelagij:* quas ex prioribus fluere, & nouo Dogmati, cum Hæreticorum ſchola communes eſſe, priùs oſtendi.

Ecquis ergo iam non videat, quàm pernicioſos, ac peſtiferos noui Dogmatis errores iudicarit Theologica Facultas Pariſienſis: quos & olim diuerſis temporibus, vt ſuprà retuli, ſuis aduerſus Lutherum, Caluinum, ac Bajum Cenſuris, vt hæreticos damnauit; & recèns edicto ſaluberrimo proſcriptos, è Pariſienſi Academia, in quam fraudulenter irrepſerant, exulare iuſſit.



SECTIO IV.

Nouum dogma ab aliis Doctoribus Gallis Hæreseos notatur.

AT ne in Sorbonæ causa, suspecta sint Sorbonicorum iudicia: age, aliorum hac de re sententiis litem omnem, controuersiámque dirimamus.

PARAGRAPHVS I.

Hæreseos notatur à Ioanne Puteano.

NIHILO mitiùs nouum dogma adhibet Ioannes Puteanus, ex S. Augustini familia, S. Augustini doctrinæ retinentissimus, & in Academia Tolosana Theologiæ Professor Regius. Tomo 1. in 1.2. quæst. 10. dubit. 2. cui titulus hic inscribitur; *An libertas detur in nobis hoc nomine quòd non cogamur inter operandum; an verò quia non necessitamur.* Respondet: HÆRETICI NOSTRI TEMPORIS IN EO VERSANTVR ERRORE, VT CREDANT HOMINEM DICI LIBERVM HOC SOLO TITVLO, QVÒD NON COGATVR IN SVIS ACTIONIBVS EXERCENDIS, *licet necessitetur in omni planè actione, quam exercet; ac proinde volunt dari in nobis libertatem à coactione, non autem à necessitate. Probant primùm ex Patribus, maximè verò ex August. l. 5. de Ciuitate cap. 10. & in Enchirid. ad Laur. cap. 103. & lib. de nat. & grat. capite 46. Deinde Pater & Filius producunt necessariò Spiritum sanctum; certum est autem, processionem istam nuncupari liberam à D. Thoma, à Scotistis, & à Nominalibus. Indubitatum est etiam apud Prosperum, Anselmum, & alios nonnullos Patres, spontaneum & voluntarium conuerti cum libero.* Hæc est teste Puteano, Hæreticorum nostri temporis sententia, hæc illius fundamenta, cui Catholicorum

rum hanc conclusionem opponit. *Libertas ideo admittitur in nobis, non quòd non cogamur, sed multò magis quia non necessitamur inter operandum: ac proinde concedenda est in nobis libertas, nedum à coactione, sed etiam à necessitate.* Quod vbi multiplici ratione probauit, postremò sancti Thomæ auctoritatem sic proponit: *Denique D. Thomas quæst. 6. de malo, art. vnico ait, Hæresim esse manifestam nedum apud Theologos, sed etiam apud Philosophos dicere, libertatem à coactione, minimè verò à necessitate sufficere ad liberum arbitrium statuendum.*

PARAGRAPHVS II.

Hæreseos notatur à Mario Scribonio.

SIMILLIMA est Scribonij Censura. Quærit lib. 2. disp. 19. quæst. 2. *vtrùm in hominibus sit libertas à necessitate, an solùm à coactione.* Respondet: *Martinus Bucerus lib. de Concordia, scribit libero arbitrio solam coactionem repugnare. Et rursus, quod Catholici dicunt hominem esse liberi arbitrij, censet intelligendum non de libertate necessitatis, sed coactionis. Quòd verò dicunt Lutherani hominem esse liberi arbitrij, intelligendum esse dicit de libero arbitrio à necessitate, non à coactione. Caluinus etiam lib. 2. Instit. cap. 2. scribit hominem esse liberum à coactione, non à necessitate, & in hoc reprehendit Magistrum sententiarum, quasi necessitatem à coactione distinguere nesciret, eique notam inurit, quòd pernicioso errori hac ratione materiam dederit.* Contra hanc Buceri, Caluinique opinionem (quæ ipsa Dogmatistarum est) toto reliquo capite confligit, eámque funditus euertit.

SECTIO V.

Nouum dogma à Doctoribus Belgis hæreticum esse pronuntiatur.

DEGENERES sunt profectò, qui iam in Belgio nouam opinionem fouent; cùm eorum maiores & vtriusque Belgicæ Academiæ proceres ornatissimi suo illam suffragio inter Lutheri Caluiníque errores ablegarint.

PARAGRAPHVS I.

Hæreticum esse pronuntiatur à Joanne Maldero Episcopo Antuerpiensi.

MALDERI, opinor, auctoritatem non respuent Aduersarij, quem insignis eruditio, Louaniensis Academiæ Doctorem; pietas, Episcopum Antuerpiensem fecit. Disput. 56. in primam partem sic loquitur: PRIMA LIBERTAS EST A COACTIONE: HOC MODO OMNIS ACTVS ELICITVS VOLVNTATIS, LIBER EST: SED HOC MODO ETIAM HÆRETICI LIBERTATEM ARBITRII AGNOSCVNT, DETORTA NIMIS ETYMOLOGIA. Item disp. 59. vbi proposuit hunc 68. contra-Remonstrantium, *In cælis electi Deo seruiunt non tantùm voluntariè, sed etiam liberè*, subiicit: *Verisimile est, in eo auctorem huius articuli hallucinari*, QVÒD VT SOLENT SECTARII, NON PLVS AD LIBERTATEM REQVIRAT, QVAM AD RATIONEM VOLVNTARII. *Certum itaque est in amore Dei Beatifico electos non esse liberos, sed tantùm voluntarios.* Perpende hæc verba; *vt solent sectarij, non plus ad libertatem requirit, quàm ad rationem voluntarij*. Ergo faciunt cum sectariis, qui itidem vt illi *non plus ad libertatem requirunt, quàm ad rationem voluntarij.*

Idem disput. 26. *Almainus*, inquit, *definit voluntarium, vt sit operatio, vel omissio existens in potestate agentis, ita vt omnibus præuiis, & requisitis ad illam positis, sit in potestate agentis eam ponere, vel non ponere. At iste voluntarium confundit cum libero, quod, quamuis alio modo, faciunt etiam nostri temporis sectarij.* Voculam immuta, & lege, *quod, quamuis alio modo, faciunt etiam nostri temporis noui Dogmatistæ.*

PARAGRAPHVS II.

Hæreticum esse pronuntiatur à Cunero Petri *Episcopo Leouardiensi.*

MVLTA disputat Cunerus Petri lib. de lib. arb. cap. 5. quibus noua opinio, seuerè ac pro merito suo tractatur: pauca in specimen attexam. *Est*, inquit, *liberum arbitrium ipsa hominis voluntas, quatenus per eam homo sui potens est, vt sine necessitate, quam velit, contradictionis partem eligat. Nam quòd à coactione, sicut antea dictum est, liberi sumus, ipsa natura voluntatis exigit, quæ non erit voluntas, si coacta sit. Nam coactum dicitur, quod est contra voluntatem: fieri igitur non potest (quia simul idem velle & nolle non possumus) vt quod voluntarium est, sit coactum & inuoluntarium, quæ contraria sunt & contradictionem inuoluunt: ideóque* DE HOC LIBERTATIS MODO NVNQVAM FVIT AVT POTVIT ESSE QVÆSTIO; *quam omnes euidentissimè in se sentiunt, & sine qua natura voluntatis aliter concipi non potest. Sed de eo libertatis modo semper Ecclesia cum Hæreticis & nonnullis Philosophis conflixit, quo simpliciter (vt etiam antè dictum est) homo aliquid facere, vel id ipsum omittere potest, cuius proprius actus est alterutrum oppositorum, quæ offeruntur, eligere; quemadmodum scriptura nobis optionem sæpe relinquit: quæ sanè optio neque in coactis, neque in necessariis, vel ad vnum naturaliter determinatis locum habet.*

PARAGRAPHVS III.

Hæreticum esse pronuntiatur à Ruardo Tappero.

LIBAVI superiùs, quid de nouo dogmate sentiret Ruardus Tapperus Caluinistarum malleus. Nunc id ipsum fusiùs persequi operæ pretium est. Art. 2. pag. 237. edit. 2. hæc Caluini verba refert ex lib. 2. aduersus Pighium. *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor & constanter asseuero, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat.* Quæ hoc modo confutat. SED HANC VOLVNTATIS LIBERTATEM QVÆ COACTIONEM EXCLVDIT, ET EXTERNVM MOTVM, QVO VIOLENTER TRAHITVR VOLVNTAS, NEC MANICHÆI, NEC VALLA, NEC VLLI HÆRETICI NEGAVERVNT. *Nouerunt enim inseparabilem esse à voluntate. Non enim docebat Manichæus, quòd voluntas violenter externo motu inuita trahitur ad bonum, vel malum, sed quòd homo eâ parte, quam à malo habeat principio sponte sua, & voluntariè ferebatur in malum: parte verò alia, quæ à Deo est, in bonum; sed necessariò, ita vt secundùm illam bonum eligere non possit, nec malum secundùm istam: propter quod dicitur negasse liberum in homine esse arbitrium. Et ideo* QVANDO APVD AVGVSTINVM DISPVTATVR, AN GRATIA TOLLAT LIBERVM ARBITRIVM, QVOD CREDEBANT MONACHI ADRVMETINI, NON AGITVR DE ARBITRIO LIBERO A COACTIONE, QVÆ NATVRÆ VOLVNTATIS REPVGNAT. *Non enim ignorare poterant, quòd voluntas externo motu inuita non cogitur. Nec inuitam velle, ex doctrina B. Augustini, Monachi illi credebant.* NVLLAM ENIM HÆC QVÆSTIO DE GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO, QVAM DIFFICILLIMAM DICIT B. AVGVSTINVS, HABERET DIFFICVLTATEM, SI LIBERTAS INTELLIGERETVR COACTIONEM

EXCLVDERE SOLVM, ET NON NECESSITATEM. Demúmque sic concludit: *Voluntatem cogi posse, potiùs est hæresis contra Philosophiam, quàm contra fidem Catholicam.* Sic ille nouum de libertate errorem omnibus superiorum temporum de libero arbitrio hæresibus accenset.

PARAGRAPHVS IV.

Hæreticum esse pronuntiatur à Ioanne Vvigers.

QVÆRIS, cuius sacramenti sint, quósque habeant duces, qui nouam de libertate sectam intriuetunt; audi Ioannem Wigers in Academia Louaniensi Regium Professorem. Sic ille in 1. 2. S. Thom. quæst. 6. art. 2. num. 6. HÆRETICI HVIVS TEMPORIS, VT CALVINVS, LVTHERVS, ET ALII NON AGNOSCVNT IN NOBIS LIBERTATEM VLLAM, QVÆ OPPONATVR NECESSITATI IN OPERANDO, SED TANTVMMODO, QVÆ OPPONATVR COACTIONI. *Volunt enim actiones nostras ex necessitate à nobis fieri, quamuis non coactè: quia sine voluntatis nostræ repugnantia, scilicet spontaneè fiunt, sed ex praua determinatione, cui non potest resistere voluntas.* SED CONTRA HOS CERTA FIDE TENENDVM EST, IN HOMINE ETIAM POST LAPSVM, *superesse naturalem facultatem liberam, dictam liberum arbitrium; nec tantummodò esse eiusmodi potentiam, sed etiam liberum illius potentiæ vsum, qui consistit non tantùm in potestate operandi voluntariè, spontaneè, & libenter, etiamsi quoque id fiat cum perfecta cognitione & aduertentia rationis, sed præterea requirit in potentia quandam indifferentiam ad agendum, & non agendum positis iam omnibus ad actionem prærequisitis. Vnde hi articuli à duobus Pontificibus sunt reprobati: quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit. Item, sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Non potuit disertiùs Aduersariorum opi-

nionem proponere, non potuit splendidiùs illam traducere.

PARAGRAPHVS V.

Hæreticum esse pronuntiatur à Guillelmo Estio.

MIRVM id sanè, Guillelmum Estium Duacensis Academiæ Cancellarium laudari magnificè ab Aduersario l. 3. de grat. Chr. cap. 19. & *doctissimum inter recentiores sancti Pauli Epistolarum interpretem* nuncupari; cùm neminem infensiorem habeat, suóque dogmati magis iniquum. Sic enim loquitur in 2. sentent. dist. 7. §. 7. *Hæretici qui hoc tempore liberum arbitrium oppugnant, ac nominatim Caluinus solum hoc voluntarium, quod coactioni opponitur, tam in Deo, quàm in creaturis intellectu præditis agnoscunt.* Ac paucis interiectis: *Libertas arbitrij non solùm opponitur necessitati coactionis, quæ omninò à voluntate est aliena, verùm etiam necessitati naturali, quâ voluntas etsi sponte agat, sic tamen agit, vt non possit non agere.* DICENDVM IGITVR EST ARBITRII LIBERTATEM QVAM CONTRA HÆRETICOS VETERES ET NOVOS DEFENDIT ECCLESIA, CONSISTERE IN FACVLTATE ELIGENDI VTRVMLIBET OPPOSITORVM; & ibidem docet, *tradidisse hanc libertatis rationem Augustinum.* Multò adhuc clariùs eodem in lib. dist. 24. §. 1. Nam ibi adductis sacræ Scripturæ testimoniis ex capit. 15. & 31. Ecclesiastici, Isaiæ 1. &c. probat *in eo sitam esse rationem liberi arbitrij, quod agere possit, & non agere, nulla necessitate in alteram partem inclinatum*: subiicitque: *Hæc autem est constans, & certa Patrum sententia, atque imprimis Augustini.* Præterea, ibidem apertè significat, communem de libertate sententiam absque fidei Catholicæ subuertendæ periculo repudiari non posse: *Vt autem intelligamus quàm necessariò tenenda sit hæc doctrina, quâ dicimus ad liberi arbitrij propriam rationem pertinere, vt sit liberum à necessitate naturali, nec sufficere, quòd*

ſit liberum à coactione, notandum eſt, quod habetur in Conc. Trident. ſeſſ. 6. capite 5. ibi enim dicitur hominem liberè conſentire diuinæ inſpirationi, quippe qui illam & abiicere queat, & can. 4. liberum arbitrium Deo excitanti & vocanti poſſe conſentire, & diſſentire. Quare non immeritò S. Thomas in Diſputatis quæſt. 6. de malo affirmat, hæreſim eſſe non ſolùm apud Theologos, ſed etiam apud Philoſophos dicere, quòd ad liberam electionem non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Patet etiam iure damnatas eſſe huiuſmodi propoſitiones, & ſi quæ ſunt ſimiles; ſola violentia repugnat libertati hominis naturali; &, quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit. Et §. 2. in reſponſione ad obiectiones, *Quidam*, inquit, *huius temporis Hæretici dum cum Luthero liberum arbitrium apertè negare non audent, vt Caluinus & Bucerus; ita vocabulum liberi arbitrij retinent propter SS. Patrum auctoritatem, vt tamen propriam eius rationem, iam à nobis explicatam, tollant, & proinde rem ipſam deſtruant. Docent enim* (quid porrò?) *libero arbitrio non repugnare neceſſitatem naturalem, ſed ſolam neceſſitatem coactionis; & hac ratione hominem poſt peccatum fatentur eſſe liberi arbitrij, quia non coactè, ſed ſponte & voluntariè operatur. Adducunt pro ſua ſententia quædam loca ex SS. Patribus:* inter quæ illa ipſa numerat Eſtius, quibus ad faſtidium Aduerſarij gloriantur; nimirum *ex Auguſt. l. 5. de Ciuit. cap.* 10. *lib.* 22. *cap. vlt. Enchirid. cap.* 103. *lib. de nat. & grat. cap.* 46. &c. *Ex Proſpero contra Collatorem cap.* 19. *ex Bernardo ſerm.* 81. *ex Magiſtr. diſt.* 25. §. *a. ex S. Thom. in diſp. quæſt.* 8. *de potent. a.* 7. *ad* 14. *& q.* 10. *a.* 2. *ad* 5. *&* 1. *p. q.* 83. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. Quibus omnibus eas ſubiungit reſponſiones, quas cùm à nobis audiunt Dogmatiſtæ, enimuerò vociferantur illudi Patribus, rideri Auguſtini doctrinam, & Pelagianam Hæreſim ex inferis reuocari.

SECTIO VI.

Nouum dogma ab Hispanis Doctoribus vt hæreticum proscribitur.

VIDIMVS nouum dogma ab Gallis Doctoribus Belgísque Hæreticorum deliriis accenseri. Nunc Hispanorum suffragium addimus, vt appareat quàm certa sit apud omnes, quámq; indubitata huius opinionis infamia, ad quam proscribendam nationes illæ, quæ animis non minùs, quàm moribus inter se dissident, summâ animorum consensione conspirarunt.

PARAGRAPHVS I.

Proscribitur vt hæreticum à Francisco Horantio.

FRANCISCVS Horantius optimè meritus est de Religione Christiana pereleganti illo, ac celebri libro, cui titulus est, *Loci Catholici*, quóque singula Institutionis Caluinianæ capita contundit. Quem qui legerit, totum ferè aduersus nouitium errorem concinnatũ esse arbitrabitur. Nam & illum passim perstringit, & libro 1. à cap. 49. ad 57. præcipuas eius partes firmissimis argumentis profligat. Pauca tantùm excerpam ex cap. 49. quo vt titulus loquitur, aduersus Caluinum probat, ESSE IN NOBIS LIBERTATEM, TESTE AVGVSTINO, NON QVÆ COACTIONEM MODÒ, VERVM ETIAM NECESSITATEM EXCLVDAT. Quod his verbis probare aggreditur: *Fatetur Caluinus voluntatem non cogi, ac proinde sæpe ab Augustino dictum, voluntariè agere nos, vt vel sic bonos præmia, malos verò pœnæ, diuina lege insequantur: vtrumque tamen non electione ad vtrumlibet libera, sed necessitate quadam hominẽ præstare.* HOC EST PRIMVM CALVINIANVM ASSERTVM. Nota hæc

hæc verba: *cuius auctorem esse D. Augustinum omni asseueratione affirmat. Quid, si ostendero ex Augustino, ad vtrumque liberam nos, & nullâ necessitate complicatam ad bonum, seu ad malum habere voluntatem, saluâ semper Dei nostri gratiâ, quâ præuenit & operantes iuuat? quid, si verba Augustini induxero nulli calumniæ patentia, quæ non voluntariè tantùm, hoc est, absque vlla coactione, verùm etiam liberè, absque vlla necessitate, bonum, & malum operari nos palam doceant? Augustinus lib. 1. de lib. arbit. cap. 12. cùm præmisisset malefacta, Dei iustitiâ vindicari, addidit: non enim iustè vindicarentur, nisi libera fierent voluntate. Ne tamen hîc Caluinus ad liberum primi hominis arbitrium recurrat, quemadmodum dum Ecclesiastici locum pro libero arbitrio interpretatur, facit: aut his verbis coactionem à voluntate nostra excludi, non necessitatem garriat. (quæ sanè Caluiniana diuerticula, callidaque eius inflexiones omnes sunt)* sunt & nouorum Dogmatistarum. *Audiat, quid inferat Augustinus eo ipso loco: Vides igitur, inquit, iam vt existimo, in voluntate nostra constitutum, vt hoc tanto vero bono fruamur, vel careamus.* Quod cùm pluribus Augustini locis efficere conatus est, concludit: NVM NOS CVM AVGVSTINVM LEGIMVS, CALVINE, NECESSITATEM CVM COACTIONE PERPERAM CONFVNDIMVS? AN NON MAGIS VTRVMQVE NOBIS DAT AVGVSTINVS, ET SINE COACTIONE NOS AGERE, ET SINE NECESSITATE, QVOD EST DICERE VOLVNTARIE', ET LIBERE'.

Neque verò satis fuit fortissimo Catholicæ veritatis propugnatori, huiusce Caluiniani dogmatis caput Augustini auctoritate conterere: multis deinceps capitibus eiusdem opinionis fundamenta conuellit. Cap. 50. triumphale illud Caluini argumentum dissoluit, ex Dei, Dæmonúmque libertate petitum. Cap. 51. ostendit, *nullibi D. Augustinum asseruisse necessariò quemquam peccare.* Capite 52. *Ex Augustino verum esse illud conuincit, quod Caluinus in Catholicorum doctrina minùs probat, nimi-*

rum, diuinam gratiam omnibus esse expositam. Quod ita auspicatur: *Superest igitur, vt veniamus ad secundum, & ostendamus* IVXTA AVGVSTINI MENTEM DEI GRATIAM, QVÆ SVFFICIENS, ET NECESSARIA SIT, OMNIBVS PARATAM ESSE, NON MINVS, QVAM SIT PERVIA OCVLIS NOSTRIS LVX HÆC MATERIALIS. *Sed audiatur Caluinus. Phreneticos, inquit, nihil moror, qui gratiam pariter, & promiscuè expositam esse garriunt,* &c. Tum ex his omnibus eodem capite sub finem, ita colligit: *Ad summam,* IN HOMINE POST LAPSVM, ET IN BONVM, ET IN MALVM EAM AGNOSCAMVS LIBERTATEM OPORTET, NON QVAM ILLI DANT LVTHERVS, MELANCTHON, CALVINVS, MVSCVLVS, ET CÆTERI, QVÒD QVAMVIS SERVVS SIT PECCATI, NON TAMEN COACTIONE, AC REPVGNANTIA, SED SVMMA VOLVNTATE, SPONTE SVA IN MALVM MAXIMÈ EST PROPENSVS, *vt hoc ipsum quòd peccati lege tenetur captiuus, pulchrum ei, ac iucundum videatur: non, inquam, tantùm hanc reliquit Deus homini libertatem in malum, sed vt liberè in quodcunque feratur.*

At ne qua fortè tam virulenti erroris fibra remaneat, cap.55. & 56. confutat celebre illud argumentum petitum ex discrimine gratiæ medicinalis, ab gratia naturæ integræ, ex Augustino, lib. de corrept. & gratia, capite 11. & 12. depromptum. Quod antequam explicet, proponit hæc Caluini verba. *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur. in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est:* quibus ita respondet: *Parisienses Patres, Christiani orbis lumina, bene de Ecclesia Christi meritos, studio, doctrinâ, grauitate, & prudentiâ longe omnibus præstantes, virtute ornatissimos, animi candore, atque modestiâ insignes, diuinis litteris pariter, & humanis instructissimos,*

& cum fidei hostibus pugnare exercitatissimos: hos, inquam, viros, cum quibus longo interuallo non sis conferendus, Sophistas, & (quod omnium molestissimè ferendum est) Pelagianos, nouámque Pelagij fœturam appellare es ausus? Tam præclari nominis Academiam, & tantam Christiani senatus gloriam multo labore, vigiliis, lucubrationibus editis partam, hac infelicissimâ notâ, hæresis scilicet, nunc tu, ferox homo, dehonestabis, & interturbabis? Consueuerunt illi quidem pro Christiana fide, & pro Augustino, erga quem incredibilis illis religio est, contra fraudis cultores, ac veritatis inimicos ingenia sua acuere, & multa quibus nostra alantur studia, edere sæpe, & fortunatissimè; ipsum tamen Augustinum, aut criminari, aut in Pelagianam arenam pertrahere, nunquam. Quæ cùm incredibili zelo ad retundendam perditi verberonis maledicentiam dixisset, reliqua Caluini verba subiicit: *Augustinus lib. de corrept. & gratia fusiùs exsequitur, quod breuiter eius tamen verbis referam: gratiam persistendi in bono Adæ fuisse datam, si vellet: nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus: habuisse ergo illum posse si vellet*, &c. *Hinc colligit Caluinus, stultum & friuolum esse, asserere in nostra esse potestate Dei gratiam irritam facere.* Quod reliquo capite ita confutat Horantius, vt hæc tota eius disputatio in nouam de libertate opinionem instituta esse videatur.

PARAGRAPHVS II.

Proscribitur vt hæreticum à Didaco Aluarez.

NON est quòd physicæ prædeterminationis auctores in opinionis suæ præsidium Aduersarius vocet, quos ipse *Aristotelicos potiùs, quàm Augustinianos* per ludibriū appellat, quósque *Augustini doctrinam inexplicabili confusione perturbasse* ait. Nam & ipsi eius sententiam execrantur, & inter ludicra Caluini, Lutherique commenta exulare iubent. Didacus Aluarez libro de Auxiliis, Libro 8. de grat. Christi cap. 2.

disput. 3. num. 9. *Caluinus*, inquit, *vtcunque moderatus errorem Lutheri fatetur, liberum nostrum arbitrium non se habere merè passiuè, tanquam inanime quoddam: sed actiuè concurrere, & motu spontaneo ad suas operationes, non tamen liberè*, prout liberum, à spontaneo, seu voluntario distinguitur. Quam opinionem Hæresim vocat num. 17. *Sexta*, inquit, *eorum Hæresis est, Deum ita inchoare, & perficere in nobis bonum opus mouendo liberum arbitrium, vt nostra voluntas non liberè, sed solùm motu spontaneo motionem diuinam subsequendo cooperetur. Ita Caluinus libro 2. Instit. cap. 3.* Tum paulo pòst: *Septima Hæresis Lutheranorum affirmat, gratiam Dei ita esse efficacem ex se ipsa, vt nostra voluntas eidem non cooperetur liberè, sed solùm sponte, vltro & non coactè. Ita Caluinus*, &c. En illud ipsum quod Aduersarius docet, cùm pugnat gratiam Christi ita esse efficacem ex se ipsa, vt non aliter cum libero arbitrio concilietur, *Quàm quia quantumcunque Deus efficaciter per gratiam operetur, non nolens, aut inuitus homo facere cogitur, sed vltro agit, ac sponte.*

Libro 8. de grat. Christi cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c.

Nec dicas Caluinum negare voluntatem liberè concurrere cum gratia, quod tu asseris. Nam & illud eodem, quo Caluinus, sensu negas & ipse, eodem quo tu, sensu affirmat. Negat Caluinus voluntatem liberè agere libertate à necessitate. An non & illud inficiaris? Ais tu eandem agere liberè libertate à coactione. An istud Caluinus negat? Audi rursus eundem Aluarem libro 3. disp. 22. num. 31. *Caluinus confessus est, nostrum arbitrium cooperari quidem efficienter Deo efficaciter mouenti ad consensum, non tamen cooperari liberè, sed spontaneè duntaxat.* Et libro 9. disput. 98. num. 10. *Errauit Caluinus quoniam ita Deum suâ gratiâ efficaci nobis ipsam fidem donare sensit, vt nostra voluntas non cooperetur liberè Deo mouenti, sed solùm motu spontaneo, & non coacto.* Errauit igitur & noui dogmatis faber, qui non aliam cum gratiæ medicinalis efficaciâ, libertatem stare putat, quàm quæ coactioni est inimica.

PARAGRAPHVS III.

Proscribitur ut hæreticum à Petro de Cabrera.

EN alterum physicæ prædeterminationis assertorem, nouæ opinioni nihilo sanè minùs infensum. Quærit artic. 3. quæst. 18. in 3. partem: *Vtrum in Christo fuerit liberum arbitrium.* Respondet: *Hæc conclusio absolutè sumpta est de fide tenenda; sed pro eius intelligentia, ne sit confusio in modo loquendi, aduertendum est libertatem, quoad præsens attinet, duobus modis à Theologis vsurpari. Primò latè & minùs propriè, prout opponitur coactioni & violentiæ: in quo quidquid non fit coactè & violenter, sed spontè ac modo connaturali & suaui, dicitur liberè fieri, quamuis proueniat ex necessitate naturali; & hoc modo D. Thom. in 3. dist. 18. quæst. 1. artic. 2. ad 5. Capreol. ibid. quæst. vnica, ferè ad finem, & alij dicunt voluntatem Christi fuisse liberam, quia sponte & non coactè eliciebat actus, sed hoc licèt sit verum, non tamen sufficit ad saluandam propriam libertatem, seu liberum arbitrium, sed oportet aliquid aliud addere, quod quidem ex ipso D. Thom. & communi Theologorum sententia est certissimum, vt statim constabit. Secundo modo sumitur libertas strictè & propriè, prout opponitur necessitati absolutæ: & in hoc sensu id quod est absolutè necessarium, etsi coactum non sit, sed spontaneum & connaturale, non est liberum. Nam liberum propriè excludit necessitatem absolutam. De hac igitur propria libertate posteriori modo sumpta intelligenda est conclusio D. Thomæ: Quod voluntas humana Christi fuerit propriè ac perfectè libera in actibus suis.* QVÆ CONCLVSIO EST ADEO CERTA VT SINE ERRORE IN FIDE NEGARI NON POSSIT: *& probatur. Primò enim* CONCILIA ET SS. PP. SÆPE DOCENT LIBERTATEM VOLVNTATIS, QVÆ EST CAPAX MERITI ET PRÆMII, ESSE OPPOSITAM NON SOLVM COACTIONI, SED ETIAM NECESSITATI, *&c.*

Secundo quia HÆRETICI NEGANTES LIBERTATEM VOLVNTATIS, DAMNANTVR QVIA AFFIRMANT IN VOLVNTATE EXISTERE NECESSITATEM OPERANDI; QVAMVIS ILLAM SPONTE, ET NON COACTÈ OPERARI CONCEDANT: *vt de Vvicleffistis refert Vvaldensis l.1. Doctrin. fidei, art.1. cap. 23. & Pius V. & Gregorius XIII. in propriis Bullis contra Michaëlem Baium.*

PARAGRAPHVS IV.

Proscribitur vt hæreticum à Francisco Cumel.

NVLLVS de verbo dicam nobis impingat. Qui contrariam nouo Dogmati sententiam de fide esse pronuntiat, illud profectò tanquam hæreticum proscribit. Franciscus Cumel Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum quondam Generalis, & in Vniuersitate Salmanticensi Theologiæ Professor publicus hæc habet ad 1. 2. S. Thom. Discursu 2. assertione 4. *Libertas non consistit solùm in eo quod est agere libenter & spontaneè, seu voluntariè præcisè, quamuis hoc fiat cum aduertentia, & cognitione eius; sed vlteriùs requiritur potestas agendi & non agendi, per quam homo, seu creatura rationalis, habet dominium in proprias actiones, seu indifferentiam quandam in agendo, ex eo quòd facultas, sic agens & operans, non est determinata ad vnum ex sua natura, sed potest hoc vel aliud, vel oppositum velle & nolle, aut non velle. Hæc assertio sequitur ex omnibus antedictis, & ex D. Thom. locis citatis, &* EST DE FIDE. *Nam sequitur ex omnibus locis scripturæ superiùs citatis, & ex communi omnium S. Patrum consensu, quos retulimus,* (illos inter maximè Augustinum recenset.) *Quo fit vt explodendus sit modus ille loquendi, qui apud quosdam inualuit: in quo omnem actum, qui fit spontaneè & libenter & non inuitè, liberum appellant, quamuis fiat absque vlla indifferentia & ex necessitate absoluta. Nam talem appellant amorem beatificum; cùm tamen*

amor ille, ſicut & viſio ipſa in beatis ſint actus neceſſarij. Vidéntne Aduerſarij, quem in Franciſco Cumel ſui Dogmatis cenſorem habeant?

SECTIO VII.

Nouum Dogma à Doctoribus Italis inter Lutheri Caluiníque deliria recenſetur.

NON diſcedunt Itali ab hac tam communi conſpirantíque nationum omnium cenſura. Adeo nullus eſt in orbe Chriſtiano locus, quò ſe tutò recipere noua opinio poſſit, niſi fortè tenebroſa illa Hæreticorum latibula repetat, ex quibus non ita emerſit pridem, vt in Catholicorum ſcholis palàm & impunè volitaret.

PARAGRAPHVS I.

Cardinalis Bellarminus nouam opinionem Lutheri Caluiníque erroribus accenſet.

MAGNI hac in re momenti Bellarmini iudicium eſſe debet, qui in ſcrutandis confutandiſque Hæreticorum huius temporis erroribus, tantâ cum laude verſatus eſt, vt ab Catholicis, Lutheranorum Caluiniſtarúmque fulmen: ab Hæreticis, ſuarum partium hoſtis infenſiſſimus habeatur. Hinc illum Catholicorum GOLIATHEM, cum Hunnio Lutherano nuncupant; in quem non vnum tantùm DAVIDEM Pareum, ſed integram ſectariorum legionem emittunt: nec gregariorum modò, aut velitum, quales ſunt Pappus, Gripus, Labrax, Rullus, Mortonus, Rainoldus, aliíque de Prædicantium minutiorum plebe, qui, quaſi timidiores catelli, eminus Bellarminum allatrarunt; verùm etiam ipſorum Principum ac Triariorum, quos

inter eminent Willelmus Witakerus, Lambertus Danæus, Franciscus Iunius, Daniel Chamierus, Guillelmus Amesius, Sibrandus Lubbertus, Theobaldus Hok, Matthias Singer, Sutliuius, Hunnius, & reliqui ingenti numero, qui se commodiorem factioni suæ operam nauare, suúmque nomen nobilitare ampliùs non posse arbitrati sunt, quàm si in Bellarminum nefandæ hæresis placita subruentem inuolarent.

Libro 3. de gratia & libero arbitrio cap. 4. quærit, *An ad liberum arbitrium constituendum requiratur libertas à necessitate, an verò sufficiat ea, quæ est à coactione.* Respondet: *Non desunt ex hæreticis huius temporis, qui libertatem à coactione satis esse iudicent.* MARTINVS BVCERVS IN LIBRO DE CONCORDIA DOCTRINÆ SCRIBIT, LIBERO ARBITRIO, SOLAM COACTIONEM REPVGNARE; *& quia Lutherani non negant liberum arbitrium, si sola requiratur libertas à coactione, ideò se viam ad concordiam reperisse per hanc distinctionem Bucerus existimat. Quod enim Catholici dicunt hominem esse liberi arbitrij, intelligi iubet de arbitrio libero à coactione, non à necessitate; quod verò dicunt Lutherani hominem non esse liberi arbitrij, accipiendum esse docet de arbitrio libero à necessitate, non à coactione. Ioannes etiam Caluinus libro 2. Instit. cap. 2. §. 6. scribit hominem esse liberum à coactione non à necessitate,* &c. *Idem quoque Caluinus in 2. lib. aduersus Pighium disertis verbis pronuntiat se pro Hæretico habiturum, si quis neget liberum arbitrium à coactione, modò non asserat liberum à necessitate.* Cui errori Catholicam sententiam opponit capite sequenti. *Igitur,* inquit, *libertatem à necessitate omnino requiri ad liberum arbitrium, neque satis esse libertatem à coactione demonstrari potest ex testimonio Scripturæ, ex definitione Ecclesiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.* Tum capite 6. Hæreticorum argumenta dissoluit, nimirum illa ipsa, in quibus noui Doctores causæ suæ firmamentum ponunt.

PARA-

PARAGRAPHVS II.

Gabriel Pennottus inter Caluini Lutherique hæreses nouum dogma numerat.

QVANTI à Catholicis fieri debeat Pennotti auctoritas, ex Caluinistarum odio cognosce. Guillelmus Tuissius ex illo grege petulantissimus scriptor, l. 1. c. 25. pag. 161. Pennottum apud Arminianos vigere sic indignatur: *Viget tamen hodie Pennottus inter nos, & multorum manibus versatur hoc opus eius, ad humanam libertatem propugnandam, vel inuitâ gratiâ, destinatum.* Si quam Pennotto fidem Hæretici adimunt, eandem Catholici adhibent, propiùs nihil, quàm vt noua libertas, cum eius auctoribus Hæreticis procul exterminetur. Nam libro 1. propugnaculi humanæ libertatis, c. 16. de Caluini opinione, quam his verbis expressam superiori capite proposuerat: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter asseuero, ac pro Hæretico habeo, quisquis secùs sentiat:* de illa, inquam, opinione ita pronuntiat: HÆC CALVINI SENTENTIA EST ERROR IN FIDE MANIFESTVS. *Intendit enim voluntatem eâ sola ratione liberam vocari posse, quòd sit immunis à violentia, & coactione, & quòd sponte agatur sua. Oppositum* SECVNDVM FIDEM CATHOLICAM ABSQVE DVBIO ASSERENDVM EST, VERAM LIBERTATEM, MAXIMÈ QVAM DIVINÆ SCRIPTVRÆ CONSTITVVNT IN HOMINE VIATORE, NON SOLVM EXCLVDERE NECESSITATEM COACTIONIS, ET VIOLENTIÆ, SED NATVRALIS DETERMINATIONIS, ET INEVITABILITATIS AD VNVM. *Quòd autem hoc sit de fide, probatur primò per Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII, per quas damnatæ sunt istæ propositiones. Quod vo-*

luntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. Et, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Quod postea confirmat ex Concil. Trident. additque, *Non video quomodo post dictas Cōcilij definitiones, & post decreta illa Pij V. & Gregorij XIII. illæ propositiones: Quod voluntariè fit, etiāsi necessariò fiat, liberè tamen fit. Et, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali: in aliquo sensu legitimo ab vllo Catholico possint defendi.* Num ergo Catholici, Pennotti iudicio, qui id pertinaciter defendunt? Pergit idem, & capite 17. Caluini argumenta dissoluit, quibus naturali hominis libertati solam aduersari coactionem contendebat. Quæ omnia sunt eadem prorsus cum iis, quæ vt inuicta iactant Aduersarij.

PARAGRAPHVS III.

Alexander Pesantius nouam opinionem inter nostri temporis Hæreses damnatam esse ait.

ACCEDIT Alexander Pesantius Romanus, vir in primis nobilis, & eruditus, qui nouam de libertate opinionem contra fidem esse pronuntiat, in primam secundæ, quæst. 6. art. 3. disput. 4. *Dico*, inquit, *secundò*, LIBERVM ARBITRIVM EXCLVDERE NECESSITATEM, ET NON POSSE ALIQVID NECESSARIVM ESSE LIBERVM: EST DE FIDE. *Primò probatur ex Scriptura, Eccles. 15. Fecit Deus hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Omnes SS. Patres dicunt, hominem ita relictum esse in sua libertate, vt possit agere, & non agere: at si necessariò operaretur, non ita esset in manu consilij sui. Deuteron. 20. Apposita est tibi aqua, & mors, vt eligas, quod volueris: at si esset necessarium, non esset electio. Tridentinum sess. 6. cap. 5. vt explicet quomodo homo consentiat vocationi, & gratiæ, dicit ita consentire, vt possit resistere. Præterea hæc conclusio est expressè definita à Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis de hac re editis: in quibus damnant Hæreticos nostri temporis dicen-*

tes id, quod necessariò fit, liberè fieri.

Et in tertiam partem quæst. 18. art. 1. disput. 2. quâ quærit, *qualis fuerit Christi libertas*: ita loquitur: *Prima sententia dicit, vt Christus potuerit mereri, satis fuisse libertatem contrarium coactioni, ideóque Christi libertatem non excludere necessitatem, sed coactionem. Sed hæc sententia non est probabilis, quia libertas à coactione non est vera libertas, vt definit Gregorius XIII. in Bulla contra Baium, & docent omnes Patres.* Vnde contra hanc sententiam ita statuit: *In Christo fuisse libertatem cum indifferentia, vt potuerit operari, & non operari.* Addítque: *Est communis Patrum, & Scholasticorum sententia, & patet ex dictis, quia de fide est, in Christo fuisse libertatem, hæc autem intrinsecè includit indifferentiam.*

PARAGRAPHVS IV.

Alij physicæ prædeterminationis assertores nouam opinionem hæreticam pronuntiant.

AGMEN claudant aliquot physicæ prædeterminationis Auctores, quos idcirco alieno hîc loco inserui, quòd tardiùs mihi in manus venerint.

Primus est Iosephus à S. Maria in tractatu Thomistico q. 2. a. 3. *Dico 2°.* inquit, *esse* HÆRESIM MANIFESTAM, *negare liberum hominis arbitrium perstitisse in statu naturæ corruptæ. Specialiter de libertate opposita necessitati, non coactioni, quam moderni Hæretici negant, sicut elicitur ex Bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaëlem Baium, in quibus inter alias eius propositiones damnatas, hæc erat num. 38. Quod voluntariè fit, liberè fit, quamuis necessariò fiat. Hic est communis, tam Scholasticorum, quàm SS. PP. sensus.*

Secundus est Thomas Puis à ponte Lerinensi in 1. p. q. 14. art. 13. dub. 5. pag. 212. *Libertas*, inquit, *arbitrij est indubitata in fide, & non est sermo de libertate à coactione,*

sed de libertate contradictionis, vt pluribus postea probat.

Tertius est Petrus de Ledesma tractatu de Auxiliis disput. de electione ad gloriam, vbi cùm dixisset libertatem propriè dictam non solùm coactionem, sed etiam necessitatem excludere, subdit: *certum illud esse secundùm fidem.*

Alij sunt quamplurimi recentiores Theologi, qui pari seueritate nouum dogma exterminandum esse pronuntiant; sed ne longior sim, recitandis eorum testimoniis supersedeo. Satis erit monuisse, neminem ex Catholicis Theologis, qui post Concilium Tridentinum scripserunt, huius sententiæ meminisse, qui illam erroris, ac hæreseos non damnarit. Quod Gabriel Pennottus apposite obseruauit l. 1. cap. 7. *Superuenientibus*, inquit, *nouis hæreticis, qui concessa humanæ voluntati indifferentia, siue immunitate à necessitate coactionis, nihilominus ipsam voluntatem subiiciunt necessitati naturalis inclinationis, & determinationis ad vnum, opus fuit hoc genus duplex necessitatis pressiùs distinguere.* NVLLVSQVE DEINCEPS FVIT INTER CATHOLICOS DOCTORES, QVI ADMISERIT, SOLAM INDIFFERENTIAM A COACTIONE SVFFICERE AD VERAM LIBERTATIS RATIONEM CONSTITVENDAM.





DISPVTATIONIS DE LIBERO ARBITRIO LIBER SECVNDVS:

IN QVO NOVA DE LIBERTATE opinio SS. Patrum, atque in primis D. Augustini auctoritate conuellitur.

PROLVSIO
Noui Doctoris Procemiali libro respondens.

PARAGRAPHVS I.

Qui Sorbonicæ Censuræ S. Augustinum opponunt, id Caluini & Melancthonis exemplo faciunt.



SATIS, opinor, Sorbonicam Censuram de iniustitia purgaui, de temeritate plusquam satis. Nam quis iniquam vocare ausit, quæ id reiicit vnum, quod in Luthero, Caluinóque Romana damnauit Ecclesia? Quis vt temerariam criminari? quæ vindices

habet ac patronos eos omnes, quorum est apud Catholicos auctoritas summa. Non est ergo quòd allatrantem triobolarem Criticum curemus. Quidquid in hanc censuram effutiat, non antè suam illi vim abrogabit, quàm Sanctis Patribus, fidem: Conciliis, auctoritatem: Summis Pontificibus, religionem: Theologis omnibus obseruantiam ademerit.

Sunt tamen qui furiosa obtrectandi libidine correpti phreneticorum in morem vociferantur, hac Parisiensi censurâ per Baij latus S. Augustinum iugulari, profundam eius de gratia & libero arbitrio doctrinam, quam Patres, quam Concilia, quam Romani probauere Pontifices, explodi, proscribi, damnari. Parum est. Cùm semel disputationis ardore incaluere, eò prorumpunt temeritatis & insaniæ, vt, ad derogandam huic Censuræ auctoritatem, Parisienses Theologos eius auctores in S. Augustini doctrina peregrinos extitisse, vixque tanti Doctoris libros à limine salutasse proclament.

Non dissimili calumnia Philippus Melancthon infringere conatus est vim illius censuræ, quâ Sorbonici virulentam Lutheri de gratia & libero arbitrio hæresim confixerunt. Sic enim loquitur sub finem Apologiæ, quam pro Luthero aduersus illam Censuram conscripsit: *Quod si vnquam dubitatum est, in quo genere litterarum, aut artium versaretur Lutetia: id nunc declarat hic locus, in quo palam apparet in tota ista Sorbonica facultate neminem esse, qui Augustinum attigerit. In ipsa scriptura quid possint, facilè æstimari potest, quando ne Augustinum quidem vulgarem alioqui inter Theologos scriptorem viderint! ô Theologos! ô Sorbonam!* Et paulo pòst: *Sinite impetrari à vobis, vt Augustinum, non dico relegatis, sed inspiciatis tantùm. Nam errorem vestrum nulla pagina est, quæ non coarguat.* Tum quibusdam interpositis: *Ego hîc nihil sic miror, atque in tota ista Sorbonica facultate neminem fuisse, cui Augustini sententia comperta fuerit.* Testor te quisquis hæc legis, si quem vnquam ex nouæ Sectæ

consectaneis in hanc, quam defendo, censuram declamantem, & animi sui sensa apertè depromentem audisti: quoties illud indignabundus eructauit, *ô Theologos! ô Sorbonam. Ego nihil sic mirer, atque in tota ista Sorbonica facultate neminem fuisse, cui Augustini sententia comperta fuerit.*

Eâdem proteruiâ Sorbonicos vellicat Caluinus. Nam cùm illi anno Christi 1542. die 10. Martij ad nefariam eius de libero arbitrio hæresim comprimendam, decreuissent, inesse homini lapso libertatem ad vtrumlibet; non tulit illud profligatus Hæresiarcha, sed vt erat ad maledicendum proiectus, continuò in illos calamum strinxit, atque vt Sorbonicum de humana libertate decretum traduceret, iocularem illi probationem attexit, scurra non illepido dignissimam. Quam hic integram exhibebo, quòd calumnias omnes, quas Caluini Simiæ hoc in negotio Sorbonicis infligunt, & præcipua Augustini testimonia, quibus nouum dogma firmant, complectatur. Ita habet: *Probatur sic, quia magistri nostri sic determinarunt post Aristotelem, & omnes Philosophos, qui rationem in homine dominam constituunt loco spiritus sancti. Et hoc est etiam fundatum in ratione inuincibili: quia aliàs non esset meritum, quod est opus elicitum ex potentia liberi arbitrij, concurrente Dei gratia. Præterea non essemus cooperatores Dei in facienda salute nostra, nisi concurreret motus & actio voluntatis cum auxilio gratiæ. Nam quod Lutherani dicunt ipsam cooperationem esse ex dono Dei, quia voluntas sit reformata, vt consentiat Deo, & adducunt pro se scripturam, & formalia verba Augustini, qui dicit in principio libri de bono perseuerantiæ, quòd Deus dat talem gratiam suis, vt sibi perseueranter adhæreant: item, in libro de corrept. & gratia, vbi dicit, dari nobis gratiam, qua non tantùm possimus, sed etiam velimus, idque efficaciter: item, gratiâ Dei indeclinabiliter, & inseparabiliter agi fideles. Responsio est facilis, quòd determinatio facultatis est supra opinionem*

vnius Doctoris, iuxta illud: plus vident oculi, quàm oculus. Similiter quòd aduersus principale principium, quod posui, scilicet meritum esse effectum potentiæ liberi arbitrij, adducunt aliud dictum Augustini, quòd gratia sanctis est omne meritum: solutio est, Augustinum nesciuisse, quid Magistri nostri super hoc resolutiuè dicturi essent. Hæc ipsa sunt, quæ nouæ factionis emissarij in hanc censuram deblaterant. Nam aiunt 1. Sorbonicos Aristotelem potiùs, quàm Spiritum Sanctum consuluisse, cùm eam sententiam hæreticam esse pronuntiarunt, quæ libero arbitrio solam coactionem opponit. 2. Hæc ipsa Augustini testimonia obiiciunt, clamántque ab Sorbonicæ censuræ fautoribus eludi non posse, nisi dicant, *quòd determinatio facultatis est supra opinionem Augustini*. 3. Etsi cum Caluino iocosè non dicant *Augustinum nesciuisse, quid super hoc Magistri nostri resolutiuè dicturi essent*, atrociùs tamen cum Melancthone exprobrant, *In tota ista Sorbonica facultate neminem extitisse, cui Augustini sententia comperta fuerit.*

Grauior est ista calumnia, & ad plures pertinet, quàm vt à me negligi debeat. Nam etsi Sorbonam tantùm inuadat, refluit tamen in Romanos Pontifices Pium quintum, & Gregorium decimum-tertium, qui eandem Baij opinionem proscripserunt, atque adeo Sorbonicam censuram auctoritate consecrarunt sua. Refluit in S. Thomam, qui eandem sententiam hæreticam esse pronunciauit. Refluit denique in recentes Theologos ferè omnes, qui illam ignominiosis inustam notis inter Caluini, Lutherique deliria reiecerunt. Quamobrem operæ pretium me facturum arbitror, si hanc criminationem Melancthonis tinctam spiritu, & Caluini felle imbutam, ab Romanis Pontificibus, S. Thoma, Parisiensibus Theologis, & Doctoribus Scholasticis depulero.

PARAGRAPHVS II.

Refelluntur popularia praiudicia, quibus noui dogmatista abutuntur, vt imperitis persuadeant, S. Augustinum Sorbonica Censura aduersari.

QVAE in disputatione scio mihi cum popularibus præiudiciis esse luctandum. Nam illud passim increbuit, & apud imperitos vulgò iactatur, stare S. Augustinum ab nouo dogmate. Neque hæc opinio promiscuam tantùm illiteratorum fæcem tenet, doctos etiam aliquot, & non malos alioquin homines afflauit. Qui sic opinantur: recentem sectam ab Concilij quidem Tridentini, & Romanorum Pontificum abhorrere decretis: at cum S. Augustini sententia mirificè congruere. Quòd si interroges, quî tandem in hanc persuasionem venerint. Respondebunt, id se ex manifestis S. Augustini testimoniis comperisse. Si ampliùs quæras, quo in libro hæc tam aperta S. Augustini testimonia legerint: in S. Augustino, an in nouo dogmatista? Si veritatem amant, fatebuntur in nouo dogmatista legisse. Sed addent, nihil illum mentiri, S. Augustino nihil imponere. Vtinam sic haberet! Sed vanus sim, si mihi hominem, qui apud suos oraculi instar habetur, suspectæ fidei accusanti, tam facilè credi velim: neque verò id velim. Lectorem tantùm rogo, vt popularia præiudicia, quibus ille imperitæ multitudinis credulitati insidiatur, sibíque fauere S. Augustinum vulgo persuadet, mecum expendat.

Primum præiudicium.

CONFERT illud inprimis ad S. Augustini auctoritatem nouo dogmati conciliandam, quòd eius Architectus assiduè S. Augustinum crepat: quòd vnius S.

Augustini nomen inclamat, quòd ex eius arbitrio & nutu pendere se totum profitetur, quòd denique nihil se præter puram putámque S. Augustini doctrinam proferre sanctissimè iurat. Sic enim vulgò comparati sumus, vt nec sub Principis veste, sicarium; nec sub tanti viri nomine, perniciosum latere errorem suspicemur.

Sed isti præiudicio tam elegantem, quàm veram Facundi Hermianensis sententiam oppono, ex libro contra Mocianum pag. 562. QVID AVTEM IN HOC MIREMVR? NEQVE ENIM MELIVS POTVIT LOQVI AVGVSTINVS, QVAM PROPHETÆ, QVAM APOSTOLI, QVAM EVANGELISTÆ, QVORVM VERBIS SIMILITER MALE INTELLECTIS TAM MVLTI HÆRETICI SVOS DEFENDERE CONANTVR ERRORES. Habet enim illud error omnis, vt cùm infirmus sit ipse per sese, & natiuum colorem erubescat, non antè obrepat in lucem, quàm sibi & sacrarum litterarum præsidium asciuerit, & sanctissimi iuxtà, ac eruditissimi viri nomen, sic tanquam laruam, induerit. Hinc certatim Hæretici in S. Augustini nomen inuolant, quòd ex omnibus, qui nascente, vel adultâ Ecclesiâ pietatis & doctrinæ laude floruerunt, nemo sit, qui apud posteros plus auctoritatis habeat, ac fidei. Nec illud nouum dogmatistam fugit, nam ita loquitur libri Proœmialis cap. 23. *Omnes & in Christi Ecclesia, & SATANÆ SYNAGOGA, & in Regum palatiis, & in doctorum subsellijs* AVGVSTINVM ARBITRVM DEPOSCVNT, *Augustini armis, atque auctoritate sese muniunt, ac tuentur,* &c. *nempe omnes nunc Augustiniani esse aut videri volumus.* Quod cùm Hæreticis omnibus in spargendo errore familiare est, tum Caluino in primis de gratia, & libero arbitrio disputanti solemne. Collegerat ille rancidas & obsoletas Manichæorum opiniones, eruditæ vetustatis quisquilias omnes, sordésque corraserat, vt ex iis nefarium

illud de libertate dogma conflaret, quod Caluinianæ hæresis caput est, & origo. At cùm intelligeret, tam pestilenti doctrina non Catholicam modò labefactari fidem, sed & Philosophiæ principia conuelli, virtutes omnes extingui, & insitos à natura libertatis motus præfocari: timuit ne communis hominum sensus in execrandi dogmatis interitum conspiraret, illúdque antè perimeret, quàm serpere in vulgus, & imperitam corrumpere multitudinem posset. Quare ex his omnibus quos Ecclesia Patres, & doctores agnoscit, S. Augustinum selegit, cui opinionem suam affingeret: ratus nullum esse dogma tam execrandum, quod S. Augustini insignitum nomine, eiúsque auctoritate, quasi pallio, inuolutum, apud omnes fidem non inueniret.

Pridem illud notauit Hieronymus Torrensis in Præfatione Confessionis Augustinianæ. *Sectarij cùm honorem nullum, aut certè perexiguum Patribus deferant, eosdémque vno nomine omnes nihil nisi homines, fallacésque sæpe homines videri velint*, VNVM FERE SEMPER AVGVSTINVM EXCIPIVNT, ET HONORANT MAXIME, *hunc tanquam piæ doctrinæ fidelem Magistrum colunt obseruántque: Eundem Apostolo Paulo vel proximum faciunt, & nunquam non suis partibus conantur adiungere. Vbi de iustificatione disputatio incidit*, NVLLVM QVAM AVGVSTINVM IN SVÆ PARTIS PATROCINIVM FREQVENTIVS ADDVCVNT. *Similiter vbi de Eucharistia, & sacrosancto Christi corpore à Sacramentariis quæstio mouetur, Augustinus semper primus atque vltimus in ore est.* Et Claudius de Xaintes Repet. 9. *Obseruare licet Aduersarios, siue nostra destruendo, siue sua asserendo, solidis & certis scripturis carere, atque in omni controuersia* AD VNVM AVGVSTINVM, TANQVAM AD SACRAM ANCHORAM REFVGERE, *non quòd ab eorum partibus stet, sed quoniam tam multa, ac tam variè scripsit pro re nata, vt facile fuerit omnibus post illum*

Hæreticis aliquid de ipso contorquere, atque aliorsum quàm ipse dixerit auertere. De Eucharistia quidem ita disserit Caluinus, vt vbique S. Augustinum opinionis suæ fundum prædicet. Quod & diligenter faciunt eius asseclæ, vt monet Cardinalis Perronius in libello, quo petitas ex S. Augustino aduersus Sanctissimum Sacramentum obiectiones diluit. Hæc sunt eius verba cap. 1. *Sanctus Augustinus magnus Sacramentariorum Patronus*, quod ex Zuinglio pluribus probat, atque adeò ex ipso Luthero in hanc Sacramentariorum audaciam declamante.

Multò verò ambitiosiùs suam de libero arbitrio opinionem S. Augustino Caluinus inscribit, Lutheri exemplo, qui Augustinum hac in controuersia suum esse impudentissimè gloriatur. Caluinum lege cum Pighio depræliantem libris quinque: lege in Tridentinos Patres inuehentem in Antidoto: lege furentem in Sorbonicos l. 2. Institutionum, vix occurret pagina, quam S. Augustinus non impleat. Vbique Augustini nomen intonat, Augustini fidem appellat, Augustini locos tam densos, tam frequentes congerit, vt quilibet minimè suspiciosus Caluini in labris sessitare S. Augustinum, suáque inde oracula fundere suspicetur. Neque abruptas tantùm ex aliquo eius libro sententiolas profert, sed per singula tanti doctoris volumina, per tractatus omnes decurrit: Audi loquentem libro 3. de libero arbitrio pag. 170. *Nunc verò hoc quoque à me quasi auctarium fortassis requirent aliqui, vt quod* GLORIATVS SVM DE AVGVSTINO, ILLVM PRORSVS NOSTRVM ESSE, *nunc pleniùs & pluribus testimoniis confirmem. Quæ in re præstanda non tam difficultate, quàm prolixitate impedior. Nam si omnia colligere instituam; quæ factura sunt ad sententiæ nostræ confirmationem, si adducerentur, longum ex iis volumen mihi texendum foret: Et toti etiam ferè libri interdum inserendi. Quid enim aliud quatuor ad Bonifacium li-*

bri; duo ad Prosperum, & Hilarium, duo item ad Valentinũ continent? quid liber de natura & gratia, alter item de perfectione iustitiæ? quid libri tres ad Marcellinum? quid totidem circiter epistolæ, quot nominaui libros? nisi genuinam, eámque perpetuã doctrinæ nostræ explicationẽ? verùm ne videar more Aduersarij sola iactantiâ causã obtinere velle, &c. Ex his omnibus libris breue compendium concinnat, tum ita gloriatur: NOS NIHIL QVAM AVGVSTINVM SEQVIMVR. Item, *ergo etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin* AVGVSTINVS SIT NOSTER. Nihilo tolerabiliora sunt hæc eius verba ex libro de æterna Dei prædestinatione pag. *693.* AVGVSTINVS IPSE ADEO TOTVS NOSTER EST, VT SI MIHI CONFESSIO SCRIBENDA SIT, EX EIVS SCRIPTIS CONTEXTAM PROFERRE ABVNDE MIHI SVFFICIAT.

Quanta fuerit Caluini in S. Augustino sibi arrogando proteruia, quámque insana & peruicax ambitio, ex ipsis quoque doctoribus Catholicis cognosci potest. Thomas Stapletonus tom. 2. pag. 1648. de illa sic loquitur: CALVINVS QVÒ IMPIVM DOGMA DE LIBERO ARBITRIO PROMOVEAT, S. AVGVSTINVM IN OMNIBVS SEQVI PRÆTENDIT. Et Bartholomæus Camerarius, qui Geneuæ cum Caluino de hac quæstione congressus, quidquid percontando elicere potuit, mandauit postea his libris, quos de libero arbitrio elegantissimos conscripsit. l. 1. cap. 3. sic habet: HÆC SANE MAGNA PROTESTANTIVM VERSVTIA EST, VT PALAM CORAM MISERANDA PLEBE, AVGVSTINVM TANQVAM PALLIVM ERRORVM SVORVM PRÆFERANT. Et cap. 5. ita Caluinum subsannat: *En Caluine túne ille es, qui & tuum Augustinum esse, & te ne in vna quidem syllaba ab eo dissentire scribis & prædicas?* Item, *Dixerim hæc, vt videas quàm bene Augustinus tibi subscribat, quem tuum esse vbique prædicas.* Capite verò 6. *Ne deinceps contra Au-*

gustinum Aurigam tuum,&c. Clariùs in epistola ad ipsum Caluinum operi præfixa, AVGVSTINIANVM TE ESSE PALAM PROFITERIS. Gabriel quoque Pennottus lib. 9. cap. 11. cùm Augustini auctoritate Caluinum fregisset, sic illi insultat: *Vbi sunt illa Caluini encomia, quibus Augustini doctrinam extollit? vbi illa eius confessio, omnes Ecclesiasticos scriptores, vno excepto Augustino, in hac re ambiguè, & variè locutos fuisse? vbi prouocationes illæ, quibus nos prouocat ad audiendum Augustinum suis verbis contra nostræ ætatis Pelagianos loquentem? vbi tandem illud quod ait in suo opusculo de æterna Dei prædestinatione, se ne in vna quidem syllaba ab Augustino dissentire?*

Qua in re insignis est versuti hominis calliditas. Quæ leuioris sunt momenti, strictim tantùm delibat, & paucis S. Augustini locis aspergit. At cùm nefarij dogmatis caput attigit, eóque res deducitur vt aduersus Concilium Tridentinum probet, hominis voluntatem aspiranti gratiæ dissentiri non posse: Tum verò Augustinum altiùs inclamat, Augustini auctoritatem ad fastidium ingerit, Augustini nomine titulos inscribit, margines prætexit, paginas omnes infarcit. Addit & conuicia: Pelagianismum Catholicis imponit,& supinam in Augustini doctrina ignorantiam exprobrat. Sic in Antidoto ad sess. 6. vbi illud insectatur quod Anathemate Patres sanciuerant: Hominem posse gratiæ dissentiri. Huic Pelagiano, vt vocat, decreto Augustinum opponit, atque illum præcipuè locum ex l. de cor. & grat. quo tanquam Achille noua secta gloriatur. Tum subdit: *Excudunt autem Neptunij Patres* (sic Tridentinos frigida ad Neptuni tridentem allusione, nuncupat) *in noua officina, quod Augustino fuit ignotum.* Reliqua non persequar, quæ in sanctissimos Patres petulantissimus scurra effutiit.

Sed ex his omnibus ita colligam. Vt nihil Caluino suffragari debet, quòd S. Augustinum importunè sibi

arrogat, & Tridentini Concilij decretis impudenter opponit: Ita nec recenti sectæ fauere illud putandum est, quòd pari importunitate Sorbonicæ Censuræ S. Augustinum obiiciat, & in noui dogmatis communionem vocet. Imò, si aliunde constet nouam opinionem ab Ecclesia damnari, tantò perniciosior censeri debet, quantò studiosiùs Augustinum sibi asserit. Sapienter enim à Philosopho, veréque pronuntiatum est: rerum optimarum pessimam esse corruptionem. Nihil turpius, quàm elegantissimi vultus extincta pulchritudo: Nulla mephitis est tanta, quàm quæ ex corruptis floribus exhalat: Nullus error tam perniciosus, quàm qui ex deprauatis summi alicuius viri testimoniis enascitur.

Secundum præiudicium.

MIRARIS quî fieri potuerit, vt noua opinio statim atque emersit, Augustinianæ famam apud plurimos inuenerit. Non illud fato quodam, sed singulari auctoris arte factum est. Nam operi suo Procemialem librum præfixit, quo libro duo præstat ad S. Augustini auctoritatem sibi asciscēdam peropportuna. Primò magnificè prædicat se in S. Augustino euoluendo ætatem ferè omnem contriuisse, neque id semel, aut iterum, sed sæpius ad nauseam inculcat, & verbis eiusmodi, quæ minùs cautis persuadeant, non illum S. Augustini scripta oculis tantùm vsurpasse, sed purum ac liquidum S. Augustini spiritum ex omnibus eius operibus in conflatorio expressum, ebibisse. Exemplo sit hæc lacinia ex capite 10. auulsa. *Itaque venerabilem stylum eius* (Augustini) *arripui, nullísque tædiis, aut laboribus territus, volutationi & lectioni assiduæ vniuersorum librorum eius, iterum iterúmque sæpius repetitæ, per viginti duorum annorum spatium* IMMERSVS FVI, *hoc vnicum spectans, vt vltima primis diligentissimè conferendo, dispersásque sententias, quas hîc*

illic in Scholasticorum scriptis legeram, corpori vnde auulsæ erant restituendo, genuinam doctrinam eius, quantùm luminis mihi Deus daret radicitus intelligerem, & medullitus imbiberem. Secundò S. Augustinum laudat impensè, & eius encomia, ex antiquis Patribus curiosè conquisita, congerit, ac Romanos in primis Pontifices appellat, qui S. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam, Ecclesiæ doctrinam esse professi sunt. Quod eo consilio facit, vt qui istud legit, ita apud se ratiocinetur: Qui tantùm temporis posuit in genuino S. Augustini sensu ex omnibus eius operibus exsculpendo, habuit sanè perspectam S. Augustini sententiam: qui verò perspectam habens S. Augustini sententiam illum ornatè commendat, eiúsque doctrinam, Ecclesiæ doctrinam esse contendit, profectò non putat S. Augustinum opinioni suæ aduersari; nam aliàs extenuare potiùs eius auctoritatem, quàm prædicare satageret: ergo nouus doctor, consentientem habet S. Augustinum. Vidi ego complures qui se hac ratione induci faterentur, vt S. Augustinum nouæ opinioni addicerent.

Hac arte Caluinus *Augustiniani* nomen, quod teste Camerario tãtopere ambiebat, apud plurimos sibi confecit. Nam primò superbâ quadam & insolenti modestiâ nolle se gloriari ait, quàm sit in Augustino apprimè versatus: *Vtinam*, inquit l. 5. in Pigh. pag. 199. *tantâ & attentione, & diligentiâ versatus in scripturis Pighius foret, támque familiariter notum haberet earum sensum: quàm &* DILIGENTER LEGISSE ME AVGVSTINVM, ET FAMILIARITER COGNITAM HABERE EIVS MENTEM, IACTARE MIHI LICEAT, *verùm id ex re ipsa æstimari volo.* Vnde in Admonitione vltima ad Westphalum, quod illi Pighius exprobrarat, Westphalo ita remittit: *Certè imperiti vel minùs cauti lectores putarent eum non modò memoriter tenere quidquid scripsit Augustinus, sed longo & familiari vsu propemodum imbibisse eius mentem, omnésque reconditos sensus. Nam contemptim*

pre-

pronuntiat plerosque nostrûm vel nunquam vidisse libros Augustini, vel leuiter tantùm, vel à longè, vt ipse dicit, inspexisse, &c. Quis indoctum putare ausit, cui tota Theologia Augustini non secus nota est, ac proprij vngues? Porrò an ego eminus sancti Doctoris scripta inspexerim, palam omnibus testatum esse arbitror. Hæc Caluini de Augustino sibi apprimè noto iactantia fuit in causa, cur Franciscus Horantius l.1.c.32. sic illum perstrinxit. MAGNOPERE MIROR HOMINEM QVI TOT ANNOS IN VNO PERLVSTRANDO, PENITVSQVE EXCVTIENDO AVGVSTINO ÆTATEM CONSVMPSERIT, IN IPSIS ARGVMENTIS OPERVM AVGVSTINI RECENSENDIS TAM INCONSIDERATE LAPSVM ESSE.

Secundò, S. Augustinum tanti se facere profitetur, vt in hac de libero arbitrio quæstione illum vnum reliquis Patribus omnibus, quos sibi aduersari non diffitetur, præponat. Hinc illa eius verba l. 2. Inst. c. 2. num. 9. *Magnum mihi præiudicium attulisse forsan videar, qui scriptores omnes Ecclesiasticos, excepto Augustino, ita ambiguè & variè in hac re loquutos esse confessus sum, vt certum quippiam ex eorum scriptis haberi nequeat.* Quid verò Augustini patrocinio fretus reliquos curet, satis indicat l. 3. cap. 3. *Neque opus est multum inuestigando laborare, quid hîc veteres senserint: quando* VNVS AVGVSTINVS SVFFICERE AD ID POTEST, & l. 3. in Pigh. pag. 161. *Hinc illa, quam vni Augustino præ aliis tribuo, vera sanáque doctrinæ perspicua, certa, exactáque explicatio: Hinc & ille consensus, quem illi nobiscum esse glorior.* Quàm consentanea sunt illa, his quæ noui dogmatis artifex dictitare solebat, vt in eius vita operi præfixa legitur, PATRES CÆTEROS VTILES ESSE, SED AVGVSTINVM NECESSARIVM, IMMO VNVM PRO OMNI MATERIA THEOLOGICA SVFFICERE.

Cùm hæc scriberem commodùm in manus venit Roberti Sarisburiensis famosi Caluinistæ liber, quo Caluini de gratia sententiam acerrimè defendit. At-

que vt iam inde ab ipso aditu fauere sibi Augustinum persuadeat, operis fronti præfationem imposuit, proœmiali noui Doctoris libro tam similem, vt diu crediderim eius esse compendium, nec antè opinionem hanc abiecerim, quàm constiterit mihi, illum longè antè scripsisse, quàm noua opinio è tenebris emersisset. Quam non temerè id suspicatus sim facilè intelliget, qui pauca, quæ hîc adnotabo, attentè perpendet.

Primò, quidquid tractat nouus Doctor cap. 15. cui titulus est: *Augustini doctrina de gratia Dei à Romanis Pontificibus Innocentio, Zozimo, Calestino, Leone, Hormisda, Felice secundo magnificentissimè approbata, & consecrata:* Tractat & illud Sarisburiensis præfationis suæ initio, atque ita auspicatur: *Ecclesia tot Pontifices Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Sixtus, Celestinus, Felix, Gelasius, quibus singulari testimonio probatam Augustini doctrinam, partim ex Prospero patet contra collatorem Cassianum, partim à nobis ex Bellarmino, & Baronio Lectione priore de veritate gratia Christi ostensum est.* Tum illud S. Augustini Encomium ex Epistola Celestini, atque aliud ex Prospero subiungit, quæ hîc quoque nouus Theologus repræsentat.

Secundò, caput 16. Aduersarius sic inscribit. *Quanta libertas & procacia quorumdam recentiorum in censenda damnandáque Augustini doctrina, quam tantopere Romana Ecclesia admirata est.* Atque in Theologum quendam atrociter inuehitur quòd dixisset: *Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Augustini: sed existimo aliter philosophandum.* Pari zelo in Æmulũ suum Sarisburiensis excandescit: *Quia videt*, inquit, *nisi cadente Augustino, se stare non posse, fidem & existimationem eius imminuit, auctoritatem hactenus illi habitam, abrogatam cupit, neque vult homo malè pertinax necesse sibi fore sequi sententiam Augustini, quam tamen sacrarum Scripturarum testimoniis fundatissimam secuta est ab illo tempore Ecclesia Catholica.*

Tertiò, nouus Dogmatistes cap. 26. in eos irascitur,

qui putant multa relicta esse ab Augustino indecisa, multa solùm probabiliter asserta. Quique ad illud efficiendum hæc Celestini verba adhibent: *Profundiores verò difficilioréque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Illud ipsum stomachosiùs prosequitur Sarisburiensis. Nam vbi illa Celestini verba protulit, quibus multi probant licere sibi quibusdam in sententiis ab Augustino discedere, sic aduersus illos declamat. *Quis credat Celestinum tam sanctè de Augustino testificantem, & inter Magistros optimos numerantem, nullo vnquam sinistræ opinionis rumore aspersum, cuius aduersariis resistendum esse decreuerat, mox tanquam ecstasi correptum, & propositi sui oblitum, vellicare illum, & opera eius, & sugillare voluisse?* &c.

Quartò, quod sæpe in illo libro procemiali totóque passim opere Aduersarius monet, singulas Augustinianæ doctrinæ partes inter se cohærere, & iniquè eos facere, qui Augustinum Augustino opponunt, ita Sarisburiensis contrahit. *Quod autem porrò excipit Augustinum sibi ipsi in hoc negotio aduersum esse, vt nihil sit promptius quàm Augustinum opponere Augustino, leuiculus & indoctus aduersus clarissimam veritatem prætexus est, cùm Augustini tam expressa hîc tam diserta doctrina sit, vt nihil ex scriptis eius opponi possit, quod non ab ipso luculentissimè conciliatum sit.*

Quintò, nouæ Sectæ instaurator cap. 30. & 28. miratur aliquos esse qui plus Theologis, quàm Augustino credere velint. Quam in sententiam Sarisburiensis; *Iam verò*, inquit, *quis est tam insensatus, tam insanus, tam prodigus fidei, & salutis suæ, vt Augustinum tanta testium nube circundatum, tam densa vbique scripturarum tonitrua resonantem deserendum putet, vt minutulis sophistis adhærescat.*

Sextò, monet Aduersarius cap. 25. eum qui Augustini libros aduersus Pelagij hæresim conscriptos lege-

rit, inde quæstiones & sophismata soluturum, quibus hodiernæ scholæ implicantur. Quod & Sarisburiensis facit in hæc verba: *Facilè argutias illorum & sophismata soluet, qui scripta Augustini contra Pelagianos diligenter & intelligenter euoluet, & ad monumenta veterum auctorum, qui causam illam contra hæreticos elaborarunt, magis attendet, quàm ad istorum hominum scriptiunculas, & chartulas, non quidem lecturâ, sed liturâ dignissimas, in quibus tamen nonnulli operam tam indignè ponunt suam.*

Non ego hac mente Procemialem Aduersarij librum cum Roberti Sarisburiensis præfatione composui, vt ostenderem illum iam inde ab ipso operis ingressu esse latrocinatum, vixque vllam decumano in opere lineam duxisse, nisi facem præferente, aut manum regente celebri aliquo huius temporis Hæretico: Sed id mihi consilij fuit, refellere populare illud præiudicium, quod ad cōflandum Aduersario *Augustiniani* nomen, ex illo Procemiali libro ducitur: & indicare paucis eos persæpe S. Augustini doctrinam flagitiosè corrumpere, qui illum laudant impensiùs, quique eius auctoritatem ab aliis extenuari grauiùs indignantur.

Tertium præiudicium.

FAVET illud quoque nouæ opinioni, quòd multi doctrinâ insignes viri S. Augustinum illi adiudicant. Neque ex iis tantùm quos vel nouitatis illecebra, vel partium studium huic sectæ illigauit, sed ex iis etiam, qui neutri se addixerunt parti, quique hoc in bello spectatores esse maluerunt, quàm milites. Scitè hoc præiudicio abutuntur nouæ sectæ emissarij. Nam illud tam assiduè venditant in circulis, vix vt credam Parisiis esse politioris ingenij mulierculam, quæ inter bellaria identidem non garriat: Doctiorum hanc esse sententiam, S. Augustinum nouo dogmati suffragari. Adducunt, ex iis etiam aliquos, qui internecinum cum hac

nouitate bellum gerunt, sic opinari, faterique subtimidè opinionem hanc, quam omni destitutam putant ratione ac sensu, S. Augustini auctoritate fulciri.

Mihi verò coërcenda videtur in primis posterior hæc calumnia. Quæ inde profluxit. Cùm ex iis scriptoribus, quos noua opinio idcirco hostes putat, quòd veritatem defendant, scripsissent aliqui, S. Augustinum in Prædestinationis negotio nouo dogmati patrocinari, id eius fautores ad reliqua eiusdem sectæ placita traduxerunt, atque apud imperitos & mulierculas trophæi iactarunt loco, fateri Aduersarios opinionem suam S. Augustino repugnare. Ingeniosum verò artificium, si colorem haberet. Quis non videt quantùm illa de prædestinatione opinio, & hæc, quam exagito, de libertate sententia diffideant, quámque nihil habent inter se commercij? Quantæ est igitur temeritatis ac proteruiæ iactare vniuersim, eos S. Augustinum nouæ opinioni concessisse, qui illi in prædestinationis negotio, quod ad rem nostram nihil pertinet, fauere confessi sunt?

Grauius est in speciem, quod magnificè venditant, multos ex iis qui neutram sunt amplexi partem, quíque hoc in bello honorarij iudices sedent, & arbitri, apertè profiteri, S. Augustinum communi de libertatis indifferentia opinioni esse iniquiorem. Sed istud aut nihil Aduersarios iuuat, aut Caluinum quoque aduersus Tridentinos Patres disputantem subleuat. Iam pridem enim è Catholicis plurimi doctrinâ & pietate spectabiles, confessi sunt S. Augustinum Pelagianismi odio, ita in contrariam partem inclinasse, vt persæpe Caluino potiùs, quàm Tridentinis Patribus fauere videatur. Ita magnum illud Sorbonæ lumen, & Galliæ decus Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis in Epistola ad Carolum nonum, quam editioni Origenis anno 1574. præfixit: *Augustinus*, inquit, *fuit iniquior interdum libero arbitrio, quòd Pelagianos haberet in*

procinctu, nihil aliud extollentes quàm vires arbitrij, Dei autem gratiæ minimum tribuentes. Ita acerrimus Caluini debellator Claudius de Xaintes Episcopus Ebroïcensis in libello Atheismorum Caluini. Ita vir magni apud Lusitanos nominis Hieronymus Osorius Syluensis Episcopus l. 9. de Iustitia. Ita infensissimus Caluini hostis, & Romanæ Ecclesiæ fortissimus Athleta Albertus Pighius l. 3. de libero arbitrio: Ita doctissimus Pauli interpres Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus in cap. 5. Epistolæ ad Romanos. Ita Angelici Doctoris nobilis Commentator Cardinalis Caietanus ad quæst. 70. primæ partis art. 3. Ita demum Romanæ purpuræ decus aliud Iacobus Sadoletus libro 3. Epist. 5. Atque hunc fuisse sensum eorum qui sua ætate in *Scholis regnabant Theologicis* docet Erasmus Præfatione in Sanctum Hilarium. Consentiunt quoque Doctores Parisienses qui anno Christi 1571. opera S. Augustini apud Guillelmum Merlin, & Sebastianum Niuellium edi curarunt.

Accedit vehemens ille Caluini debellator, Nicolaus Romæus, qui pag. 689. cùm ex Concilij Tridentini sententia de humana libertate aduersus Caluinum disputasset, ad Augustini auctoritatem quam ille tam importunè opponit, ita respondet. *Quod ad S. Augustinum attinet, habet aliquando (fatendum est) sententias aliquas difficiles, sed mentem eius potiùs, quàm verba spectare oportet, ne alioquin manifestè sibi contradicat. Agebat cum Pelagianis qui liberum arbitrium, non sine gratiæ iniuriâ, nimium extollebant: Et cùm in lubrico loco versaretur, in alteram partem iuxta Aristotelis præceptum inclinauit, vt medium faciliùs obtineret. Sic enim qui virgam incuruã corrigere vult, in contrariam partem inflectit, vt vis vi repressa rectitudinem ipsam inducat. Contigit hoc olim S. Gregorio Thaumaturgo, qui agens aduersus Ælianum Ethnicum, plurium Deorum cultum Christianis obiicientem, ita de vno Deo tractauit, vt cum Sabellio tres personas confundere quibusdam*

videretur. Contigit & Beato Dionysio Alexandrino, qui Sabellium confutare volens, in eius hæresim tam vehementer inuectus est, vt quibusdam visus sit diuinam essentiam cum personis diuisisse, Arióque materiam suæ hæresis subministrasse: quo nomine apud S. Dionysium Papam accusatus fuit. Sed Thaumaturgum egregiè defendit S. Basilius Epist. 64. Dionysium S. Athanasius libro de Synodis, & alibi. Iisdem SS. Dionysij & Thaumaturgi exemplis vtuntur quos paulò antè appellaui, & eandem incuruæ plantæ similitudinem adhibent, quam ex Theodoreto mutuati sunt. Ait enim ille tomo 4. pag. 170. Sanctos Patres sæpe in contrariam partem inclinasse, *Cùm aduersus Ecclesiæ hostes pugnam consererent. Quod ipsum agricolis quoque stirpium cultoribus vsuuenit: qui cùm incuruam aliquam plantam viderint, non solùm ad rectam normam erigunt: sed etiam vltra directum in partem alteram inflectunt, vt ex vehementiori in contrariam inclinatione ad rectum statum perducatur.* Quæ ex Romæo descripsi simillima sunt iis quæ habet Sixtus Senensis Præfatione in librum 5. Bibliothecæ, nam & vniuersim illud asserit, SS. Patres sæpe cùm vnum errorem impugnarent, in oppositum inclinasse, & nominatim de Augustino ita pronunciat: *D. Augustinus dum toto spiritus ac verborum ardore, pro defensione diuinæ gratiæ pugnat aduersus Pelagianos, liberum arbitrium cum iniuria Diuinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi foueam delabi videtur, minúsque interdum tribuere, quàm par sit, liberæ hominis voluntati.* Quâ de re fusè etiam differit Auratus Paradoxo 48.

Atenim, inquit Caluinus l. 3. in Pighium, grauis sancto Augustino fit iniuria, cùm *ita pugnandi cupiditate incaluisse* dicitur, vt contrarium in errorem propenderit. Idem opponunt nouæ libertatis Patroni, & quam sancto Doctori iniuriam irrogari putant, multis calumniis vlciscuntur. Sed minùs est considerata isthæc eorum indignatio. Neque enim insignes illi Theologi, qui S. Augustinum persæpe libero arbitrio minùs

propitium fuisse aiunt, erroris illi notam imponunt. Id vnum volunt, S. Augustinum eiusmodi verbis mentem suam concepisse, quæ cùm ad obterendam Pelagij hæresim essent aptissima, & eo, quo vsurpat, sensu verissima, suis tamen auulsa locis, atque vt sonant, explicata Catholicæ de libero arbitrio sententiæ aduersari videntur. Ita persæpe primi parentis culpâ liberum arbitrium funditus periisse docet, vt in Enchir. ad Laurent. cap. 30. *Libero arbitrio male vtens homo & se perdidit, & ipsum:* Alibi etiam, vt libro de perfectione Iustitiæ cap. 4. significantiùs ait *carere libertate naturam.* Quæ verba si in protrita, & vulgari notione sumantur, Concilij Tridentini Canones labefactant, & execrandum Manichæorum errorem inducunt.

Facit & illud ad noui Doctoris famam, quòd eius fautores scribunt S. Augustini opinionem, quæ tandiu densissimis tenebris consepulta iacebat, instauratam ab eo fuisse, & noua luce collustratam. Aiunt etiam, [a] quæ est hominum modestia, vix posse insigniori argumento probari, Deum Ecclesiæ suæ vtilitatibus perpetuò inuigilare, quàm quòd his temporibus nouus ille Augustinus emerserit. Simillima sunt quæ de Caluino scribit Beza, vt referunt Bolsec. cap. 2. & Romæus pag. 754. Simillima quoque de Luthero pronuntiat Melancthon in declamatione de Sancto Augustino. *In hac*, inquit, *Schola Vvitembergensi præcipuè gratam Augustini mentionem esse decet, in qua Augustinus quasi renatus est: & eius doctrina quæ iacuit obruta densissimis tenebris, non solùm restituta est, sed etiam lumen accepit.* Sic ille iisdem ferè verbis Luthero, de restituta sancti Augustini doctrina gratulatur, quibus & Aduersarij Doctori suo blandiuntur. Plura addit in Apologia Lutheri aduersus Sorbonicos pag. 204. & 205. cùmque magnificè prædicat, quòd S. Augustini doctrinam, tot iam sæculis neglectam, ac veluti obliuione consepultam, meliori in luce collocarit.

[a] *Des personnes sages & intelligentes ont dit auec grande raison, aussi tost qu'ils ont veu publier l'ouurage de ce Prelat, que ce liure estoit vne des marques les plus sensibles du soin auec lequel Dieu veille continuellement sur son Eglise, ayant permis que les veritez de la grace si importantes, & si necessaires au salut des ames, ayent esté restablies dans ce siecle en leur premiere splendeur; & que la doctrine qui a esté la voix des Papes & des Conciles en cette matiere, ait esté esclaircie si parfaitemēt douze cens ans aprés cet excellent Pere, & en vn tēps auquel elle auoit esté tellement ou mesprisée, ou obscurcie, que quelques vns auoient osé mesme reietter ouuertement son authorité, &c.* Apologie 1. pag. 5.

Va-

Valeat ergo populare illud præiudicium, quod nouæ opinionis instauratori fauere non potest, quin faueat Luthero, atque Caluino. Valeant & reliqua duo, quæ Sorbonicam censuram non antè infringent, quàm Tridentinos Canones euerterint. Cogitet verò Lector eruditus, quod sine stupore recordari non possum, nullum ab nouo Dogmatista S. Augustini testimonium ad suam sententiam confirmandam adhiberi, quod Caluinus, aliíque Sectarij multò antè non vsurparint ad illam ipsam opinionem aduersus Concilij Tridentini Canones, Romanorum Pontificum decreta, & Sorbonæ censuras defendendam. Atque adeo adiudicari nouo Dogmatistæ S. Augustinum non posse, quin & Caluino pariter addicatur. Quod nemo sincerè Catholicus facere ausit. Hæc qui cogitabit, nupero Doctori S. Augustinum sibi audacter vindicanti temerè non assentietur. Iudicium saltem sustinebit aliquantulùm, donec Augustini mentem accuratiùs expendat. Hoc si polliceris, erudite Lector, si nihil præiudicatæ opinionis affers, nec statuistI aduersus apertam veritatem animum obfirmare, tibi ego vicissim polliceri ausim, effecturum me vt fatearis, non aduersari S. Augustinum Sorbonicæ censuræ, Pontificum decretis, Conciliíque Tridentini Canonibus; proindéque nouos Theologastros non minùs imperitè, quàm impudenter facere, qui damnatas ab Apostolica Sede opiniones S. Augustino inscribunt.

PARAGRAPHVS III.

An hæc controuersia ex vnius S. Augustini mente dirimenda sit.

ATQVE vt omnes intelligant quàm nihil hac in parte reformidem, Aduersariis iam inde gratificabor, quod, si rationibus ageretur, nunquam extorquerent.

Nimirum, totam hanc controuersiam ex vnius S. Augustini sententia esse disceptandam. Nec opponam, quod iure possem, multíque faciunt non immeritò: S. Augustinum non esse fidei nostræ regulam: Plus me Ecclesiæ, summísque Pontificibus, quàm S. Augustino credere secundùm illud S. Thomæ Quodlibet. 10. art. 16. *Magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni.* Non dicam quæstionem hanc ad SS. Pontificum decreta, & Concilij Tridentini Canones esse exigendam, à quibus si vel tantillùm aberret ipse S. Augustinus, repudietur. Non affirmabo S. Augustini nomine nihil me admodum moueri, nisi cum reliquis Patribus, & Ecclesiæ sensu conueniat. Quod Cardinalis Bellarminus apertè profitetur in Præfatione de libero arbitrio. *Etiamsi B. Augustinus Caluino faueret, tamen neminem tam iniquum iudicem esse oporteret, qui vnum hominem quamuis doctissimum, omnium sæculorum Patribus, & Doctoribus, totíque Ecclesiæ, atque adeo orbis terrarum consensui anteferret.* Hæc, inquam, non dicam omnia, nec de S. Augustino asseram, quod de Euangelio ipse affirmauit: *Augustino non credam, nisi me Ecclesiæ permoneat auctoritas.* Do Aduersariis, vnius S. Augustini arbitrio mihi vel standum, vel causâ cadendum. Sed ita do, vt eos velim beneficij loco accipere, fateríque se illud, nisi liberaliter concederem, euincere non posse.

Dudum, ais, Romani Pontifices decreuere, vnum in hac causa audiendum S. Augustinum: eius de gratia & libero arbitrio doctrinam, Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse: eósque errare grauiter, & ab Catholica sententia discedere, qui à S. Augustini mente hoc in negotio desciuerint. Hoc Innocentius, hoc Zozimus, hoc Celestinus, hoc Hormisdas, aliíque supremi Ecclesiæ Pontifices vno ore definiunt. Hæc sunt, quæ nouæ opinionis patroni altiùs intonant, quæ exagge-

rant operosè, quæ librorum suorum vestibulis ambitiosè præfigunt: quæ quàm vera sint ex ipsius Celestini, ad quem prouocant, sententiâ paulò fusiùs edisseram.

Tumultuabantur in Galliis Massilienses Presbyteri, & extincti S. Augustini doctrinam de gratia & libero arbitrio carpebant acriter, illud imprimis inuidiosissimè criminantes, quod docuerat, non bona tantùm opera, sed & bonæ voluntatis initia diuinæ gratiæ esse tribuenda. Non tulerunt Hilarius & Prosper Doctoris gratiæ libros ab Semi-Catholicis hominibus impunè vellicari. Sed apud Celestinum supremum Pontificem egerunt, vt & Massiliensium frænaret audaciam, & S. Augustini doctrinam, quam hactenus Romani Pontifices amplexi fuerant, Apostolica auctoritate comprobaret. Scripsit Celestinus ad Galliarum Episcopos, & ita scripsit, vt illis, ac toti adeo Catholicæ Ecclesiæ legem figat, ex qua omnes cognoscant, quid in Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina Sedes Apostolica sanciuerit. Nam vbi Massilienses breuiter perstrinxit, quòd S. Augustino obstreperent, singula eius doctrinæ capita, quæ sibi Romanæque Ecclesiæ probarentur, sigillatim recenset, eáque superiorum Pontificum testimoniis confirmat. Porrò eò spectant vniuersa, vt ipsas etiam bonas voluntates diuinæ gratiæ adscribat, vnde cap. 10. illas Summorum Pontificum sententias, quibus S. Augustini doctrinam tuetur, vocat *Beatissimæ & Apostolicæ Sedis inuiolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres pestiferæ nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis vsque in finem perseuerantiam ad Christi gratiam referre docuerunt.* Verùm vt nihil habeant, quod obloquantur nuperi Doctores, nec quæ S. Augustino affinxerint, continuò Catholicam ad fidem idcirco pertinere garriant, quòd Summi Pontifices S. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam, Ecclesiæ

doctrinam vocent, placet hîc omnia Augustinianæ doctrinæ capita repræsentare, quæ ab Apostolica Sede recipi Celestinus docet. Eius verbis omnia proferam, sola, quæ attexit, summorum Pontificum testimonia omittam.

Primum est: *In prauaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.*

Secundum: *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus.*

Tertium: *Neminem etiam baptismatis gratiâ renouatum idoneum esse ad superandas Diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.*

Quartum: *Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio.*

Quintum: *Quòd omnia studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudémque referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quòd ipse donauerit.*

Sextum: *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil boni possumus.*

Septimum: anathematizandum esse eum, *qui dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ commissa sunt; non etiam ad adiutorium vt non committantur.*

Octauum: anathematizandum eum, *qui dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus.*

Nonum: anathematizandum eum, *qui dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs poßimus implere per gratiam: tanquam, si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen poßimus etiam sine illa diuina implere mandata.*

Ex his Augustini sententiis summorum Pontificum Innocentij, & Zozimi auctoritate firmatis fidei Canonem Celestinus ita concinnat: *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino conformati sumus, vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni, & velle incipiamus & facere.*

Hæc sunt quæ in S. Augustini doctrina probat & amplectitur Ecclesia. In quibus nulla earum quæstionum, de quibus certamus, fit mentio. Quare etsi vincerent Aduersarij sentire S. Augustinum, sola coactione interna liberum arbitrium lædi, & gratiæ medicinali resisti non posse: nihil tamen essent consequuti. Nam continuò negarem, probari ab Ecclesia hanc S. Augustini doctrinæ partem, ídque eò demonstrarem efficaciùs, quò certiùs constaret hanc esse S. Augustini sententiam. Nam primò sic colligerem: si adeo certum est docuisse S. Augustinum sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti non posse; nouerat illud Celestinus. Tum progrederer vlteriùs, húncque syllogismum conficerem. Ex iis omnibus quæ Celestinus nouerat docere S. Augustinum de gratia & libero arbitrio, hîc recenset omnia, quæ ab Ecclesia recipiuntur: Atqui Celestinus nouerat docere S. Augustinum sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti non posse, nec ea tamen hîc recenset; ergo quod docet S. Augustinus sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti

Nimirum, totam hanc controuersiam ex vnius S. Augustini sententia esse disceptandam. Nec opponam, quod iure possem, multique faciunt non immeritò: S. Augustinum non esse fidei nostræ regulam: Plus me Ecclesiæ, summisque Pontificibus, quàm S. Augustino credere secundùm illud S. Thomæ Quodlibet. 10. art. 16. *Magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni.* Non dicam quæstionem hanc ad SS. Pontificum decreta, & Concilij Tridentini Canones esse exigendam, à quibus si vel tantillùm aberret ipse S. Augustinus, repudietur. Non affirmabo S. Augustini nomine nihil me admodum moueri, nisi cum reliquis Patribus, & Ecclesiæ sensu conueniat. Quod Cardinalis Bellarminus apertè profitetur in Præfatione de libero arbitrio. *Etiamsi B. Augustinus Caluino faueret, tamen neminem tam iniquum iudicem esse oporteret, qui vnum hominem quamuis doctissimum, omnium sæculorum Patribus, & Doctoribus, totique Ecclesiæ, atque adeo orbis terrarum consensui anteferret.* Hæc, inquam, non dicam omnia, nec de S. Augustino asseram, quod de Euangelio ipse affirmauit: *Augustino non credam, nisi me Ecclesiæ permoneat auctoritas.* Do Aduersariis, vnius S. Augustini arbitrio mihi vel standum, vel causâ cadendum. Sed ita do, vt eos velim beneficij loco accipere, faterique se illud, nisi liberaliter concederem, euincere non posse.

Dudum, ais, Romani Pontifices decreuere, vnum in hac causa audiendum S. Augustinum: eius de gratia & libero arbitrio doctrinam, Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse: eósque errare grauiter, & ab Catholica sententia discedere, qui à S. Augustini mente hoc in negotio desciuerint. Hoc Innocentius, hoc Zozimus, hoc Celestinus, hoc Hormisdas, aliique supremi Ecclesiæ Pontifices vno ore definiunt. Hæc sunt, quæ nouæ opinionis patroni altiùs intonant, quæ exagge-

rant operosè, quæ librorum suorum vestibulis ambitiosè præfigunt: quæ quàm vera sint ex ipsius Celestini, ad quem prouocant, sententiâ paulò fusiùs edisseram.

Tumultuabantur in Galliis Massilienses Presbyteri, & extincti S. Augustini doctrinam de gratia & libero arbitrio carpebant acriter, illud imprimis inuidiosissimè criminantes, quod docuerat, non bona tantùm opera, sed & bonæ voluntatis initia diuinæ gratiæ esse tribuenda. Non tulerunt Hilarius & Prosper Doctoris gratiæ libros ab Semi-Catholicis hominibus impunè vellicari. Sed apud Celestinum supremum Pontificem egerunt, vt & Massiliensium frænaret audaciam, & S. Augustini doctrinam, quam hactenus Romani Pontifices amplexi fuerant, Apostolica auctoritate comprobaret. Scripsit Celestinus ad Galliarum Episcopos, & ita scripsit, vt illis, ac toti adeo Catholicæ Ecclesiæ legem figat, ex qua omnes cognoscant, quid in Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina Sedes Apostolica sanciuerit. Nam vbi Massilienses breuiter perstrinxit, quòd S. Augustino obstreperent, singula eius doctrinæ capita, quæ sibi Romanæque Ecclesiæ probarentur, sigillatim recenset, eáque superiorum Pontificum testimoniis confirmat. Porrò eò spectant vniuersa, vt ipsas etiam bonas voluntates diuinæ gratiæ adscribat, vnde cap. 10. illas Summorum Pontificum sententias, quibus S. Augustini doctrinam tuetur, vocat *Beatissimæ & Apostolicæ Sedis inuiolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres pestiferæ nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis vsque in finem perseuerantiam ad Christi gratiam referre docuerunt.* Verùm vt nihil habeant, quod obloquantur nuperi Doctores, nec quæ S. Augustino affinxerint, continuò Catholicam ad fidem idcirco pertinere garriant, quòd Summi Pontifices S. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam, Ecclesiæ

doctrinam vocent, placet hîc omnia Augustinianæ doctrinæ capita repræsentare, quæ ab Apostolica Sede recipi Celestinus docet. Eius verbis omnia proferam, sola, quæ attexit, summorum Pontificum testimonia omittam.

Primum est: *In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.*

Secundum: *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus.*

Tertium: *Neminem etiam baptismatis gratiâ renouatum idoneum esse ad superandas Diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.*

Quartum: *Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio.*

Quintum: *Quòd omnia studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudémque referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quòd ipse donauerit.*

Sextum: *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil boni possumus.*

Septimum: anathematizandum esse eum, *qui dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ commissa sunt; non etiam ad adiutorium vt non committantur.*

Octauum: anathematizandum eum, *qui dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus.*

Nonum: anathematizandum eum, *qui dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs poßimus implere per gratiam: tanquam, si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen poßimus etiam sine illa diuina implere mandata.*

Ex his Augustini sententiis summorum Pontificum Innocentij, & Zozimi auctoritate firmatis fidei Canonem Celestinus ita concinnat: *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino conformati sumus, vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praueniri, per quem fit vt aliquid boni, & velle incipiamus & facere.*

Hæc sunt quæ in S. Augustini doctrina probat & amplectitur Ecclesia. In quibus nulla earum quæstionum, de quibus certamus, fit mentio. Quare etsi vincerent Aduersarij sentire S. Augustinum, sola coactione interna liberum arbitrium lædi, & gratiæ medicinali resisti non posse: nihil tamen essent consequuti. Nam continuò negarem, probari ab Ecclesia hanc S. Augustini doctrinæ partem, ídque eò demonstrarem efficaciùs, quò certiùs constaret hanc esse S. Augustini sententiam. Nam primò sic colligerem: si adeo certum est docuisse S. Augustinum sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti non posse; nouerat illud Celestinus. Tum progrederer vlteriùs, húncque syllogismum conficerem. Ex iis omnibus quæ Celestinus nouerat docere S. Augustinum de gratia & libero arbitrio, hîc recenset omnia, quæ ab Ecclesia recipiuntur: Atqui Celestinus nouerat docere S. Augustinum sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti non posse, nec ea tamen hîc recenset; ergo quod docet S. Augustinus sola coactione liberum arbitrium tolli, & gratiæ medicinali resisti

non posse, non recipitur ab Ecclesia. Quid ad hoc argumentum Aduersarij? Sed quid ad postrema Celestini verba? qui cùm docuisset eatenus tantùm probari ab Ecclesia S. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam, quatenus nihil boni sine diuina gratia fieri posse docet, subiicit: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt* (Augustinum intelligit) *sicut non debemus cõtemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus substrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, vt prorsus non opinemur Catholicum, quòd apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

Confirmatur efficacissimè ex Concilio II. Arausicano, quo Semi-Pelagianorum hæresis penitus attrita est, & S. Augustini doctrina, quam lacerabant, in fidei articulos relata. Nihil enim statuit hoc Concilium de illis, quas agitamus, controuersiis; sed illud definit vnum, quod Celestinus: nempe, omnia bona opera nostra, adeóque bonas ipsas voluntates Dei gratiâ præueniri. Vnde cùm plurimos Canones ex S. Augustini sententiis ac verbis contextos posuisset, sub finem ita colligit: *Ac sic secundùm suprascriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus posteà aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit.* Qui hæc legis, erudite Lector, recordare graues illas Caluini, & noui Doctoris calumnias, qui aiunt nihil certius esse, manifestius nihil, quàm Pelagianos illud ipsum aduersus S. Augustinum defendisse, quod Sorbonici, recentésque Theologi docent. Hæc, inquam, recordare, & ex iis quasi vera sint, sic te-

cum argumentare: Concilium II. Arausicanum eò spectauit, vt Semi-Pelagianorum hæresim deleret funditus, eiúsque fibras omnes exscinderet; ergo illa omnia Semi-Pelagianorum dogmata damnauit, quæ Ecclesiæ doctrinæ aduersantur: Atqui non damnauit illa dogmata, quæ Semi-Pelagianis Caluinus & nouus Doctor adscribunt; ergo illa dogmata Ecclesiæ doctrinæ non aduersantur.

Apage ergo importunas Caluini criminationes, qui Tridentinos Patres, & Doctores Sorbonicos S. Augustino aduersari, atque adeo hæresis Pelagianæ reos esse proclamat, quòd doceant hominem posse gratiæ dissentiri, si velit. Apage similem Kemnitij, Bezæ, Molinei, Parei, Amesij, aliorúmque ex eadem natione impurissimorum hominum calumniam. Nam esto id senserint Pelagiani, contrarium docuerit S. Augustinus: Vnde habes probari ab Ecclesia hanc Augustinianæ doctrinæ partem? Vnde habes illam Pelagianorum opinionem ab eadem Ecclesia proscribi? An forte ignota nobis apud te habes Concilia, quæ quod Arausicani Patres non reiiciunt, quod Celestinus non improbat, condemnent? Quæ in Caluinum, eiúsque progeniem dico, in nouum Dogmatistam multò conueniunt magis. Nam tuetur acriùs, nihil S. Augustinum de gratia & libero arbitrio tradidisse, quod Catholicam ad fidem non pertineat.

Quo loco proderit indicare, & refellere paucis insignem fautorum eius vafritiem. Vident illi Antesignanum suum apud Catholicos pessimè audire, quòd emortuas, & Apostolicis fulguritas decretis Michaëlis Baij opiniones euocarit in lucem. Hanc vt inuidiam deprecentur, aiunt nihil illum affirmare, nihil negare, vnum id studere, vt quæ sit Augustini sententia, fideliter exponat. Vnde colligunt iniquè eos facere, qui illum violati hac in parte Apostolici decreti postulant. Nihil item suæ sectæ incommodare, qui illas proposi-

tiones erroneas, periculosas, hæreticas esse conuincunt, cùm eas non tueantur ipsi, neque earum veritatem præstent, sed tantùm à S. Augustino traditas esse contendant. Puerile hoc effugium habent in ore, quotquot ex hac secta nondum omnem erga Sedem Apostolicam reuerentiæ sensum exuisse videri volunt. Iam illud tertiò typis edidere, suísque apud summum Pontificem delegatis doctoribus dedere in mandatis, vt hoc clypeo suum aduersus Romana fulmina Patriarcham defendant. At fragilior est clypeus iste: pellucet, nec Apostolica tantùm tela, sed & intuentium oculos transmittit. Nam quis nescit nouum Theologum ita Baij propositiones S. Augustino adscribere, vt disertè quoque pronuntiet eas spectare ad fidem, & contrarias, Pelagianam ad hæresim. Neque id semel, iterum, aut tertiò profitetur; sed vbique per fas & nefas ad nauseam inculcat. Quanquam, etsi nullibi disertè id statueret, toto tamen loquitur opere, cuius argumentum vno hoc syllogismo continetur. Quidquid à S. Augustino de gratia & libero arbitrio contra Pelagianos statutum est, pertinet Catholicam ad fidem: Propositiones Baij de gratia & libero arbitrio, quas damnant summi Pontifices, à S. Augustino contra Pelagianos statutæ sunt; ergo propositiones Baij de gratia & libero arbitrio, quas damnant summi Pontifices, pertinent Catholicam ad fidem. Huius syllogismi maiorem probat toto ferè libro Procemiali, minorem reliquo deinceps opere: vtramque verò acerrimè tuetur, ac defendit. Et persuadebit, nihil se de conclusione decernere. Quæ est ista Logica? Quæ Philosophia?

Tenuit me longiùs, quàm statueram, Aduersariorum pertinacia, qui quod libens offerebam, extorquere voluerunt. Quanquam autem hæc eorum improbitas me ad agendum summo iure inuitet, non faciam tamen, sed causæ bonitate fretus remittam aliquid, dabóque

bóque liberaliter, vnius S. Augustini arbitrio quæstionem hanc esse decidendam. Neque id sibi gratulentur, nam, vti spero, breui cognoscent non alium sibi magis metuendum iudicem potuisse obtingere. Age ergo Augustinum consulamus, quando ex vtriusque partis consensu sedet huiusce quæstionis honorarius arbiter, age, inquam, ea de quibus maximè digladiamur, ex eius mente disceptemus.

PARAGRAPHVS IV.

Secundi huiusce libri partitio.

NON imitabor nouæ libertatis vindicem, qui sancti Augustini testimonia numero æstimat, non pondere: quíque, vt multitudine nos terreat, vtiles, inutiles S. Augustini sententias corradit, & vnam eandémque septuagies suprà centies repetit. Sit illa peritissimi ducis laus propria, calones, lixásque armis instructos equis imponere, & eosdem milites mutatis subinde ordinibus varias in turmas digerere, vt ex paucis legionibus numerosi exercitus speciem adumbret, & hostes, quibuscum manus non audet conserere, formidolosi apparatus pompâ in fugam auertat: ad Theologicas certè concertationes ars illa transferri non debet, cùm de illis dici non possit, quod de militaribus pugnis vulgò iactatur; *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Agam igitur sinceriùs, & ex pluribus S. Augustini testimoniis, illustriora seligam, quæ certas in classes distincta, capitibus quinque complectar.

Primo capite ipsam protinus noui Doctoris arcem aggrediar, & ex liberæ potestatis notione, quam à Sanctis Patribus, ac præcipuè S. Augustino comprobatam auidè arripuit, perimi eius opinionem & funditus euerti demonstrabo. Quanquam autem hoc vno capite totius disputationis cardinem verti velit, ad-

dam tamen & alia quatuor, quibus & primarium illud noui dogmatis effatum obteretur magis ac magis, & reliqua illi connexa contundentur.

Secundo capite S. Augustini mentem ex his libris expendam, quos aduersus Manichæos scripsit, & ex iis etiam locis quibus eosdem libros recensuit; atque illud, vt spero, demonstrabo stare non posse Aduersarij opinionem, quin plus sexaginta S. Augustini libri euertantur.

Tertio capite ostendam nouum dogma adeo nihil habere præsidij in S. Augustini aduersus Pelagianos operibus, vt inde firmiores ad illud labefactandum machinæ eruantur.

Quarto capite accuratè excutiam quæ sit S. Augustini sententia de gratia medicinali, & gratia sanitatis: & plurimas Aduersarij fraudes circa vtriusque gratiæ discrimen confutabo.

Quinto capite reliqua S. Augustini testimonia, quibus præposterè Aduersarius abutitur, explicabo. Rationes etiam aliquot ex Theologia repetitas, quibus suum fulcire dogma nititur, dissoluam.

CAPVT PRIMVM.

Noua de libertate opinio inde euertitur, vnde præcipuum sibi præsidium accersit: Nimirum, ex iis S. Augustini aliorúmque Patrum testimoniis, quibus liberum id esse definitur, quod est in nostra potestate.

RESPIRANT Aduersarij audito hoc titulo, sibíque gratulantur, quòd nouam opinionem ea parte aggrediar, quâ munita magis est, & pluribus S. Augustini Patrúmque testimoniis, sic tan-

quam propugnaculis, vallata. Ac ne fortè hoc præsidio frustra tentato, aliò me proripiam, mihi iam antè denunciant hîc standum esse, nobísque hoc in loco de rei summa dimicandum; quia nihil in S. Augustini doctrina certius, quàm liberum id esse, *quod est in nostra potestate*. Sic enim in diuturno cum Manichæis certamine, sic in prima cum Pelagianis velitatione, sic in postremo cum iisdem conflictu, sic in frequentibus illis contra Stoïcos, Astrologos, aliósque libertatis hostes, excursionibus, sic denique omnibus in operibus liberum constantissimè definit. Conditionem hanc non amplector modò, sed etiam deposco, ad eam Aduersarios pertracturus, nisi sponte venissent. Hinc intellige quàm facilis mihi & expedita futura sit isthæc concertatio. Siquidem vt S. Eucherius ait hom. 2. de Paschate: *Validis absque dubio nititur priuilegiis, qui causam de Aduersarij asseris instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & Æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris tui argumenta tuis prebentur vtilitatibus militare.*

Libro 6. de Gratia Christi cap. 3. 4. 5.

Sed antequam in hanc difficultatem penitiùs ingrediar, duo sunt, quæ Lectorem admonitum velim. Primò, vnâ hac liberæ potestatis notione totam Aduersarij de libero arbitrio disputationem niti. Hinc est quòd illam huius quæstionis initio præfixit, nec vllum S. Augustini testimonium vim aliquam habere voluit, nisi huic definitioni incũberet. Quare si illum hac in parte erroris conuicero, totum eius dogma collabetur. Secundò, Aduersarium in hoc fundamento ex S. Augustini mente stabiliendo, suáque inde opinione comprobanda ita se gessisse, vt plurimas SS. Damasceni, Gregorij Nysseni, Anselmi, D. Thomæ, aliorúmque sententias asperserit ad explicandam S. Augustini mentem. Quod fuit in causa, cur ex iisdem Patribus ac Theologis, sententias aliquot libauerim, huicque in-

texuerim loco ad S. Augustini opinionem illustrandam, & Aduersarij fraudes reuincendas.

SECTIO PRIMA.

Explicatur ex Sancti Augustini aliorúmque Patrum mente, quid sit aliquid esse in nostra potestate.

DICAM primùm quæ sit apud Sanctos Patres liberæ potestatis notio, tum Aduersarij fucum atque præstigias, quibus clarissima eorum verba obscurat, discutiam. Primum hac sectione: alterum sequentibus exequar.

PARAGRAPHVS I.

Demonstratur ex S. Augustino aliísque Patribus, illud tantùm esse in nostra potestate quod perinde à nobis fieri potest, & non fieri.

SANCTVS Augustinus liberum definit, *id quod est in nostra potestate*, neque id semel aut iterum, sed quoties de humana libertate accuratiùs disputat, vt libro tertio de libero arbitrio, cap. 3. lib. 5. de Ciuitate Dei c. 10. & lib. de spiritu & littera c. 34. toties hanc liberi notionem ingerit, quam ex sacra scriptura, primísque Ecclesiæ Patribus, atque adeo ex ipsis Philosophis hauserat. Traditur ab Apostolo Epistola prima ad Corinthios cap. septimo. Traditur & à Clemente Romano Epist. 3. & lib. 3. Recogn. Dionysio lib. 4. de diuinis Nom. Iustino in Apologia ad Imperatorem Antoninum, Irenæo lib. 4 aduersus hæreses cap. 71. Chrysostomo homil. 23. in Genes. Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos, Ambrosio in Psal. 118. aliisque tum Græcis, tum Latinis Patribus. Hinc est, quòd omnia ferè liberi Arbitrij nomina eiusmodi potestatē sonant, αὐτεξούσιον, αὐτοκίνητον, αὐτοτελὲς, αὐθαίρετον, αὐ-

τόνομον, αὐθεκούσιον, ἀδέσποτον, αὐτοκρατὲς, denique à Philosophis vsurpatum toties τὸ ἐφ' ἡμῖν, quæ omnia liberam suique iuris potestatem exprimant.

Ex hac liberi definitione, non à Sancto Augustino tantùm, sed à ceteris Patribus conspiranti auctoritate probata, sic disputo; Omne liberum est in nostra potestate; nullum necessarium est in nostra potestate: ergo nullum necessarium est liberum. Quisquis communem sensum vel habet vel consulit, fatebitur hoc vno syllogismo nuperum dogma exterminari. Sic enim omnes arbitrantur: illud esse in nostra potestate, quod æquè ponere possumus, & non ponere. Neque id ex intimis Philosophiæ arcanis, sed ex vulgari sentiendi, loquendíque consuetudine promitur. Huic tam apertæ veritati, in quam natura duce docti omnes, indoctique conspirant, sola se opponit recentior secta, non Patrum freta sententiis, non rationibus inducta, sed peruicaciâ singulari, & insolitâ obtrectandi libidine correpta. *Recentiores*, inquit nouus Doctor, *imaginantur illum tantùm actum esse in nostra potestate, quem pro libito nostro positis omnibus ad agendum necessariis possumus facere, & non facere. Qua in re sine dubitatione falluntur.* Addit, in libera potestate etiam illas volitiones esse, quæ necessitate exprimuntur, cuiusmodi sunt amor beatificus, & productio Spiritus sancti, aliæque volitiones, quæ siue ab humana, siue à diuina voluntate naturali necessitate existunt. Libro 6. de Grat. Christi cap. 4.

Ego verò contendo, eos qui sic statuunt communi Philosophorum, Theologorum, Sanctorum Patrum, mortalium omnium opinioni quàm temerè, tam imperitè obluctari. Nam primò Philosophi definiunt illud tantùm esse in nostra potestate, cuius etiam oppositum est in nostra potestate, secundùm illud Aristotelis lib. 3 Ethic. cap. 5. *Quibus in rebus nostra in potestate situm est agere, in iis & non agere, & in quibus non agere, in iis est & agere.* Istud forsan Aduersarij tanquam pro-

dam tamen & alia quatuor, quibus & primarium illud noui dogmatis effatum obteretur magis ac magis, & reliqua illi connexa contundentur.

Secundo capite S. Augustini mentem ex his libris expendam, quos aduersus Manichæos scripsit, & ex iis etiam locis quibus eosdem libros recensuit; atque illud, vt spero, demonstrabo stare non posse Aduersarij opinionem, quin plus sexaginta S. Augustini libri euertantur.

Tertio capite ostendam nouum dogma adeo nihil habere præsidij in S. Augustini aduersus Pelagianos operibus, vt inde firmiores ad illud labefactandum machinæ eruantur.

Quarto capite accuratè excutiam quæ sit S. Augustini sententia de gratia medicinali, & gratia sanitatis: & plurimas Aduersarij fraudes circa vtriusque gratiæ discrimen confutabo.

Quinto capite reliqua S. Augustini testimonia, quibus præposterè Aduersarius abutitur, explicabo. Rationes etiam aliquot ex Theologia repetitas, quibus suum fulcire dogma nititur, dissoluam.

CAPVT PRIMVM.

Noua de libertate opinio inde euertitur, vnde præcipuum sibi præsidium accersit: Nimirum, ex iis S. Augustini aliorúmque Patrum testimoniis, quibus liberum id esse definitur, quod est in nostra potestate.

RESPIRANT Aduersarij audito hoc titulo, sibíque gratulantur, quòd nouam opinionem ea parte aggrediar, quâ munita magis est, & pluribus S. Augustini Patrúmque testimoniis, sic tan-

quam propugnaculis, vallata. Ac ne fortè hoc præsidio frustra tentato, aliò me proripiam, mihi iam antè denunciant hîc standum esse, nobísque hoc in loco de rei summa dimicandum; quia nihil in S. Augustini doctrina certius, quàm liberum id esse, *quod est in nostra potestate*. Sic enim in diuturno cum Manichæis certamine, sic in prima cum Pelagianis velitatione, sic in postremo cum iisdem conflictu, sic in frequentibus illis contra Stoïcos, Astrologos, aliósque libertatis hostes, excursionibus, sic denique omnibus in operibus liberum constantissimè definit. Conditionem hanc non amplector modò, sed etiam deposco, ad eam Aduersarios pertracturus, nisi sponte venissent. Hinc intellige quàm facilis mihi & expedita futura sit isthæc concertatio. Siquidem vt S. Eucherius ait hom. 2. de Paschate: *Validis absque dubio nititur priuilegiis, qui caussam de Aduersarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & Æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris tui argumenta tuis probentur vtilitatibus militare.*

Libro 6. de Gratia Christi cap. 3. 4. 5.

Sed antequam in hanc difficultatem penitiùs ingrediar, duo sunt, quæ Lectorem admonitum velim. Primò, vnâ hac liberæ potestatis notione totam Aduersarij de libero arbitrio disputationem niti. Hinc est quòd illam huius quæstionis initio præfixit, nec vllum S. Augustini testimonium vim aliquam habere voluit, nisi huic definitioni incũberet. Quare si illum hac in parte erroris conuicero, totum eius dogma collabetur. Secundò, Aduersarium in hoc fundamento ex S. Augustini mente stabiliendo, suáque inde opinione comprobanda ita se gessisse, vt plurimas SS. Damasceni, Gregorij Nysseni, Anselmi, D. Thomæ, aliorúmque sententias asperserit ad explicandam S. Augustini mentem. Quod fuit in causa, cur ex iisdem Patribus ac Theologis, sententias aliquot libauerim, huioque in-

texuerim loco ad S. Augustini opinionem illustrandam, & Aduersarij fraudes reuincendas.

SECTIO PRIMA.

Explicatur ex Sancti Augustini aliorúmque Patrum mente, quid sit aliquid esse in nostra potestate.

DICAM primùm quæ sit apud Sanctos Patres liberæ potestatis notio, tum Aduersarij fucum atque præstigias, quibus clarissima eorum verba obscurat, discutiam. Primum hac sectione: alterum sequentibus exequar.

PARAGRAPHVS I.

Demonstratur ex S. Augustino aliisque Patribus, illud tantùm esse in nostra potestate quod perinde à nobis fieri potest, & non fieri.

SANCTVS Augustinus liberum definit, *id quod est in nostra potestate*, neque id semel aut iterum, sed quoties de humana libertate accuratiùs disputat, vt libro tertio de libero arbitrio, cap. 3. lib. 5. de Ciuitate Dei c. 10. & lib. de spiritu & littera c. 34. toties hanc liberi notionem ingerit, quam ex sacra scriptura, primisque Ecclesiæ Patribus, atque adeo ex ipsis Philosophis hauserat. Traditur ab Apostolo Epistola prima ad Corinthios cap. septimo. Traditur & à Clemente Romano Epist. 3. & lib. 3. Recogn. Dionysio lib. 4. de diuinis Nom. Iustino in Apologia ad Imperatorem Antoninum, Irenæo lib. 4 aduersus hæreses cap. 71. Chrysostomo homil. 23. in Genes. Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos, Ambrosio in Psal. 118. aliisque tum Græcis, tum Latinis Patribus. Hinc est, quòd omnia ferè liberi Arbitrij nomina eiusmodi potestatẽ sonant, αὐτεξούσιον, αὐτοκίνητον, αὐτοτελὲς, αὐθαίρετον, αὐ-

τόνομον, αὐθεκούσιον, ἀδέσποτον, αὐτοκρατὴς, denique à Philosophis vſurpatum toties τὸ ἐφ' ἡμῖν, quæ omnia liberam ſuíque iuris poteſtatem exprimant.

Ex hac liberi definitione, non à Sancto Auguſtino tantùm, ſed à ceteris Patribus conſpiranti auctoritate probata, ſic diſputo; Omne liberum eſt in noſtra poteſtate; nullum neceſſarium eſt in noſtra poteſtate: ergo nullum neceſſarium eſt liberum. Quiſquis communem ſenſum vel habet vel conſulit, fatebitur hoc vno ſyllogiſmo nuperum dogma exterminari. Sic enim omnes arbitrantur: illud eſſe in noſtra poteſtate, quod æquè ponere poſſumus, & non ponere. Neque id ex intimis Philoſophiæ arcanis, ſed ex vulgari ſentiendi, loquendíque conſuetudine promitur. Huic tam apertæ veritati, in quam natura duce docti omnes, indoctique conſpirant, ſola ſe opponit recentior ſecta, non Patrum freta ſententiis, non rationibus inducta, ſed peruicaciâ ſingulari, & inſolitâ obtrectandi libidine correpta. *Recentiores*, inquit nouus Doctor, *imaginantur illum tantùm actum eſſe in noſtra poteſtate, quem pro libito noſtro poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſumus facere, & non facere. Qua in re ſine dubitatione falluntur.* Addit, in libera poteſtate etiam illas volitiones eſſe, quæ neceſſitate exprimuntur, cuiuſmodi ſunt amor beatificus, & productio Spiritus ſancti, aliæque volitiones, quæ ſiue ab humana, ſiue à diuina voluntate naturali neceſſitate exiſtunt.

Libro 6. de Grat. Chriſti cap. 4.

Ego verò contendo, eos qui ſic ſtatuunt communi Philoſophorum, Theologorum, Sanctorum Patrum, mortalium omnium opinioni quàm temerè, tam imperitè obluctari. Nam primò Philoſophi definiunt illud tantùm eſſe in noſtra poteſtate, cuius etiam oppoſitum eſt in noſtra poteſtate, ſecundùm illud Ariſtotelis lib. 3 Ethic. cap. 5. *Quibus in rebus noſtra in poteſtate ſitum eſt agere, in iis & non agere, & in quibus non agere, in iis eſt & agere.* Iſtud forſan Aduerſarij tanquam pro-

sanæ placita philosophiæ sugillabunt. Sed quid opponent Sancto Thomæ hunc Aristotelis locum sic enarranti lect. 11? *Si operari est in nostra potestate, oportet etiam quòd non operari sit in nostra potestate: Si enim non operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos non operari; ergo necesse esset nos operari, & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter dicit quòd in quibus rebus non operari est in potestate nostra, per consequens etiam operari sit in potestate nostra. si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari: ergo necesse esset nos non operari: & sic non operari non esset ex nobis, sed ex necessitate.* Vno hoc Diui Thomæ testimonio nouum dogma infringitur, nam inde constat primò, nihil in nostra potestate esse cuius oppositum non est in nostra potestate, atque adeo Patrem ac Filium non habere in potestate productionem Spiritus sancti, quia illius productionis oppositum, nempè non producere, non est in eorum potestate. Constat secundò, non esse in nostra potestate non operari, quando necesse est nos operari: ac proinde falli Aduersarium, cùm ait esse in potestate hominis gratiæ medicinali dissentiri; licèt illa hominis consensum necessariò inferat.

Nihilo leuiorem præposteræ nouitati plagam Damascenus imprimit libro 2. de fide cap. 26. *Eorum*, inquit, *quæ fiunt, quædam in nobis sita sunt, quædam non sunt. In nobis sita illa sunt, quorum liberam habemus potestatem, vt aut ea faciamus, aut non faciamus.* Tum: *Propriè verò in nostra potestate consistunt ea omnia, quæ ad animam spectant, & de quibus consultamus. Consilium verò est eorum, quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo id, quod tam ipsum possumus, quàm huic oppositum.* Mox: *Hæc ergo sunt quæ ex æquo sunt in nobis contingentia, vt moueri, & non moueri: quippiam cum concitatione agere, & non agere: appetere quæ necessaria sunt, & non appetere*, &c. Si inter nos Damascenus viueret, & nuperum dogma paucis verbis perimere statuisset, non

aliter loqueretur. Namprimò, quod aiunt non requiri ad liberam potestatem vt agere possimus, & non agere, priori sententiæ parte euertitur, *in nobis sita sunt illa, quorum liberam habemus potestatem, vt aut ea faciamus, aut non faciamus.* Secundò, quod ex opinione suâ consequi fatentur: nimirum, productionem Spiritus sancti esse in potestate Patris & Filij, posteriori eiusdem sententiæ parte diluitur, quæ docet illud tantùm esse in potestate quod contingens est, siue, *quod tam possumus, quàm eius oppositum.*

Luculentum illud Damasceni testimonium ferè ad verbum descriptum est ex Nemesio lib. de natura hominis cap. 40. *Propriè in nostra potestate sunt omnia, quæ ad animum pertinent, & de quibus consultamus. Ostensum est autem suprà consultationem esse rerum contingentium peræquè in vtramque partem. Quod genus contingentium sic definitur; Quod cùm ipsum possumus, tum eius oppositum. Huius optio penes mentem nostram est, & hæc actionis est principium, eáque in nostra potestate sunt, quæ æquè in vtramque partem contingunt, vt moueri & non moueri; persequi & non persequi,* &c. *Nostra potestas est actionum ad virtutem, & vitium, & electionum, & motuum, & quorum æquè etiam opposita agere possumus.* Quæ omnia Nemesius ipse videtur sumpsisse ex Clemente Alexandrino ita scribente lib. 4. Stromat. sub finem: *Id est in potestate nostra cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur, vt philosophari, vel non; credere, aut non credere. Per hoc ergo quod sumus æquè participes vtriusque eorum, quæ inter se aduersantur, inuenitur fieri posse, id quod est in nostra potestate.* Et recentes Theologos criminatur Aduersarius, quòd illum duntaxat actum esse in nostra potestate dicant, quem æquè ponere possumus, & non ponere.

Eandem liberæ potestatis notionem pluribus, ac disertis verbis tradit S. Augustinus, lib. de natura & Gratia cap. 47. vnde pauca decerpo. Statuebat Pelagius

possibilitatem videndi potestatis nostræ non esse, sed in naturali necessitate consistere. Refragatur S. Augustinus atque è contrario pugnat, possibilitatem videndi in nostra esse positam potestate; idque non aliter euincit, quàm quia contrarium illius, quod est non posse videre, in nostra est potestate; possumus enim oculos nobis eruere. *Aut ego*, inquit, *non intelligo quid dicat, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas: quia in potestate nostra est cæcitas qua id ipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus?* Colligit S. Augustinus videndi possibilitatem esse in nostra potestate, quia eius contrarium est in nostra potestate; Ergo supponit verum esse quod ex Aristotele S. Thomas statuebat, his verbis: *Si operari est in nostra potestate, oportet etiam quòd non operari sit in nostra potestate.* Quódque Clemens Alexandrinus ita concepit: *Id est in nostra potestate cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur, vt philosophari, vel non*, &c. Hinc S. Augustinus semper liberam potestatem per æqualem ad agendum, aut non agendum facultatem explicat: vixque vnquam ait, in nostra esse potestate aliquid agere, quin continuò addat, vel non agere. Sic eodem cap. 47. lib. de natura & gratia. *De odoratu autem quod dicit nonne parum attendit, non esse in nostra potestate posse odorari, vel non posse; sed in nostra potestate esse, hoc est in voluntate, odorari vel non odorari.* Et lib. contra Secundin. cap. 13. *Habet anima in potestate, vt quædam mala substantia vel sit, vel non sit.* aduersus Manichæos agit, probátque ex eorum opinione id sequi. Homilia verò 15. ex 50. *In tua potestate est consentire, vel non consentire.* Item lib. 2. contra Felic. Man. cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Cui loco germanus est alter ex lib. 1. retract. cap. 22. *Est in nostra potestate vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate.* Et lib. de spiritu

&

& littera cap. 34. *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire, aut dissentire propria voluntatis est.* Qui loci, aliique eiusdem sententiæ complures homini minimè peruicaci facilè persuadebunt, ex S. Augustini mente illud tantùm esse in nostra potestate, cuius oppositum est etiam in potestate. Cur enim aliàs tam studiosè liberam potestatem per suspensam, & indifferentem ad opposita facultatem explicaret?

PARAGRAPHVS II.

Probatur ampliùs, illud tantùm esse in nostra potestate quod peræquè possumus, & eius oppositum.

ACCEDVNT inuictæ rationes ex natura electionis, deliberationis, & dominii accersitæ, quæ hanc inconsultæ nouitatis arcem, tot verberatam hactenus Patrum testimoniis, súsque déque euertent.

Prima sic habet: Quidquid est in nostra potestate, in liberam electionem cadit: atqui nullum necessarium in liberam electionem cadit, ergo nullum necessarium est in nostra potestate. Maiorem mihi non illibenter concedunt nouæ libertatis vindices, quòd in eam Theologi pariter, ac Philosophi conspirent. Traditur à S. Thoma 1. p. q. 83. art. 3. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrij est electio, ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Consentit Gregorius Nyss. orat. Catech. cap. 31. *Qui in vniuersitatem liberam habet potestatem, propter summum in homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, cuius vnusquisque nostrûm est dominus. Hoc autem est liberi arbitrij libera electio.* Quod Eusebius libro 6. de præp. breuiùs exprimit his verbis, *In nostra positum est potestate quod ex propriæ electionis motione fit.* Consentit & S. Augustinus cùm aliis in locis, tum præcipuè l. 2. contra Felicem cap. 4. Consentit denique Aduersarius ipse cap. 35. l. 6. de gratia Christi.

Probanda ergo minor, quam ille pertinaciter negat. Probatur verò facilè ex ipsa liberæ electionis naturâ, quæ duo vel plura proponi nobis postulat, vt voluntas in medio posita, suísque quasi librata nutibus, in vtrumuis inclinare possit, & ita vnum optare, aliúdque reiicere, vt hoc amplecti, illud verò respuere pari iure possit. Ergo illud eligendi potestatem eripit, quod voluntatem ad vnum contrahit, & alligat. Quis enim sic apud se cogitet, liberè posse quempiam aliquid eligere, qui sic vni necessariò sit affixus, vt vel hoc nolle, vel alterum velle non possit. Prorsus illud ab humano sensu abhorret, & certiora moralis Philosophiæ principia labefactat. Docet enim Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 2. ea tantùm sub electionem cadere, quæ fieri possunt, & non fieri. Docet illud ipsum S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 2. *Cùm electio*, inquit, *sit praeacceptio vnius respectu alterius, necesse est quòd electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt. Et ideo in his quæ sunt determinata ad vnum, electio locum non habet.* Quanta est igitur nouæ opinionis insania, quæ statuit Beatos libera electione Deum amare, & Patrem ac Filium libera electione Spiritum Sanctum producere? Refugiunt id aures Catholicæ, atque hoc tam pestilenti dogmate Spiritum Sanctum in creaturarum ordinem cogi putant, & ab consortio diuinitatis excludi.

Quod de homine lapso adiiciunt, etsi non ita pietatem lædat, communem tamen sensum non minùs ferit. Aiunt peccatores efficaci Dei gratiâ destitutos tam necessariò peccare aliquo peccato, quàm necessariò Beati Deum amant. Fatentur nihilominus esse in eorum potestate virtutem aut vitium eligere, Deúmque singulis liberam vtriusque optionem permittere, ac dicere, *Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante te vita & mors, bonum & malum: quod placuerit, dabitur tibi.* Satin' illi mentis ac rationis compotes sunt, cùm istud pronuntiant? Itáne verò

tam crudeliter peccatoribus Deus illudit, vt quos scit ineluctabili necessitate ad peccandum astringi, & quibus gratiam ad benè agendum necessariam tribuere nolit, adhortetur ad virtutem, iubeátque vt eligant, an malint ex virtute viuere, quod illis prorsus est impossibile, an suis in peccatis obsolescere, quod est omnino necessarium? Quis hominem immanitatis, aut amentiæ non argueret? qui calamitosum aliquem ex altissimâ turri demissum sic affaretur, Tua est in potestate labi, aut non labi, elige quod volueris: vel qui in ardentem rogum coniecto diceret, Tua est in potestate comburi, vel non comburi, elige quod volueris. Nec Aduersarios pudet, hanc Deo crudelitatem affingere, quam homini tribuere non audent? Hallucinantur ergo cùm aiunt homini liberam electionem permitti, licèt ad vnum necessariò constringatur. *Quomodo enim*, vt ait Anastasius Sinaita, *libera constabit electio, vbi contrariorum nulla est incursio?* Quam eorum opinionem acriter exagitat Ennodius Ticinensis lib. 2. Epist 23. vbi aduersus nescio quem, qui hominem necessariò peccare dixerat, sic exclamat. *O Schismaticam propositionem, quæ iuxta Apocalypsim scriptas habet in fronte blasphemias. Quæ ista libertas est, si valet, edisserat, vbi homini datur solum velle quod puniat, aut* QVARE ELECTIONEM NOMINAT, VBI VNAM TANTVM PARTEM ASSERIT FVISSE CONCESSAM?

Altera ratio ex deliberationis indole petita sic concipitur. Circa ea tantùm versatur electio, de quibus consultamus: Atqui de illis duntaxat consultamus quæ possunt aliter atque aliter se habere: Ergo circa ea tantùm versatur electio, quæ possunt aliter atque aliter se habere. Maiorem negare non audent Aduersarij & verò non possunt, nam ex Theologorum Philosophorúmque consensu, electionem præcedit consultatio. vnde Nemesius cap. 33. electionem definit, *Appetitionem cum consultatione eorum, quæ in nostra sunt potestate.* Vnde concludit

necessariò circa eadem versari electionem, de quibus est consilium. Et S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 1. probat electionem ex appetitione, & consultatione sic tanquam ex partibus essentialibus coalescere. *Dicendum*, inquit, *quòd in nomine electionis importatur aliquid pertinens ad rationem, siue intellectum, & aliquid pertinens ad voluntatem. Vnde Gregor. Nyssenus* (is est Nemesius) *dicit quòd electio neque est appetitus secundùm se ipsam, neque consilium, sed ex his aliquid compositum. sicut enim dicimus animal, ex anima & corpore compositum esse: neque verò corpus esse secundùm se ipsum, neque animam solam, sed vtrumque; ita & electio.* Tota ergo huius argumentationis vis in minorem recidit: quæ, si apud Aduersarios aliqua Aristoteli fides esset, ad prima moralis Philosophiæ principia pertineret, sic enim ille lib. 6. Ethic. cap. 1. *Nemo de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt.* Sed quia Aristotelem non audiunt, Patrum sententiis, & ratione agendum est. Nemesius Christianus Aristoteles cap. 33. ita pronuntiat: *Est autem ex æquo contingens in vtramque partem, quod tam ipsum possumus, quàm eius contrarium. Nisi enim ambo possemus, tam istud scilicet, quàm eius contrarium, neutiquam consultaremus.* Et cap. 40. *Ostensum est autem suprà consultationem esse rerum contingentium peræquè in vtramque partem.* Damascenus vt in cæteris, ita hac in parte, Nemesium sequitur libro 2. de fide cap. 26., Sequitur & S. Thomas 1. 2. quæst. 14. art. 3. vbi ex his Nemesij verbis. *Consiliamur de his quæ sunt in nobis, & per nos fieri possunt*, concludit: *Consilium non esse circa res, quæ necessariò fiunt, sed tantummodo esse circa res contingentes.* Similiter de malo quæstione 6. docet, *consilium esse inquisitionem viàm habentem ad opposita; virtute cuius voluntas se ipsam mouet, non ex necessitate, sed cum potestate eligendi, aut non eligendi, hoc vel illud.*

Faxo vt Aduersarij suâ licèt occæcati pertinaciâ tam claræ veritatis lucem intueantur. Quæro an possint

ipsi deliberare, vtrum mundum alium creare, mortuos suscitare, Angelos omnes annihilare debeant, an non debeant? si respondent se his de rebus posse deliberare, næ illi insaniunt operosè, atque haud scio an magis deliret celebris ille fanaticus, qui, cùm se Deum Patrem esse arbitretur, tota die agitat, serióque deliberat, an alios condere mundos debeat. Si dicant non posse: vicimus. Nam ideo tantùm deliberare non possunt de condendo mundo, vel non condendo, quia pars vtraque non est in eorum potestate. Ergo non poterit Beatus deliberare, an Deum amare debeat, an non debeat. Item, Deus non poterit hominem cui nullam gratiam tribuit, hortari vt ipse secum statuat, an vitiis obsequi, an Deo parere debeat. Quia tam est illi impossibile eniti ad virtutem, quàm mundum condere. Nihil iam dico de productione Spiritus Sancti, quam quia liberæ electioni adscribunt, fateri debent ex antegressa deliberatione oriri, non eâ quidem, quæ cum ignoratione, & dubitatione coniuncta sit, sed illâ quam Deo de creaturis agenti Scripturæ, Patrésque concedunt, quæque ex communi Catholicorum sensu ad productionem Spiritus Sancti transferri nequit, nisi ab illo, qui Eunomianorum, & Aëtianorum errores instauret.

Tertia ratio ex dominij notione repetita rem planè conficiet. Contendit nouæ opinionis primipilus libro 6. de Gratia Christi cap. 3. & 35. promiscuè vsurpari à S. Augustino, atque idem prorsus sonare illa duo: Actum aliquem esse in libera potestate: &, esse in dominio voluntatis. Quis autem asserat voluntatem dominium in eas volitiones habere, quæ naturali necessitate erumpunt? Cùm præsertim S. Thomas, ad quem prouocant Aduersarij, vt ex eius mente tota hæc controuersia disceptetur, disertissimis verbis contrarium definierit libro 1. contra gentes cap. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas supra suos actus, per quod in*

eius potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum. Quia nempe, vt monet Heruæus Quodlibeto 10. quæst. 9. *habere dominium sui actus, est havere, sic in potestate suum actum, quòd in potestate sua sit agere vel non agere.* Atque id fuit in causa, cur S. Thomas 1. p. q. 2. a. 1. appetitum vltimi finis voluntatis dominio subduxerit. Statuerat ille hominis voluntatem appetitũ vltimi finis naturali necessitate exercere. Contrà tamen sic obiiciebatur. *Secundùm voluntatem sumus domini nostrorum actuum: Sed eius quod ex necessitate est non sumus domini; ergo actus voluntatis non potest de necessitate esse.* Respondet: *Dicendum quòd domini sumus nostrorum actuum, secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, vt dicitur 3. Ethicorum. Vnde appetitus vltimi finis non est de his quorum domini sumus.* Deus immortalis, quantam posteriora hæc verba in nouo dogmate stragem edunt! *Appetitus*, inquit, *vltimi finis non est de his quorum domini sumus.* Ergo non est in potestate voluntatis, ac proinde imperitè illud & ineptè noua opinio sciscit: *Omnis volitio est in potestate voluntatis:*

Si hac face prælucente arcana nuperi Doctoris sensa penitiùs ingrediaris, noua tibi monstra occurrent. Statuit productionem Spiritus sancti esse in libera Patris ac Filii potestate, quia eorum volitio est. Fateri igitur debet, esse quoque in eorum dominio. Si istud admiserit, quod profectò negare non potest, quin opinionis suæ fundamenta conuellat, quàm sacrilegum inde corollarium, quámque immane deducetur! Nimirum, Patrem ac Filium habere in dominio productionem Spiritus sancti; ac proinde verè & propriè Spiritus sancti Dominum, aut Dominos esse. Dominium enim, quod Angelus, & Syluester definiunt *potestatem disponendi de re aliqua pro libito*, maximè cernitur circa rei productionem, ita vt nihil sit magis in dominio nostro, quàm illud cuius productioni voluntas nostra domina-

tur. Confirmatur: Idcirco Deus perfectum habet in creaturas dominium, quia si vult, eas producit: si non vult, non producit: at idem Patri & Filio respectu Spiritus sancti Aduersarius tribuit, vt sectione 4. dicam; immo, quod horrendum magis est, docet esse in potestate Patris, ac Filii Spiritum sanctum non producere; quia quemadmodum illum producunt, cùm volunt: ita, si nollent illum producere, non producerent; Ergo ex eius mente Pater & Filius tam perfectum habent dominium in Spiritum sanctum, quàm in creaturas. Non potest Aduersarius hoc argumento se extricare, quin fucum excutiat, quo liberæ potestatis notionem corrumpit. Quamcunque enim perfecti dominii definitionem proferat, aut illa voluntati non competet respectu volitionis naturali necessitate profusæ: aut saltem Deo non minùs conueniet respectu Spiritus sancti, quàm respectu creaturarum: adeóque Inuictè concludet Patrem ac Filium non minùs verè dici posse dominum aut dominos Spiritus sancti, quàm creaturarum. Quæ fuit Eunomianorum, Aëtianorum, ac præcipuè Macedonianorum hæresis propria, vt colligitur ex Basilio Epistola 78. Nazianzeno Oratione 34. quæ est 5. de Theologia, & Epiphanio hæresi 74.

Neque verò huic dogmati gratificantur illi Theologi, qui Spiritus sancti productionem liberam esse defendunt. Fatentur enim se libertatem non sumere in strictiori illa significatione, quæ potestatem ac dominium importat. Pridem illud obseruauit Petrus Aureolus illius sententiæ propugnator acerrimus. Nam in 1. dist. 1. capitulo 3. art. 3. Cùm statuisset libertatem stare cum necessitate, vt omnes intelligerent quo sensu libertatem vsurparet, addit: *Non est autem idem liberum, & dominatiuum actus, alioquin Pater & Filius non spirarent liberè, cùm non possint dominatiuè suspendere actum spirationis, nec etiam Deus liberè se amaret. Vnde ex hac deceptione oritur difficultas, quæ hodie habetur circa formalem*

rationem libertatis, quia putant homines quòd idem sit esse liberum, & habere dominium sui actus. Negat Aureolus productionem Spiritus sancti esse liberam, si libertas sumatur pro potestate, & dominio in actum. Negant & illud Scotistæ alii, nec ex probatis auctoribus vllus inuenietur, qui scripserit, productionem Spiritus sancti esse in dominio, & libera potestate Patris & Filii. At istud tamen non modò à nuperis Theologis defenditur, sed cum primariis eorum placitis ita cohæret, vt ne leuissimè quidem commoueri possit, quin illa disturbentur.

SECTIO II.

Prima Aduersarij cauillatio refellitur, quâ ait omnem omnino volitionem, ex S. Augustini aliorúmque Patrum sententia, esse in libera voluntatis potestate.

EXPECTAS (erudite Lector) quorsum Aduersarius tot rationibus, Patrúmque testimoniis oppressus erumpet? verbo dicam, fucum faciet, clarissimis rebus tenebras offundet, nec minus ipse secum, quàm cum humana ratione, Philosophis, Patribus, ipsóque S. Augustino conflictabitur. Quanquam autem cauilli omnes, quibus peruagatam liberæ potestatis notionem infuscare nititur, enumerari vix possint, eos tamen ad tria capita, ac veluti fastigia reuocabo.

Primò, ait ex Sanctorum Patrum ac præcipuè S. Augustini sensu, omnem omnino volitionem esse in libera voluntatis potestate. Vnde aduersus constitutam à nobis liberæ potestatis rationem sic arguitur. Omnis volitio est in libera voluntatis potestate; Aliqua volitio est necessaria; ergo aliquod necessarium est in libera voluntatis potestate.

Libro 6. de Gratia Christi cap. 5.

Secundò, quod S. Augustinus aliique Patres docent, illud

illud esse in nostra potestate, quod fit cùm volumus, ita interpretatur, vt τὸ *cùm volumus*, idem sit ac *volendo*. Vnde colligit, amorem beatificum esse in Beatorum potestate, quia amant volendo, ac proinde cùm volunt. Item, productionem Spiritus sancti esse in libera potestate Patris ac Filij, quia producunt volendo, atque adeo cùm volunt. Quæ si vera sunt, ruit stabilita à nobis liberæ potestatis notio.

Libro 6. de Grat. Christi cap. 5. 6. 8.

Tertiò quod mirum magis est, contendit etiam actus aliquos impossibiles esse in potestate voluntatis; Sic ait esse in potestate Beatorum Deum clarè & intuitiuè videntium nolle illum amare. Item, esse in potestate hominis gratiæ medicinali consensum necessariò inferenti non assentiri. Denique, quod cum superioribus connexum est, esse in potestate Patris ac Filij nolle producere Spiritum sanctum. Quia si Pater & Filius vellent non producere Spiritum sanctum, non producerent; & Beati si vellent Deum non amare, hoc ipso non amarent: homines quoque si gratiæ medicinali consensum necessariò inferenti vellent dissentiri, hoc ipso dissentirentur. Quæ omnia explicatam hactenus liberæ potestatis naturam labefactant.

Libro 6. de Gratia Christi cap. 35.

Quis non obstupescat ad illa nouæ opinionis, placita dicam, an commenta? commentitia certè placita, quæ dum recogito occurrit illud S. Augustini libro 3. in Iulianum cap. 3. *Mira sunt quæ dicitis: noua sunt, quæ dicitis: falsa sunt, quæ dicitis: mira stupemus, noua cauemus, falsa conuincimus.* Hoc postremum vt exequar, priorem cauillum hac integra sectione, reliquos duos totidem aliis sectionibus excutiam.

PARAGRAPHVS I.

Demonstratur ex S. Augustini aliorúmque Patrum sententia, volitiones necessitate expressas non esse in libera voluntatis potestate.

Libro 6. de Gratia Christi cap. 5.

PRIMARIVM hoc nouæ opinionis fundamentum: *Volitio est essentialiter in nostra potestate, & implicat contradictionem vt volitio non sit in nostra potestate*, nititur celebri illo S. Augustini loco ex libro 3. de libero arbitrio contra Manichæos, *Nihil tam est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas.* Nam inde sic licet argumentari. Omnis voluntas ex Augustino est in nostra potestate: omnis volitio ex Augustino est voluntas; ergo omnis volitio ex Augustino est in nostra potestate. Quod argumentum sic vrget Aduersarius, vt pro more suo in ea re probanda, quam vltro concedimus, temporis multùm & operæ consumat. Eam verò, quæ controuersiæ caput est, quámque negamus funditus, vix attingat. Probat pluribus voluntatem omnem esse in nostra potestate. Quis id negat? nemo certè qui S. Augustinum familiarem habeat, nouerítque voluntatis nomen ab illo non vsurpari in ampliori illa significatione, quæ volitiones omnes complectitur. Quid ergo in re explorata confirmanda tantùm temporis homo non otiosus perdit? Minorem probet, quæ sola huius controuersiæ pondus sustinet. Probet, inquam, ex S. Augustini mente, atque eo præsertim, de quo agimus, loco volitionem omnem esse voluntatem. Istud est enim, quod & nos omnino inficiamur, & ipse tam acriter negat libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. vt illos, qui apud S. Augustinum, maximè in libris aduersus Manichæos, voluntatis nomine volitiones omnes comprehendi putant, in eius doctrina hospites dicat atque peregrinos. Si vacat, hunc eius locum perlege, & ob-

ſerua quàm aſſeueranter affirmet, non ſumi ab Auguſtino *voluntatem & voluntarium pro motu generaliter, qui à potentia voluntatis proficiſcitur, qualis eſt amor beatificus.* Sed in ſtrictiori alia notione, quæ *non omnem omnino voluntatis motum comprehendat.* Obſeruandum quoque qua mente id faciat. Nimirum, cùm videat hæc tria ab Auguſtino confundi. *Peccatum eſſe voluntarium. Peccatum eſſe in voluntate.* Et: *liberum eſſe à peccato abſtinere.* Ne iſtud tertium hominis lapſi peccatis tribuere cogatur, priora dùo illis adimit, pugnátque in Auguſtini; præcipuè aduerſus Manichæos diſputantis, phraſi ſolos *primos parentes voluntate peccauiſſe.* Ac proinde illa Auguſtini verba, quæ aduerſus Manichæos toties inculcat, *Peccatum eſt voluntarium. Peccatum eſt in voluntate.* ſic eſſe exponenda, *vt non niſi primi hominis peccato tale voluntarium competat.* Docet etiam nominatim, hoc ſenſu voluntatis nomen accipi libro 3. de libero arbitrio aduerſus Manichæos, ex quo vbi inſignem locum deſcripſit, atque hoc modo interpretatus eſt, ſubdit: *Eodem prorſus modo & alia eius verba, & quotquot ſimilia contra Manichæos protulit, exponi debent; vt illa, quibus in libro de duabus animabus dixit: nuſquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum. Nam & iſtic* VOLVNTAS *ſtrictè ſumitur, vt proinde nulli, niſi primo peccato iſtud competat.*

Quâ igitur verecundiâ modò ſupponit Auguſtinum eodem libro tertio de libero arbitrio voluntatis nomine quamlibet volitionem cenſere? Quo pudore plurima ex libris aduerſus Manichæos teſtimonia recitans, vbicunque occurrit voluntatis nomen, ſuam hanc gloſſam intexit (*id eſt volitio*) vt perſuadeat Auguſtinum his in libris voluntatis nomen promiſcuè pro qualibet volitione ſumpſiſſe? Sed audi quæſo integrum eius argumentum, & hominis fidem admirare. Nititur vt monui celebri illo loco libri 3. de libero arbitrio aduerſus Manichæos cap. 3. quem ita refert, vt decies

ſuam hanc gloſſam (id eſt volitio) Auguſtini verbis infindat. Sic, vbi priorem hanc Auguſtinianæ ſententiæ partem retulit: *Nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa voluntas eſt*, continuò ſubnectit (*ſeu volitio.*) Pergit Auguſtinus: *voluntas igitur noſtra*, rurſus ſuam hîc parentheſim Aduerſarius illigat (*id eſt volitio*) *nec voluntas eſſet* (id eſt volitio, ait Aduerſarius) *niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia in poteſtate, libera nobis eſt, non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus; aut poteſt non eſſe, quod habemus.* Ex quibus ita nouus Doctor concludit: *Ecce à radicibus oſtenſum impoſſibile eſſe vt volitio non ſit in noſtra poteſtate.* Quis non putet illum nugari, ac ludere cùm ita ratiocinatur? Vim habere non poteſt eius argumentatio, niſi conſtet Auguſtinum eo loci voluntatis nomine quamlibet volitionem complecti, nec id tamen, quod ab iis, quibus cum agit, negatur funditus, aliter probat, quàm intercalaribus illis gloſſis (*id eſt volitio*) ô nouum, & inuictum probationis genus! Verùm ſi neruis caret hæc eius argumentatio, fraude ſanè non caret. Ne laborandum quidem putauit ſibi, vt perſuadere conaretur Auguſtinum eo loci voluntatis nomine volitionem omnem comprehendiſſe. Tum quia intelligebat clariorem eſſe hac in parte Auguſtini mentem, quàm vt vllis præſtigiis obſcurari poſſet, cùm præſertim hîc de Adami voluntate, eiúſque primo peccato agatur, vt ſequenti Paragrapho demonſtrabo. Tum quia id tentare non poterat, quin dirueret omnia, quibus libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. contrarium pugnauit. Quamobrem per inſitias illas parentheſes (*id eſt volitio*) difficillima ſtatuit probatione defungi, vt rudioribus ſaltem, & in eius doctrina minùs verſatis negotium faceſſeret.

Age ergo ex integra illa Aduerſarij diſputatione, qua pugnat volitionem omnem eſſe in libera voluntatis poteſtate, ſolemnes illas, & intercalares gloſſas

(*id est volitio*) expunge, & omnes illi neruos incides. Earum in locum hanc ex S. Augustini, & ipsius Aduersarij mente genuinam insere (*voluntas apud Augustinum, ac praecipuè in libris aduersus Manichaeos, non omnes omnino voluntatis motus significat*) & suo illum gladio iugulabis. At verò si ipsum Augustinum consulere, & librum 3. de libero arbitrio aduersus Manichaeos, quem nobis Aduersarius intentat, expendere velis, statim ab ingressu cognosces, quàm splendidè Augustino imponat, dum contendit volitiones omnes etiam naturali necessitate expressas, cuiusmodi est illa, qua à Patre, & Filio Spiritus sanctus producitur, Augustini phrasi *voluntarias* esse, & in libera voluntatis potestate. Quaerit enim Augustinus iam inde ab initio, *vnde illa motus existat, quo voluntas auertitur à communi atque incommutabili bono*, statuítque illum à voluntate naturaliter non oriri, contrà quàm sentiebant Manichaei, qui malam animam naturali necessitate malum amare, quemadmodum Deus naturali necessitate se ipsum amat, delirabant. *Si ita*, inquit, *data est voluntas, vt naturalem habeat istum motum, iam necessitate ad haec conuertitur, neque vlla culpa deprehendi potest, vbi natura necessitásque dominatur.* Tum paucis interpositis: *Porrò quia istum motum non dubitamus esse culpabilem, omnino negandum est esse naturalem.* Vnde concludit esse voluntarium, id est, oriri à voluntate vt voluntas est ac libera, non vt natura: *Qui motus si culpae deputatur non est vtique naturalis, sed voluntarius.* Quia, vt mox subiicit, *motus quo huc atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quendam quasi cardinem voluntatis suae.* Ex eo autem quòd motus ille, naturalis non sit, sed voluntarius, colligit illum esse in nostra potestate, quod his verbis perstrinxerat postremo capite superioris libri: *Qui tamen defectus quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate.*

Crux hîc fixa nouo dogmati, vel fatalis ſcopulus ad quem omnia argumenta, quibus S. Auguſtinum ſibi arrogat, illiſa comminuuntur. Nam inde ſequitur primò, in S. Auguſtini phraſi, motum voluntatis naturalem, opponi voluntario: nec eandem volitionem naturalem ſimul eſſe poſſe, & voluntariam, atque in noſtra poteſtate. Quia negat motum illum, quo voluntas ad mutabilia conuertitur, fore voluntarium & in noſtra poteſtate, ſi naturali neceſſitate exiſtat. vnde vlteriùs conſequitur motus omnes voluntatis, qui ab ea naturali neceſſitate oriuntur, in S. Auguſtini doctrinâ non eſſe voluntarios, & in noſtra poſitos poteſtate. Nimis ergo procaciter S. Auguſtinum corrumpit, qui ex hoc ipſo loco contendit, volitiones omnes, etiam naturali neceſſitate expreſſas, cuiuſmodi eſt amor ſui ipſius in Deo, S. Auguſtini phraſi voluntarias eſſe, & in libera voluntatis poteſtate collocatas.

Sequitur ſecundò, voluntate agere, & naturâ agere, apud S. Auguſtinum ſibi inuicem aduerſari. Quia docet animam non voluntate producere motum illum, quo ad mutabilia conuertitur, ſi illum naturali neceſſitate producat. Hinc l. de duabus animabus c. 12. contendit malas animas, quas Manichæi ex tenebrarum gente decerptas comminiſcuntur, non amare malum voluntate, ſi illud naturali neceſſitate amare finguntur. *Quamobrem*, inquit, *illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent. ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus*. Vides ex S. Auguſtini mente ea voluntate non agere, quæ naturali neceſſitate agunt. Ergo Pater & Filius qui naturâ, ſeu naturali neceſſitate, Spiritum ſanctum producunt, S. Auguſtini ſenſu voluntate non producunt, nec illa productio voluntaria eſt, & in eorum poteſtate.

Hac voluntatis notione S. Auguſtino proluſerant

Patres illi, qui cum Arrianis acriùs conflixere. Nam ita voluntatis nomen contrahebant, vt naturæ opponerent, decerneréntque non fieri illud voluntate, quod naturâ fit, atque adeo nullam in diuinis personam voluntate procedere. S. Epiphanius hæresi 69. tritæ Arrianorum percontationi: *volens, an nolens pater filium genuerit*, Respondet: *Neque volentem, neque nolentem genuisse; sed in natura, quæ omnem deliberationem superat.* Illud ipsum tradit S. Ambrosius l. 4. de fide cap. 4. tradit & S. Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 20. Rationem profert S. Cyrillus 7. Thesauri. *Nam quæ ex natura prodeunt, neque velle, neque nolle admittunt; in rebus verò quæ extra nos, & in nostra potestate sunt, aut volumus, aut nolumus.* Vnde colligit Deum non esse, misericordem, bonum, sanctum, voluntate sed naturâ. Quod S. Athanasius sic vrget orat. 4. contra Arrianos. *Dicant nobis quod bonus est, & misericors Deus, ex voluntaténe hoc illi adest, an non? si ex voluntate, ergo ante oculos patet eum incepisse bonum esse, ac fieri posse vt non sit bonus. Nam deliberare, eligeréque in vtramque partem momenta sua habet.* Negat Athanasius Deum esse bonum voluntate, quòd aliàs fieri posset, vt non esset bonus, quia *eligere in vtramque partem momenta sua habet*; Negat etiam Cyrillus ea quæ ex natura prodeunt, voluntate fieri; ergo voluntatis nomen non vsurpant in ampliori illa significatione, quæ volitiones etiam naturali necessitate elicitas complectitur, sed in arctiori aliâ, atque vt illas tantùm comprehendit, quæ ab facultate ad vtrumlibet indifferente, *& in vtramque partem momenta sua habente* proficiscuntur.

S. Thomas dilucidè admodum, & ad rem nostram appositè illud expressit 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. *Voluntas in quantum est natura quadam aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult & amat se ipsum, sed circa alia, à se voluntas Dei se habet ad vtrumque quodammodo.*

Vnde concludit Spiritum sanctum procedere à voluntate, non vt voluntas est, sed vt natura. Rationem reddit in corpore: *Voluntas, & natura secundùm hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum.* Et paulò post: *Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse; eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est à natura diuina, sed hoc pertinet ad rationem creaturæ.* Et q. 2. de potentia, art. 3. *Voluntas in quantum voluntas, cùm sit libera, ad vtrumlibet se habet; potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere, velle, & non velle; & si respectu alicuius hoc voluntati non conuenit, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali quam habet ad aliquid, sicut ad finem vltimum, quem non potest non velle, sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem, nec potest velle miseriam. Ex quo patet quòd omne illud, cuius voluntas est principium quantum in se est, poßibile est esse vel non esse, & esse tale, vel tale, & tunc vel nunc. Omne autem illud quod sic se habet, est creatum: quia in eo quod increatum est, non est potestas ad esse vel non esse, sed per se necesse est esse, vt Auicenna probat. si ergo ponitur Filius voluntate genitus necessariò sequitur ipsum esse creaturam. Et propter hoc Arriani qui ponebant Filium creaturam, dicebant eum esse genitum voluntate. Catholici autem dicunt Filium non natum voluntate, sed natura. Natura enim ad vnum determinata est.* Indidem colligit Spiritum sanctum non voluntate, sed naturâ procedere. Atque ita concludit. *Sequitur quòd tam Filius quàm Spiritus sanctus naturaliter procedant.* Adhúcne contendet Aduersarius Spiritum sanctum liberè procedere, quia volitione procedit? adhúcne volitionem omnem à voluntate, vt libera est, nasci garriet, cùm tam disertè S. Thomas, cui se multum tribuere profitetur, productionem Spiritus sancti neget ab voluntate oriri, vt voluntas est, & libera?

PARAG.

PARAGRAPHVS II.

Demonstratur nobilem S. Augustini disputationem immani corruptelâ ab Aduersario deprauari. vt ex ea conficiat volitionem omnem esse in nostra potestate.

NON potuit Aduersarius S. Augustinum in opinionis suæ communionem adigere, quin illum priùs imponeret equuleo, & integram eius disputationem, eámque nobilem in primis, distorqueret fœdè, atque laceraret. Non id dico iracundè, aut illo altercandi insectandique more, quo aliàs rabulæ velitabantur in foro; quemlibet minimè peruicacem arbitrum non recuso: nisi ego eius iudicio vincam, S. Augustinum hîc à nouo Dogmatista flagitiosè corrumpi, per me non stabit, quin ille tanti Doctoris auctoritatem sibi arroget, & de profligata communi opinione glorietur. Age ergo nouæ opinionis neruos ac robur in hoc præcipuo eius argumento mecum explora.

S. Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. 2. 3. & 4. contendit liberum arbitrium diuinâ præscientiâ stabiliri potiùs, quàm pessumdari. Rationum, quibus id probat, vim ac robur ita colligit sub finem capitis tertij: *Cùm Deus sit præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius ipsa erit; voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit; ergo & potestatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia non fallitur, adfuturam mihi præsciuit.* Plana hîc omnia, si candidum habeant interpretem; cùm enim *voluntas* Augustini phrasi, atque hîc præcipuè, vbi de primi hominis voluntate agitur, vt mox dicam, non quemlibet voluntatis motum

significet, sed illum tantùm, qui omni necessitate solutus est: idem est prorsus, ac si dixisset: Cùm Deus præuideat voluntatis motum sine necessitate, & cum indifferentia ponendum; ponetur ille sine necessitate, & cum indifferentia. quæ trita est Theologorum ratio his à S. Thoma verbis expressa libro 3. contra gentes cap. 94. *Si Deus præuidit hoc futurum, sic erit, sicut præuidit illud esse futurum: præuidit autem esse futurum contingenter; sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, & non necessariò.* Quam & Anselmus perstrinxit libro de Concordia præscientiæ diuinæ & liberi arbitrij: *Non debes*, inquit, *dicere, præscit Deus me peccaturum, vel non peccaturum; sed præscit Deus me peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum.* Atque adeo si peccem, sine necessitate peccabo, quia ita peccabo, quemadmodum Deus peccaturum me præsciuit.

Etiámne ex hac S. Augustini disputatione præsidium Aduersarius sperat? Quid aio? præsidium sperat? Præcipuum in ea causæ suæ firmamẽtum ponit. Pugnat enim S. Augustinum aliud nihil hic probare, quàm Dei præscientiam idcirco præcisè cum humana libertate cohærere, quòd non impediat quo minùs volitio sit volitio. vnde colligit arbitrari S. Augustinum volitionem eatenus esse liberam, & in nostra potestate, quatenus est volitio. Prolixam ea de re disputationem habet, cuius vim eius verbis summatim complectar. Statuerat ille volitionem omnem essentialiter liberam esse, & in nostra potestate. Cui assertioni ita ex S. Augustino fidem conciliat: *Iam D. Augustinum accuratissimè hoc ipsum explicantem, & velut rem in primis intellectu necessariam crebrò inculcantem audiamus. In libro igitur tertio de libero arbitrio, vbi totâ disputationis mole istud agitur, quo pacto per præscientiæ diuinæ necessitatem non perimatur libertas voluntatum nostrarum, ita libertatem voluntatis, id est volitionis, asserit, vt nihil aliud probet, quàm eam esse voluntatem, seu volitionem.* Iterum: *Augustinus*

Libro 6. de Grat. Christi cap. 5.

ostendere volens præscientiam futuræ voluntatis, non tollere nobis, sed potiùs inferre libertatem eiusdem voluntatis, hoc vnicum tantùm ostendit, quòd præscientia ista non impedit, quòd voluntas, seu volitio, maneat in nostra potestate, hoc est, quin maneat voluntas, seu volitio. Illud ipsum confirmat ex simili disputatione, quâ S. Augustinus libro 5. de Ciuitate Dei cap. 9. Ciceronem aduersus Dei præscientiam sacrilegâ impietate garrientem confutat. Atque illud sæpius iterat, S. Augustinum in his de libero arbitrio & Diuinâ præscientiâ controuersiis vnum id moliri, vt vincat Diuinâ præscientiâ coactionem propriè dictam, quâ fiat vt volitio non sit volitio, voluntati non imprimi. de simplici verò necessitate, quâ voluntas Diuinæ præscientiæ vi ad vnum aliquid affigatur, alterius partis ademptâ potestate, nihil prorsus ab illo decerni.

Placuit hæc omnia noui Theologi verbis explicare; quia absurda sunt adeo, támque omni destituta ratione ac sensu, vix vt aliter persuadere potuerim hæc ab illo dici, & in primarium opinionis suæ fundamentum constitui. Mihi verò non erit magnopere desudandum, vt ista dissoluam. Nam si frequentes illas & ioculares Aduersarij glossas (*id est volitio*) eraseris, difficultas omnis euanescit. Fateor enim S. Augustinum id vnum contendere, Diuinâ prçscientiâ libertatem idcirco non extingui, quia non impedit quo minus voluntas sit voluntas. At pugno voluntatem hîc sumi angustiùs, pro voluntatis motu ab omni necessitate expedito, siquidem, vt ex S. Augustini contextu patet, sermo est de voluntate illa, quâ Adamus peccauit, quæ ex ipsius Aduersarij mente voluntas mala esse non potuit, quin omnis ab illa necessitas arceretur. facit etiam ad hanc Aduersarij argumentationem disturbandam, quòd S. Augustinus capite proximè antecedenti docuit, motum illum, quo voluntas ad inferiora conuertitur, hoc ipso desinere esse liberum & in nostra

potestate, quo fingitur naturaliter à voluntate existere: atqui hoc ipso quo fingitur naturaliter à voluntate existere, non desinit esse volitio; quia sunt volitiones, quæ à voluntate, naturali necessitate, prosiliunt: cuiusmodi est amor sui ipsius in Deo, & processio Spiritus sancti. Ergo existimat S. Augustinus motum aliquem voluntatis desinere esse liberum, & in nostra potestate, licèt non desinat esse volitio. Ergo non docet hoc loco præscientiam Dei idcirco præcisè libertatem non lædere, quia non impedit quo minùs volitio sit volitio. Possem hîc quæstionem abrumpere, & illud Claudiani Mamerti libro 1. de statu animæ cap. 11. præfidenter vsurpare, *Vide quàm paruo negotio veritatis calor frigentium verborum pruinas liquefecerit.* Sed id placet premere magis ac magis, vt Aduersarij in tractanda S. Augustini auctoritate fides appareat.

Dico igitur falsitatem omnem superare, quod ait nouæ opinionis faber, S. Augustinum hoc loco nihil aliud ostendere, quàm Dei præscientiâ coactionem propriè dictam voluntati non inferri, de simplici verò necessitate prorsus tacuisse. Probatur primò. Agit S. Augustinus eo loci de primi hominis voluntate, pugnátque præscientiam Diuinam non eam illi necessitatem attulisse, quæ eius peccatum excuset: Atqui ex ipsius Aduersarij consensu non sola coactio, sed etiam simplex necessitas Adami peccatum excusâsset; Ergo falsum est S. Augustinum eo loci id vnum efficere, præscientiam Dei coactionem propriè dictam voluntati non afferre. Probandæ sunt mihi propositiones singulæ. Ac prima quidem non inde tantùm conficitur, quòd Aduersarius libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. pluribus contendit, S. Augustinum his de libero arbitrio libris aduersùs Manichæos de sola primi hominis libertate disputasse, sed etiam maximè, quòd disertè S. Augustinus asserat, quæstionem esse præcipuè de primi hominis peccato. Nam cap. 2. his Euodij ver-

bis disputationem auspicatur : *Ineffabiliter me mouet quomodo fieri poßit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid, quàm Deus antè præsciuit, præscientiam Dei destruere insanißima impietate molitur.* QVAPROPTER SI PRÆSCIVIT DEVS PECCATVRVM ESSE PRIMVM HOMINEM, *quod necesse est concedat mihi quisquis mecum futurorum omnium præscium fatetur Deum: si ergo ita est, non dico non eum faceret, bonum enim fecit, nec obesse quicquam Deo posset peccatum eius, quem bonum ipse fecit: immo in quo faciendo bonitatem suam ostenderat, ostendit etiam in puniendo iustitiam, & in liberando misericordiam. Non itaque dico, non eum faceret: sed hoc dico, quoniam peccaturum esse præsciuerat, necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet necessitas?* Vides quæstionem esse de libertate primo homini ad peccandum necessaria, quam S. Augustinus contendit Diuinâ præscientiâ non violari. Quod profectò etiam ex Aduersarij opinione efficere non potest; quin ostendat Dei præscientiam non modò coactionem propriè dictam, sed ne simplicem quidem necessitatem Adamo ad peccandum imposuisse. Docet enim Aduersarius, & sæpe docet, primum hominem nec peccare, nec ob peccatum iustè puniri potuisse, si necessitate simplici ad peccandum fuisset impulsus. Ergo nouus Theologus S. Augustino illudit, cùm ait, illum hoc loco nihil aliud voluisse, quàm Dei præscientiam non inferre voluntati coactionem propriè dictam, de simplici verò necessitate, quasi illa hominis libertati nihil officeret, prorsus tacuisse.

Libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. 25. 21. 22. 23. & libro 1. cap. 4. 5. 6.

Sed esto, agatur tantùm eo loci de hominis lapsi libertate, quam Aduersarius simplici necessitate expeditam non putat. An inde firmior euadet eius argumentatio? Minimè verò. Contendit enim Augustinus homines verè peccare, & iustè ob peccata puniri, licèt

Deus eos peccaturos præsciuerit. Quod constat ex his Euodij verbis cap. 4. *Nondum video quomodo sibi non aduersentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iustum Deum necesse est fateamur, & præscium. Sed scire vellem, quâ iustitiâ puniat peccata, quæ necesse est fieri: aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit: aut quomodo non Creatori deputandum est quidquid in eius creatura fieri necesse est.* Atqui homo, etiam in statu naturæ lapsæ non peccaret, nec iustè à Deo puniretur, si Diuina præscientia, non coactionem quidem propriè dictam, sed simplicem illi necessitatem inferret. Quia vt Aduersarius docet libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. & 25. omnis peccandi necessitas, quæ ex concupiscentiâ aut ignorantiâ, quas à primo parente hæreditarias accepimus, non fluit, à peccato excusat. Ergo probat S. Augustinus non modò coactionem propriè dictam, sed ne simplicem quidem necessitatem à Diuinâ præscientiâ voluntatibus nostris imminere. Aut saltem falsò gloriatur sub finem huius disputationis se hîc demonstrâsse, *quâ iustitiâ Deus puniat peccata, quæ futura esse præsciuit.*

Quantam Augustinianæ disputationi labem Aduersarius inferat, constabit ampliùs, si eorum quibuscum S. Augustinus agit, opinionem recorderis. Non affirmabant illi Dei præscientiâ effici, vt volitio non sit volitio. Sed istud asserebant vnum, ex eadem præscientia eiusmodi necessitatem fluere, quæ fortuitis rebus pariter ac liberis esset inimica. Liquet illud ex Cicerone libro 2. de natura deorum suam opinionem ita proponente: *Mihi quidem videtur, neque in Deum cadere, vt sciat quod futurum est. Nam si scit, certè eueniet; quod si certò eueniat, nullus est casus neque fortuna; est autem fortuna: rerum ergo fortuitarum nulla præsensio.* Quis ita desipit, vt credat necessitatem illam fortuitis rebus infensam, quam ex præscientia Cicero formidabat, aliam

esse à necessitate simplici? Simile est Euodij argumentum, cui dissoluendo totam hanc de præscientia & libero arbitrio disputationem S. Augustinus impendit. Sic illud colligit cap. 3. *Si præscius est Deus peccaturum esse hominem, necesse est vt peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs ineuitabilis ac fixa necessitas.* Nulla hîc mentio coactionis internæ, sed tantùm necessitatis illius, quæ fortuitis rebus contingentiam, & liberis indifferentiam ad vtrumlibet eripit; quia *ineuitabilis* est ac *fixa*: ac proinde ita voluntatem ad vnum affigit, vt aliò deuolare nequeat. Confirmatur: non aliam Euodius in rebus à Deo præcognitis necessitatem petit, quàm quæ Dei præscientiam extra erroris periculum ponat, vt ex omnibus eius argumentis patet, quorum summam ita complectitur cap. 2. *Quisquis dixerit aliter euenire posse aliquid, quàm Deus præsciuerit, præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur.* At sola necessitas simplex Diuinam præscientiam extra erroris periculum ponit. Finge enim rebus præscitis necessitatem à Deo imprimi illi persimilem, quam clara & intuitiua Dei visio ad amandum Deum Beatis imponit: an erit quispiam, qui Diuinæ præscientiæ certitudini satis supérque cautum non putet? Certè Euodius, & profani Philosophi, quorum ille personam in hac disputatione sustinet, nihil postulabunt ampliùs, quia timendum non erit, ne aliquid aliter eueniat, quàm Deus præsciuerit.

Plusquam credi potest actum est à nobis, dum ostendimus Euodium, & profanos Philosophos, quorum ille causam agit, non peremptricem illam voluntarij coactionem, sed simplicem duntaxat necessitatem ex Diuina præscientia voluntatibus nostris formidâsse. Nam inde facilè colligitur, quàm ineptè, ac ridiculè cum iis ageret Augustinus, si, vt nouo Doctori placet, id doceret vnum, præscientiam Dei non impedire quo minùs volitio sit volitio. Obsecro te, erudite Le-

ctor, huc mentem aduerte. Contendit Euodius Dei præſcientiam humanæ voluntati *fixam & ineuitabilem* neceſſitatem afferre, quâ ad vnum ita conſtringatur, vt aliud velle non poſſit. Hanc obiectionem ex profanâ Philoſophiâ accerſitam vt confutet S. Auguſtinus, id pugnat vnum, præſcientiam Dei non inferre voluntati coactionem internam, quâ fiat vt volitio non ſit volitio. Hoccine eſt Euodij argumentum refellere? an nugari potiùs, aut præuaricari? Eſto, coactionem eiuſmodi Diuina præſcientia voluntati non imprimat. Quid illud Euodij argumento, quid Ciceronis, & Philoſophorum obiectioni incommodat? Nihil ſanè. Neque enim id eorum aliquis negauit vnquam, neque eos negâſſe tradidit Auguſtinus. Quid ergo tam multis probat quod ad quæſtionem non pertinet, quódque ſi efficiat, hoſtes ſuos nihil læſerit? Quid illud omittit, quod controuerſiæ caput eſt? Nimirum, falli eos, cùm aiunt ex Dei præſcientia fixam, & ineluctabilem in volitiones noſtras neceſſitatem deriuari? quódque niſi probauerit, vincet Cicero, vincent Ethnici Philoſophi, & ipſius etiam, quis credat? noui Doctoris iudicio vincent. Stabit enim quod vnum illi contendunt; nimirum, iuſtè puniri peccata non poſſe, quæ Deus futura præſciuit. Stabit, inquam, illud, & noui Doctoris iudicio firmiſſimè ſtabit; quia fatetur ipſe peccandi neceſſitatem, quæ ex Dei præſcientia manaret, peccatum excuſare.

Vana eſſet igitur, eneruis, & inepta tota hæc S. Auguſtini diſputatio, ſi, vt Aduerſarius contendit, id probaret vnum, Diuinâ præſcientiâ non effici vt volitio non ſit volitio. Sed aliam longè ſanctiſſimi Doctoris mentem extitiſſe, cùm integra diſputationis ſeries, tum ſingula eius argumenta apertè conuincunt. Probant enim illa nec Adami, nec aliorum hominum voluntatem ex diuina præſcientia ſimplici neceſſitate afflari. Primum petitur ex libertate ad vtrumlibet, quâ Deus

extra

extra se operatur, quæ profectò Diuinâ præscientiâ lædi non potest. *Nonne*, inquit, *caues ne tibi dicatur etiam ipsum quæcunque facturus est, non voluntate sed necessitate facturum, si omnis quorum Deus præscius est necessitate fiunt, non voluntate?* Quid efficacius dici potest, vt vincatur, libertatem illam ad vtrumlibet, quam primo homini Aduersarius concedit, diuinæ præscientiæ certitudine, non fuisse vulneratam? Secundum S. Augustini argumentum quod explicui superiùs, his verbis comprehenditur: *Cùm Deus sit præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius ipsa erit.* Recordare voluntatis nomen à S. Augustino contra Manichæos præsertim scribente sic vsurpari, vt necessitatem omnem excludat: & hoc argumento inuictè concludes, Adamum sine vlla necessitate peccasse; quia sine necessitate peccaturũ Deus præsciuerat. Tertium illustri exemplo continetur. *Sicut*, inquit, *memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda quæ futura sunt.* Nunquid illud efficit, Diuinam præscientiam simplicem ad peccandum necessitatem Adamo non imposuisse? Quid ergo Aduersarius clamat S. Augustinum hoc loco id vnum demonstrare, Diuinâ præscientiâ non effici vt volitio non sit volitio?

Hæccine est lux illa, quam S. Augustini doctrinæ attulisse dicitur? Nescio ego quid sit tantum Doctorem interpolare, & tela, quibus coniuratos Catholicæ veritatis hostes petit, retundere: si hoc non est. Et tamen Aduersarius hanc interpretationem suam nouæ de libertate opinionis fundamentum esse voluit. O ruinosæ opinionis ruinosius fundamentum! Si Augustinianæ disputationis scopum, si suam ipse sententiam inspexisset diligentiùs, ne ad leuem quidem opinionis nouæ confirmationem hunc locum adhibuisset. Nam licèt illi assentirer, S. Augustinum libertati vniuersim sumptæ, prout Deo, Angelis, & hominibus conuenit, solam coactionem opponere; fateri tamen ipse cogere-

tur, nihil huic sententiæ præsidij ex hoc S. Augustini loco accedere. Quia non hîc agit de qualibet libertate, sed de illa tantùm, quæ Adamo & lapsis hominibus necessaria est, vt peccare, & ob peccata iustè puniri possint. Quam libertatem cum Diuinæ prę scientiæ certitudine conciliare non potest, quin ostendat, ne simplicem quidem necessitatem Diuinâ præscientiâ voluntatibus nostris imponi. Dei enim præscientia, quod ex nouæ opinionis decretis certum est, libertatem illam non coactione tantùm internâ, sed etiam simplici necessitate illatâ perimeret.

Estne aliquid quod tam exploratæ veritati Aduersarius opponat? Vnum omnino: sed quod ille palmare arbitratur. Ait S. Augustinum hoc tantùm contendere, Diuinâ præscientiâ non impediri quin voluntas fiat cùm volumus. At idem est, inquit, voluntatem fieri cùm volumus, & illam esse volitionem; Ergo hoc vnum contendit, Diuinâ præscientiâ non effici quominùs volitio sit volitio. Nititur hæc obiectio celebri alterâ noui Doctoris cauillatione, cui euoluendæ sectionem integram placet impendere.

SECTIO II.

Refellitur altera Aduersarij cauillatio, quâ ait, volitiones prorsus omnes esse in libera voluntatis potestate; quia fiunt cùm volumus.

CLARA est per se se hæc quæstio, & expedita. nouus tamen Doctor tantùm argutiis potuit, ac præstigiis, vt, quod veneficæ factitare solent, sereno cælo nigrantem ac densam caliginem induxerit. Sic planè vt qui eius de ea re scripta legit, sibi obscura sub nocte per vmbras ingredi videatur. Quare laborandum mihi in primis est, vt dicendi perspicuitate, & rerum

ordine lucis aliquid huic loco accersam. Hoc si fecero, caliginosa Aduersarij argumenta, in quibus victoriæ spem collocat, natalibus cum tenebris sponte euanescent.

PARAGRAPHVS I.

Hæc S. Augustini definitio, Illud est in nostra potestate, quod fit cùm volumus, *à multiplici fuco purgatur.*

SI Augustinum audimus, inquit Aduersarius, illud est in nostra potestate, quod fit cùm volumus. Audimus verò, atque illud exploratum esse profitemur. Sed quid istud nouo dogmati commodat? nimirum inde sequitur amorem beatificum esse in potestate Beatorum; quia fit cùm volunt: productionem Spiritus sancti esse in potestate Patris ac Filij; quia est, cùm volunt. nam cùm voluntate seu volentes producant, sanè producunt cùm volunt: denique volitiones omnes etiam necessarias esse in nostra potestate, quia fiunt, cùm volumus. Qui hæc legis, mirum si bilem continere potes. Quid enim? an non hîc tibi vniuerso videtur humano generi illudere, qui sic argutiarum fuligine notissimam liberæ potestatis notionem obscurat. Quis vnquam homo hæc verba: *Illud est in potestate mea, quia fit cùm volo*, vsurpauit alia mente, quàm vt indicaret se id, de quo loquitur, nulla necessitate facere, aut velle facere: sed posse facere, & posse non facere: necnon pariter posse velle, & posse non velle facere. Id vsque adeo certum, vt nulla hactenus tam apertæ veritati doctorum paucitas, nulla indoctorum turba reclamarit.

Libro 6. de Grat. Christi cap. 5. 35.

Confirmatur primò: Ex publicâ humani sermonis consuetudine hæc propositio: *Illud est in potestate nostra, quod cùm volumus, facimus*, oppositam quoque in-

cludit, *& cùm nolumus, non facimus.* vnde S. Augustinus, & si aliquando vnam tantùm oppositionis partem commemoret, quòd ex communi vsu aliam etiam inuoluat: sæpiùs tamen vtramque exprimit, & coniunctas profert, vt magis exquisitam liberæ potestatis notionem tradat. sic l. de spiritu & litt. cap. 31. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Et l. 3. contra Felicem cap. 3. *qui legem seruare non vult, in potestate eius est seruare si velit.* Quod & aliis in locis obseruauit, à me superiùs sectione 1. §. 1. indicatis. qui omnes persuadent apud S. Augustinum, idem esse quod fit cùm volumus, &, quod fit, cùm ita volumus, vt possimus non velle.

Confirmatur 2. promiscuè vsurpantur à S. Augustino ad liberam potestatem explicandam *cùm volumus*, &, *si volumus*: at particula dubitatiua, *si*, cùm suspensum, & indifferentem voluntatis nutum significet, tunc tantùm adhibetur, quando voluntas neutri addicta parti, in vtramuis inclinare potest. si autem vni sit necessariò affixa, non dicitur *si velit*, quia dubium non est, quin velit. sic de Patre & Filio non dicitur: Possunt producere Spiritum sanctum, si velint; quia dubium non est, quin hoc velint, cùm necessariò velint. At de Deo dicitur: Potest creare mundum alterum si velit; quia cùm hoc velle possit, & non velle, dubitari potest an velit; ergo à pari tunc tantùm dicitur *hoc fit cùm volumus*, cùm illud non necessariò volumus.

Cuius rei primariam rationem paulò altiùs repeto. Solent homines à notioribus ad ignota assurgere, & per illa quæ certissimè sciunt esse in nostra potestate, ea cognoscere de quibus non ita constat. Quod vt fiat, duo requiruntur. Primum, vt prius illud ex quo aliud metimur, sit in nostra potestate. Secundum, vt aliud ex isto ita pendeat, vt hoc posito statim fiat, non posito non fiat. Ita princeps qui satellites dicto audientes habet, quibus imperauit vt statim atque

innuerit, captiuum interficiant, dicere potest: Liberum est mihi huic captiuo vitam eripere; quia si innuero, statim interficietur. Quod cùm ait, probat sibi esse liberam captiui mortem, quia nutus ex quo illa pendet, sibi maximè liber est. At si ponas dæmonem, vel Angelum principis, de captiui morte nihil cogitantis, caput mouere, & fatalem illum nutum edere, mors captiui, quæ statim sequetur, non erit principi libera. Quia licèt illo annuente interfectus sit, nutus tamen ille in eius potestate non fuit. Ergo cùm ait, liberum est mihi huic captiuo vitam eripere, quia si innuero interficietur, supponit sibi liberum esse innuere, & non innuere; idémque est, ac si diceret, quia si liberè innuero interficietur. Iam ad rem propiùs accedamus. Vt solent homines ex nutu, quem maximè sibi liberum esse sentiunt, externarum rerum, quæ alterius sibi subditi operâ fiunt, libertatem metiri: ita illas quæ à se tantùm pendent, ex voluntatis libertate æstimant, dicúntque: *Illud est in nostra potestate; quia fit cùm volumus*, supponentes nimirum, esse in sua potestate velle, & non velle. At si ponantur necessariò velle; iam quod sequitur illam voluntatem, non est ampliùs in eorum potestate; vt cùm ponuntur necessariò innuere, quod ex illo nutu pendet, non est ampliùs in eorum potestate. Quare quod aiunt, illud est in potestate; quia fit quando volumus: idem est ac si dicerent, quia fit quando liberè, & cum indifferentia volumus. Vna hac obseruatione nouæ opinionis fuligo discutitur. Nam licèt Beati Deum ament: & Pater & Filius Spiritum sanctum producant, quando volunt; tamen actiones illæ in eorum potestate non sunt, quia non fiunt, quando liberè, & cum indifferentia volunt.

Continere non potuit nouus Doctor quin hîc quoque causam suam proderet. Docet l. 6. de gratia Christi c. 5. motus voluntatis indeliberatos non esse in nostra potestate. At ne quis ex eius pronunciatis ita ob-

iiceret: Illud est in nostra potestate quod fit cùm volumus: Motus indeliberati voluntatis fiunt cùm volumus; fiunt enim volendo, seu voluntate: ergo motus indeliberati voluntatis sunt in nostra potestate: continuò occupat, aitque motus illos non fieri cùm volumus. *Tunc enim*, inquit, *velle aut nolle dicimur, non cùm illis motibus percellimur, sed cùm illis assentimus, aut dissentimus.* Dici non potest quantam hac assertione suo dogmati perniciem intulerit. Nam inde colligitur ad liberam potestatem satis non esse, vt qualibet volitione velimus, sed illam requiri quæ propriè voluntas est, quæque strictè loquendo volentes denominat. Vnde sequitur Beatos Deum non amare quando volunt: & Patrem ac Filium Spiritum sanctum non producere, quando volunt. Quia vt paulo antè multiplici SS. PP. auctoritate demonstraui, amor beatificus, & productio Spiritus sancti, cùm non oriantur à voluntate vt voluntas est, sed vt natura, non sunt propriè voluntates, nec volentes denominant. Quamobrem S. Thomas q. 2. de potentia art. 3. quod SS. Patres, atque adeo ipse S. Augustinus aduersus Arrianos statuebant, Patrem æternum neque volentem, neque nolentem genuisse, sed naturâ: illud ipsum de Patre ac Filio respectu Spiritus sancti docet: nimirum, neque volentes, neque nolentes produxisse, sed naturâ. Indidem sequitur amorem sui in Deo, non produci cùm vult; quia non oritur ab eius voluntate, vt voluntas est, sed vt natura. Quæ omnia superiùs fusè admodum, ac validè probauimus.

Quamuis ista sufficiant ad depellendam nouæ opinionis caliginem, & incredibiles tricas, quibus hanc quæstionem implicat, expediendas: libet hîc tamen pressiùs insistere, ac latebras eius omnes, & angulos scrutari, vt ex hoc quasi specu eiecta, lucem, quam refugit, pati cogatur. Fiet hinc paulò prolixior disputatio, sed prolixitas integra, vt spero, victoria pensabitur.

Obſeruandum 1. hæc S. Auguſtini verba, *voluntas ſit cùm volumus*, duplicem interpretationem pati. Prima eſt, voluntas fit, cùm volumus aliquid: ita vt verbum *volumus* non habeat pro obiecto volitionem ipſam, ſed aliquid aliud. Quomodo dicimus, viſio fit cùm videmus, nempe cùm videmus obiectum externum, non verò viſionem ipſam. Secunda eſt: voluntas fit cùm volumus illam fieri, ſeu cùm volumus velle.

Prima concluſio: cùm S. Auguſtinus ait: *voluntas eſt in noſtra poteſtate, quia fit cùm volumus.* Priore ſenſu non ſunt accipienda hæc verba, *cùm volumus*: ſed poſteriore. Probatur 1. quia ita accipiuntur eadem verba cùm hanc liberæ poteſtatis definitionem rebus externis accommodamus. Sic dicimus, motus pedis eſt in mea poteſtate; quia fit cùm volo, id eſt, cùm volo illum fieri. Probatur 2. ex S. Auguſtino. *Non dicimus*, inquit l. 2. retract. c. 1. *eſſe in noſtra poteſtate, niſi quod cùm volumus fit: vbi priùs, & maximè eſt ipſum velle. ſine vllo quippe internallo temporis præſto eſt voluntas ipſa, cùm nolumus.* Quo loco, vt nemo non videt, verbum illud *volumus* imperium aliquod importat, ad quod voluntas, ſeu volitio, ſtatim præſto ſit: ergo illam reſpicit, ac proinde ſenſus eſt: præſto eſt voluntas, cùm volumus illam eſſe. Probatur 3. quia aliàs liberæ nolitiones non eſſent in noſtra poteſtate: neque enim fiunt, cùm volumus, primo illo ſenſu, ſed potiùs cùm nolumus. Quo loco non leuis Aduerſarij ceſpitatio paucis caſtiganda eſt. Ait l. 6. de gratia Chriſti c. 35. Beatos poſſe ceſſare ab amore Dei: at id eos nolle. Quam nolitionem eſſe in eorum poteſtate probat his verbis: *Quæ nolitio quia ſemper cùm nolunt præſto eſt, & maximè ſemper præſto eſt, hinc maximè quoque eſt in eorum poteſtate, & maximè libera.* Quid hoc monſtri? probat nolitionem eſſe in poteſtate; quia fit cùm nolunt. Hinc ſequitur potiùs non eſſe in poteſtate; nam vt millies inculcat, ac præſertim cap. 5. eiuſdem libri, *liberum non eſt quod fit cùm nolumus*: at illa no-

litio fit cùm nolunt, ergo libera non est.

Hîc quæso gradum siste, & in nouam opinionem oculos reflecte. An non videtur tibi primo illo, quem refellimus sensu, S. Augustini verba interpretari, cùm ait *volitionem omnem esse liberam, quia fit cùm volumus?* Multa sanè id persuadent. Primò, quòd eius auctor l. 6. de gratia Christi cap. 4 5. 6. in quibus istam quæstionem pensiculatè examinat, ne semel quidem monet, hæc verba, *voluntas fit cùm volumus*, sic esse exponenda: *fit cùm volumus velle.* Imò ita loquitur semper, vt nemo dubitet huius propositionis sensum esse, voluntas fit cùm volumus obiectum. Atque illud ipsum est quod minùs cautis negotium facessit: nam cùm audiunt aliquem ex illâ sectâ magnificè intonantem: Ex Augustino illud est in potestate nostra, quod fit cùm volumus. Tum ita assumentem: At Beati Deum amant cùm volunt, quia amare est quoddam velle. Hîc hærent attoniti, & latentem in ambigua huius vocis *cùm volunt*, significatione fraudem non vident.

Secundò, quia ideo probat nolitionem esse liberam, quòd fiat cùm nolumus. Quo loco illud *nolumus*, non respicit ipsam nolitionem, ita vt sensus sit: nolitio est libera, quia fit cùm nolumus illam esse; ergo neque cùm ait: volitio est libera, quia fit cùm volumus: sensus est, quia fit cùm volumus illam esse. Non diffiteor Aduersarium nonnunquam innuere, requiri ad volitionem liberam, vt fiat cùm volumus velle. Sed familiare est illi pugnare secum, & ad fucum faciendum, affirmare & negare, texere ac retexere. Neque verò id cùm dicit, sincerè dicit, ac sine fraude; quam vt retegam,

Obseruandum 2. duobus id modis intelligi posse, *voluntas libera fit cùm volumus velle.* Nam primò volumus velle consequenter, ac reflexè. quando nempe productum amorem consideramus, placétque nobis, ac volumus sic velle. Ita Beati reflexo amore amorem suum probant. Secundò volumus velle antecedenter,

aut

aut quasi antecedenter, quando ideo volumus, quia volumus velle.

Secunda conclusio. Hæc S. Augustini verba, *voluntas est in nostra potestate, quia fit cùm volumus*, non ita sunt interpretanda, quia fit, cùm actu reflexo illam volumus. Probatur primò: actus ille reflexus est posterior volitione liberâ; ergo nihil potest conferre ad eius libertatem. Probatur secundò ex S. Augustino qui l. 3. de libero arbitrio cap. 3. voluntatem liberam esse sic probat: *Nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo internallo, mox vt volumus, præsto est.* Quæ posteriora verba apertè indicant illud, *cùm volumus*, non fieri per actum consequentem, ac reflexum; sed potiùs se habere quasi antecedenter ad voluntatem liberam, quæ ideo in nostra potestate sita dicitur, quòd nostro quasi imperio euocata, continuò præsto sit. Probatur tertiò à priori ex lib. de spiritu & littera cap. 31. vbi S. Augustinus docet liberam potestatem ex duplici parte, potestate nimirum, ac voluntate ita conflari, vt voluntas sit quasi forma, quâ libera potestas completur, ita vt si accedat, continuò fiat quod est in potestate. *Quid igitur*, inquit, *vltrà quærimus, quandoquidem hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi. vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit.* Quod lib. 1. retract. c. 22. breuiùs contrahit, *In nostra potestate non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem*; Ergo volitiones liberæ, quæ sunt in nostra potestate, non præcedunt, sed potiùs sequuntur voluntatem, quâ volumus illas esse, & idcirco fiunt, quia illas fieri volumus, vt ex his verbis manifestè colligitur, *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit.* nam particula illa, *si*, apposita verbo, *vult*, non purè conditionalis est, sed causalis locum obtinet.

Hærendum hîc rursus, & Aduersariorum fraudes discutiendæ. Aiunt nihil esse certius, quàm Pa-

trem ac Filium producere Spiritum sanctum cùm volunt, adeóque cum liberâ potestate. Verùm illud est verborum decipulas, & aucupia struere. Quo sensu Pater & Filius Spiritum sanctum producunt, cùm volunt? Duplici tantùm, quorum neuter ad liberam potestatem pertinet. Primus est, quòd producant amantes inuicem, ac proinde volentes: nam amare quoddam est velle. Secundus est, quòd veluti reflexè productionem Spiritus sancti probent, ac velint. Fateor vtroque hoc sensu Patrem ac Filium Spiritum sanctum producere cùm volunt, sed inde colligi non potest productionem illam esse in libera potestate, vt ex duplici conclusione iam posita nimio plus claret. Et verò, quis non videt quàm callidè hoc loco, quámque veteratoriè S. Augustini auctoritate Aduersarij abutantur? Ponunt primò ex sancti Doctoris mente illud esse in potestate nostra, quod fit cùm volumus. Quæ verba cùm multiplicem interpretationem pati possint, nec nisi vno sensu veritatem habeant, id ne lectores subodorentur, ludunt inani argutiarum pompa, & ancipitem verborum notionem, quam, si bona fide agerent, enodare debuerant, implicant magis, & inuoluunt: vt persuadeant liberum illud esse, quod aliquo sensu fit quando volumus. Secundò, vociferantur nihil esse certius quàm Patrem ac Filium Spiritum sanctum producere, quando volunt, atque inde triumphabundi concludunt Patrem ac Filium habere in libera potestate productionem Spiritus sancti. Quis tam imbelle, támque obtusum argumentandi genus ferat?

Obseruandum 3. duplici quoque sensu intelligi posse volitiones liberas fieri, cùm antecedenter, aut quasi antecedenter volumus illas fieri. Primò, ita vt sensus sit, cùm actu distincto & antecedenti illas imperamus. Secundò, cùm voluntas nullâ præuiâ volitione distinctâ, sed per se ipsam determinat se ad volendum, sibíque quodammodo imperat, vt velit.

Tertia conclusio. Licèt ad volitionis alicuius libertatem opus non sit, vt per aliam distinctam & antecedentem imperetur: tamen volitio omnis, quæ per aliam imperata continuò fit, libera nobis est, & in nostra potestate: & quæ sic imperata, continuò nón fit, libera non est, nec in nostra potestate. Probari meliùs non potest hæc conclusio, quàm si dilucidè explicetur. Diuersa sunt illa duo, voluntas libera est in nostra potestate; quia quando per voluntatem antecedentem illam imperamus, continuò fit: & istud, voluntas libera est in potestate; quia quando fit, per voluntatem antecedentem imperatur. Primum verum est, secundum falsum. Sequeretur ex secundo, voluntatem omnem liberam, per aliam antecedentem imperari, nec esse liberam nisi ratione illius à qua imperatur: quod falsum esse satis commodè probat Aduersarius cap. 35. Ex primo idem non sequitur; sed illud tantùm, voluntatem omnem quæ per aliam imperata continuò ad eius imperium existit, esse liberam; quod verissimum est. Quia licèt illud formalis causa non sit liberæ volitionis, est tamen certissimum eius indicium. Adeóque si fingam, voluntatem, cùm eam volitionem, de cuius libertate inquirimus, non habet, imperare sibi per actum distinctum, vt eam exerat, vel quando eam habet, imperare sibi, vt premat. Si volitio vi illius imperij vel exeritur, vel premitur: rectè colligam, ergo voluntas illam habet in sua potestate. Hæc mihi Aduersarius assentitur l. 6. de gratia Christi cap. 5. *Vna*, inquit, *voluntas seu volitio, aliam imperare potest voluntatem, quæ idcirco libera nobis sit; quia in potestate nostra; & idcirco in potestate nostra, quia sequendo imperantem voluntatem elicimus eam, cùm volumus, & cùm nolumus non elicimus.*

Adhuc figendus hîc gradus, & Aduersarij abstergenda calumnia. Ait l 6. de gratia Christi cap. 35. Doctores Scholasticos volitionis libertatem, alia semper volitione metiri, quæ hanc imperet. *Motuum*, inquit, *volendi*

libertatem alia voluntate quàm se ipsa metiri volunt, vt sic videlicet in metienda libertate volitionis, nunquam in ipsa illa volitione maneamus, sed sine fine sursum semper ad alteram ascendamus; ratione cuius hæc postrema sit libera, dum priorem sequitur aut non sequitur, prout iusserit aut vetuerit. Iste imaginandi modus citra dubitationem in Augustini principiis, secundùm quæ hîc semper loquitur, falsus est. Quos hîc Theologos Aduersarius carpit? non eos certè quos paulo antè tanta ambitione in opinionis suæ communionem asciscere conatus est. Non veteres, inquam, illos quorum se vestigiis ingredi profitetur. Sunt igitur ex recentioribus aliqui, atque ex iis maximè, vt eodem loco insinuat, qui libertatis indifferentiam præ cæteris defendunt. Sed cur eorum nomina non appellat? An indicare voluit Suarem, Vasquem, Bellarminum, Lessium, Molinam, quos ex omnibus Theologis præcipuè selegit, vt eorum scripta arroderet, quósque ad marginem citare solet, cùm in Scholasticos atrociùs inuehitur. An, inquam, indicare voluit eiusmodi Theologos docere, nullam esse volitionem liberam, quę non aliâ distinctâ, & antecedenti volitione, à quâ libertatem trahat, imperetur? At id eorum nullus aut docuit, aut scripsit. Calumniatur ergo, si tam absurdam opinionem doctissimis viris imponit, vt eos in inuidiam vocet. Inde verò tam atrocis calumniæ occasionem fortasse sumpsit, quòd eorum aliqui tradiderint, volitionem illam esse in nostra potestate, quæ ab alia antecedenti imperata, continuò sequitur, quod ab illis verè dictum est, nec nisi à calumniatore in eum, quem Aduersarius exagitat, sensum trahi potest.

PARAGRAPHVS II.

Traditur accuratè, quid in liberæ potestatis definitione hæc verba significent, cùm volumus, *atque inde conficitur volitiones necessarias non esse in libera potestate.*

EXCVSSI hactenus ambiguam huiusce definitionis notionem, *voluntas est in potestate; quia fit cùm volumus*, & insidias omnes, quas in variis eius acceptionibus nouus Doctor abdiderat, in lucem protuli. Nam ostendi primò, ad liberam volitionem non sufficere, vt fiat cùm simpliciter volumus, sed requiri, vt fiat cùm volumus velle. Secundò, eodem nihil pertinere, vt volitio fiat, cùm actu reflexo, & consequenti volumus velle. Tertiò, neque etiam ad volitionis libertatem requiri, vt actu antecedenti & distincto imperetur. Nunc ad nouam opinionem penitus opprimendam, duo restant quærenda. Primum est, quo igitur sensu volitiones, quæ in nostra potestate sunt, fieri dicantur cùm volumus. Secundum, an volitiones necessariæ eodem sensu fiant cùm volumus: vtrumque coniunctim exequar.

Dico igitur liberas volitiones idcirco esse in nostra potestate, & fieri cùm volumus, quia voluntas nulla antecedenti necessitate constricta ita illas elicit, vt easdem possit continere. Clariùs dicam, cùm liberæ potestatis definitio ad volitiones non imperatas accommodatur, τὸ, *cùm volumus*, non expressum aliquem voluntatis actum denotat, quo velimus velle; sed liberam tantùm, & omni solutam necessitate voluntatis determinationem, quâ se ad volendum ita applicat, vt possit non applicare. Quæ libera determinatio virtualis quædam est & interpretatiua volitio, quâ voluntas

vult velle, & idcirco actus, quem infert, fieri dicitur cùm volumus. Eodem sensu dicitur voluntas posse nolitionem exercere, cùm voluerit: vel etiam posse omnem actum suspendere, cùm voluerit; quia nimirum τὸ, *cùm voluerit*, non expressam aliquam volitionem designat, sed liberam tantùm voluntatis determinationem, quâ omnibus ad agendum præsidiis instructa, nutu suo ad agendum, aut non agendum se flectit.

Probari validiùs hæc assertio non potest, quàm si ostendam in aliis omnibus, quæ pariter voluntas habere in potestate dicitur, non alio sensu τὸ, *cùm volumus*, ex communi Philosophorum, Theologorum, & ipsius etiam Aduersarij opinione explicari. Lustranda ergo ea omnia, quæ immediatè voluntatis potestati subiiciuntur, vt ex iis efflorescat generalis notio liberæ illius potestatis, quæ voluntati propria est, quáque proinde potestas illa, quam in liberas volitiones habet, velut in genere suo comprehendatur. Ac primò occurrunt habitus voluntatis, qui eius ditioni atque imperio immediatè subduntur, nam vt vulgò Philosophi atque Theologi definiunt post Commentatorem in librum 3. de anima, & S. Thomam 1. 2. quæst. 4. art. 3. Habitus est, *quo quis agit cùm voluerit*. Quis porrò neget hanc sententiam: *voluntas habet in potestate sua volitiones liberas, quia cùm vult eas producit*, esse isti persimilem: *voluntas habet in potestate sua habitus suos, quia cùm vult illis vtitur*. At nouus Doctor libro 5. de Hæresi Pelagiana cap. 19. Et libro de gratia primi hominis cap. 15. docet in hac vltima propositione τὸ, *cùm vult*, liberam illam voluntatis determinationem significare, quâ habitum ad producendam secum volitionem ita applicat, vt possit non applicare. Ergo & in prima τὸ, *cùm vult*, liberum voluntatis nutum designat, quo absque vlla necessitate ad volendum se applicat. Et quemadmodum Aduersarius ex communi Philosophorum,

ac Theologorum sensu docet, voluntatem, si necessariò vteretur habitu suo, non habituram illum in potestate: neque de illa dici posse, *cùm vult vtitur habitu*, licèt eo non vteretur nisi volendo: ita & ego pugno, voluntatem non habere in potestate volitiones illas, quas necessariò producit, neque illas producere cùm vult, licèt non producat nisi volendo.

Simile argumentum duci potest ex eius doctrina de concursu Dei ad volitiones naturales exercendas necessario. Negat enim ille physicam prædeterminationem libro 8. de gratia Christi cap. 2. pugnátque Dei concursum ad volitiones naturales exercendas necessarium, ex indole sua indifferentem esse, eóque voluntatem vti, si velit: non vti, si velit. Quod ita exponit libro 5. de Hæresi Pelagiana cap. 19. vt τὸ, *si velit*, liberam determinationem voluntatis respiciat, quâ Dei concursum ita ad agendum applicat, vt possit non applicare. Ergo & in præsenti negotio idem significat τὸ, *si velit*. Nemo est enim, qui, si communem sensum consulat, non fateatur, hanc S. Augustini propositionem: *voluntas est in nostra potestate, quia si volumus, est: si nolumus, non est.* eundem cum ista sensum habere: *Concursus Dei generalis est in nostra potestate, quia si volumus eo vtimur, si nolumus non vtimur.* Quapropter quemadmodum Aduersarius ait, posita prædeterminatione physica voluntatem non habituram in potestate concursum Dei generalem, neque de illa verè dici: potest vti concursu Dei, si velit: & non vti, si velit. quia necessariò vteretur. Ita & ego contendo, volitiones quæ naturali necessitate prosiliunt, non esse in voluntatis potestate, neque verè istud affirmari, voluntas si vult illas volitiones producit: si non vult, non producit. Quia nimirum necessariò illas producit.

Illustrabitur ampliùs hæc assertio ex iis quæ Aduersarius tradit libro de gratia primi hominis cap. 14. & 15. & libro 2. de gratia Christi cap. 4. 5. 6. 7. 8.

Quod enim toto passim opere toties inculcat, gratiam Adami in libera eius potestate fuisse positam, ita explicat, vt nihil aliud esse velit, quàm huius gratiæ vsum *ita poni in arbitrio voluntatis, vt illa vtatur, aut non vtatur: vt illud amplectatur, aut deserat: vt illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit.* Neque hîc τὸ, *si voluerit*, eodem interpretatur modo, quo cùm ait esse in potestate voluntatis, vt gratiæ necessitatem inferenti dissentiat, si voluerit; sed eo, quem verba præ se ferunt, quémque probamus, sensu: nimirum, statuit illam gratiam non afferre agendi necessitatem, sed eâ positâ adhuc esse integrum voluntati agere, aut non agere, &, vt loquitur l. de grat. primi hominis cap. 14. *in eius arbitratu, nutu, ac voluntate non minus esse situm, vti illo adiutorio, quàm non vti: acceptare illud, quàm repellere: illi consentire, quàm dissentire.* Vnde ait voluntatem in illo priori antequam agat, quodam quasi in æquilibrio constitui, nec in vnam partem, nisi nutu suo propriáque determinatione, propendere. Quam voluntatis determinationem ab omni necessitate expeditam, appellat *momentum, flexum, nutum primum in actionem, arbitratum, applicationem ad agendum.* Eámque explicari docet per illa verba, *si velit, cùm voluerit.* Itaut ex eius mente, voluntatem posse vti illa gratia, si velit, idem sit ac voluntatem positâ illâ gratiâ posse determinare se ad agendum, vel ad non agendum. Sic ille exponit quid sit voluntatem habere in potestate hanc gratiam, eáque vti si velit. Negátque voluntatem habere hoc sensu gratiam *irresistibilem* in sua potestate, quia illa necessariò vtitur. Hanc eius explicationem ita probo, vt eam velim ad communem liberæ potestatis notionem pertinere: adeóque hanc S. Augustini definitionem: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit*, cùm ad actus voluntatis non imperatos transfertur, eodem esse explicandam modo, quo Aduersarius suam hanc propositio-

positionem exponit: *Gratia sanitatis est in potestate liberi arbitrij, quia si vult, illâ vtitur: si non vult, non vtitur.* Ita vt vtrobique τὸ *si vult*, liberum & omni necessitatis vinculo expeditum voluntatis nutum significet.

Nugabitur verò qui, vt huius argumenti vim abrumpat, méque auocet aliò, mentionem hîc ingeret discriminis inter vtramque gratiam: nam istud modò non agitur: integrum postea caput huic difficultati impendam. Nunc id vnum quærimus, quæ sit his vocibus, *cùm volumus*, *si volumus*, subiicienda notio, quando voluntati tribuuntur, respectu earum rerum, quæ immediatè eius ditioni subiiciuntur, quásque proinde distincta, & expressa volitione non imperat. Quam ego notionem vt inuestigem, ea sigillatim expendo, quæ, ex ipsius Aduersarij consensu, immediatè voluntatis potestati subduntur: nimirum, habitus, concursum Dei generalem, & gratiam sanitatis. Cúmque ille fateatur, voluntatem idcircò illa omnia habere in potestate, iísque vti cùm vult, & non vti cùm vult; quia absque vlla necessitate iis vtitur, aut non vtitur: sic prorsus vt vox illa, cùm vult, liberam tantùm voluntatis determinationem significet, quâ absque vlla necessitate ad iis vtendum, aut non vtendum se determinat: hinc colligo non alium esse huius vocis sensum, cùm dicitur: voluntas habet in potestate sua volitiones liberas, quia cùm vult, eas producit. Atque vt ille contendit, dici non posse, voluntatem habitu suo, vel concursu generali, vel gratia sanitatis vti cùm vult, si necessariò vtatur; ita & ego pugno, illam non producere volitionem aliquam cùm vult, si producat necessariò. Quis liberæ potestatis notionem vestigans hanc explicationem, quæ facilis est, ad vulgi captum, & doctiorum intelligentiam accommodata, S. Augustini verbis consentanea, & Theologorum omnium, atque Philosophorum sensu comprobata respuat, vt aliam consectetur, ex vnius homi-

nis fabricatam sensu, nec minus cum Philosophia atque Theologia, quàm cum S. Augustini disputatione pugnantem.

Secundò inde probari hæc assertio potest, quòd volitionem liberam fieri si volumus, seu, cùm volumus, idem sit, ac fieri quia volumus, vt Aduersarius ipse concedit libro 6. de gratia Christi cap. 35. & ex pluribus S. Augustini testimoniis colligitur, ac præcipuè ex illo loco libri tertij de libero arbitrio de quo iam dudum digladiamur. Quid est porrò volitionem liberam fieri quia volumus? Aliud profectò nihil, quàm voluntatem antecedenti necessitate expeditam suo se nutu ad illam eliciendam flectere. Sic prorsus vt interroganti cur velit: aliud responderi nequeat, quàm istud: quia vult. Neque enim afferri potest alia superior ratio, quâ fiat vt velit. Ita sciscitanti, cur Adam peccauit? respondendum est, quia voluit, atque hîc hærendum. Nihil enim aliud antecedens fuit in causa cur voluerit. Longè aliter euenit in volitionibus necessitate expressis, in quibus vltima & adæquata ratio cur fiant, est ipsa necessitas antecedens. Sic Beati Deum non amant, quia volunt; sed quia clarè & intuitiuè illum vident. Nam Dei visio est vltima & adæquata ratio cur amant. Pater etiam & Filius non producunt Spiritum sanctum, quia volunt, sed, quia sunt. Quò pertinet subtilis illa Iustini disputatio quæstione 3. ad Græcos, quorum aliqui arbitrabantur Deum ex necessitate naturæ agere ad extra: sic illos confutat: *Si Deus facit, quia est, necessariò facit: sin facit, quia vult, liberè facit. Liberè enim faciens facit quantum vult, & qualia vult, & quando vult.* Vnde concludit: Deum non agere *quia vult, si agit quia est.* At Pater & Filius producunt Spiritum sanctum quia sunt, siquidem naturaliter producunt; ergo non producunt, quia volunt. Hæc plurimùm illustrantur ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 10. a. 1. quam ita Caietanus in cun-

dem locum exponit: *Causa libera vt sic non est talis causa, qualis est natura. Hæc enim est causa, quia est, ac per hoc, est causa determinata ad vnum. Illa verò causat quia vult, ac per hoc, est causa libera ad vtrumlibet.* Tum: *voluntas vtriusque causæ rationem habet. Nam quatenus res talis est, per modum naturæ causalitatem habet, quidquid enim causat aliquid, quia talis res est, naturaliter causat illud. Quatenus verò electiua est, per modum proprium, id est liberè à proposito ad vtrumlibet causalitatem habet. Quidquid enim causat, quia vult, liberè causat.* Ergo voluntas humana, quæ vt ait S. Thomas in corpore articuli, *in bonum in communi naturaliter tendit*, non illud amat, quia vult, ac proinde neque cùm vult. Voluntas etiam Diuina, quæ Spiritum sanctum naturaliter producit, non illum producit quia vult; atque adeo neque cùm vult.

Sed nihil æquè hanc explicationem commendat, ac singularis eius consensus cum illa S. Augustini disputatione, ex qua hæc est accersita liberæ potestatis definitio, quæque, vt superiori sectione ostendimus, immani corruptela ab Aduersario laceratur. Nam primò quod initio illsius libri tertij de libero arbitrio S. Augustinus docet: *Motum illum quo voluntas ab incommutabili bono auertitur*, non fore *voluntarium, & in nostra potestate, si eius natura talis sit, vt eo necessariò moueatur.* Illud, inquam, quod nouam opinionem manifestè perimit, quàm facilem habet, quámque expeditam in hac sententia explicationem? Nimirum, si motus ille naturali necessitate existeret, voluntas illum produceret quia est, non quia vult, ac proinde non fieret cùm volumus, nec esset in nostra potestate. Quemadmodum ex Aduersarij opinione, si voluntas vteretur necessariò habitibus suis, non eos haberet in potestate, nec dici posset: *Iis vtitur cùm vult*, licèt non vteretur nisi volendo. Deinde S. Augustinus contendit idcirco Diuinâ præscientiâ non violari libertatem illam, quæ

primo homini, & nobis ad peccandum necessaria est, quia præscientia non impedit quominùs voluntas, quâ peccamus sit in nostra potestate, fiátque cùm volumus. Quæ verba in opinionem suam trahere Aduersarius non potest, quin integram S. Augustini disputationem neruis ac robore spoliatam eius hostibus ridendam propinet. At illa quantum ex nostra explicatione lucis, quantum roboris accipiunt? Nimirum, sensus est idcirco præscientiam non lædere libertatem ad peccandum necessariam, quia non imprimit voluntati antecedentem necessitatem, quæ illam ad vnum affigat; Quemadmodum si dicerem, Diuinâ præscientiâ non impedit quominùs habitus, concursus Dei generalis, & gratia naturæ integræ sint in voluntatis potestate, iísque vtatur cùm voluerit: hoc profectò ex Aduersarij opinione affirmarem: Dei præscientiam homini antecedentem necessitatem non imponere, quæ efficiat vt voluntas habitibus, concursu generali, aut gratiâ sanitatis necessariò vtatur.

Atque hac interpretatione positâ, sua constat Augustinianæ disputationi vis. Nam primò inuictè illud demonstrat, quod controuersiæ caput est, quódque vnum Euodius, & profani Philosophi, quorum ille partes agit, negabant: nempe, simplicem ex Dei præscientia in voluntates nostras necessitatem non deriuari. Deinde, clarissimè etiam efficit, iustè Deum punire peccata, quæ futura præsciuit. Hæc, inquam, duo quibus quæstionis cardo vertitur; quæque S. Augustinus susceperat probanda, manifestè demonstrat, si hæc eius verba, *cùm volumus*, dicto iam sensu exponantur. At si iisdem notio alia affingitur, inanis est, ac ridicula tota hæc Sancti Augustini disputatio, vt superiori sectione ostendimus. Quis igitur hanc liberæ potestatis explicationem, quam Augustinianæ disputationis apices ferè singuli exigunt, quam Philosophi omnes, ac Theologi probant, quámque Ad-

uersarius ipse respuere non ausit, quin plurima opinionis suæ placita conuellat: quis, inquam, hanc explicationem repudiet, vt aliam amplectatur, quæ integram S. Augustini disputationem labefactat, quæ communem mortalium omnium sensum percellit, quæ certiora moralis Philosophiæ principia subruit, quæque nec intelligi, nec explicari potest?

Fregimus tandem formidabilem illam machinam, quam tanto verborum sententiarúmque apparatu, ex hoc S. Augustini loco, *voluntas fit cùm volumus*, nouus Theologus extruxerat. Et ita fregimus, vt ex eius decretis firmiora ad illam labefactandam argumenta ducta sint. Placet indidem dilucidam nostræ sententiæ explicationem arcessere. Nam fatale nouo Doctori est, vt nobis arma, ad suam opinionem configendam; ita & lucem, ad nostram confirmandam suppeditare. Docet, vt antè retuli, his in sententiis: *Gratia sanitatis est in potestate liberi arbitrij, quia illa vtitur, cùm vult, & cùm vult non vtitur.* Item: *Habitus voluntatis sunt in eius potestate, quia illis vtitur cùm vult, & cùm vult non vtitur.* Postremò: *Generalis Dei concursus ad volitiones naturales exercendas, est in potestate voluntatis, quia illo vtitur cùm vult, & cùm vult non vtitur.* Docet, inquam, his in sententiis τὸ, *cùm vult*, liberam illam voluntatis determinationem significare, quâ absque vlla necessitate ita se ad volendum applicat, vt possit non applicare. Atque hanc determinationem antecedere ait volitionem ipsam producendam: naturâ nimirum, non tempore. Hinc l. de gratia primi hominis cap. 14. & 15. & l. 2. de gratia Christi cap. 5. 6. 7. 8. illam vocat, *arbitrij imperium, ad quod sequitur motus voluntatis: nutum primum in actionem: momentum, motum, & flexum voluntatis volitionem inferentem.* Quæ sic amplector, vt ea velim pertinere ad volitiones omnes, quas voluntas dicitur habere in potestate, & producere cùm vult.

Voluntas igitur libera positis omnibus ad agendum prærequisitis tam vni potest, quàm alteri parti se addicere. At cùm nutus eius accedit, qui illam ad volendum inclinat, tunc dicitur liberè hanc volitionem elicere, quia illam elicit, quando vult, nutus enim ille est virtualis quædam volitio, quâ vult velle. Qui nutus si comparatur ad volitionem, quam præ non-volitione importat, electio quædam est. Si cum ipsa voluntate confertur, quam pendentem, & ad vtrumlibet ancipitem ad vnum contrahit, determinatio voluntatis appellatur. Si rursus ad volitionem refertur, quæ continuò ad hunc nutum præsto est, imperium quoddam dicitur, sed efficax & perfectum, de quo S. Thomas 1. 2. q. 17. ad 1. *Animus quando perfectè sibi imperat vt velit, tunc iam vult.* Atque illud ipsum est, quod S. Augustinus ait l. 3. de libero arbitrio cap. 2. *voluntas*, id est libera volitio, *nullo interuallo mox vt volumus præsto est.* Voluntas verò si spectetur in illo priori, quo omnibus ad agendum præsidiis instructa neutram adhuc in partem se flectere intelligitur, tunc dicitur habere dominium in actus suos. Quia, vt notat Heruæus in 2. dist. 25. *Habere dominium sui actus, est habere in potestate determinare suum actum.* Sicque illa volitionum suarum *habenas*, *clauum*, *gubernaculum* tenet, vt cum Cyrillo loquar l. 3. & 8. in Iulian. vel potiùs vt Augustini verbis vtar l. 3. de libero arbitrio cap. 1. potest *huc atque illuc detorquere quendam quasi cardinem voluntatis suæ.* Adeóque hoc in statu bilancem quandam adumbrat, de qua Basilius Homil. in Psal. 61. *Vnicuique nostrûm intus inest statera quædam à conditore nostro fabricata.* Hinc est, quòd voluntati ad vtrumlibet ita suspensæ dicitur: *Ad quod volueris extende manum tuam.* cúmque illa nutum suum, veluti manum quandam, extendit, & vni quasi huius stateræ lanci admouet, tum illam, suis antè libratam momentis, ad vnam partem inflectit; sicque voluntas se

solâ ad agendum se applicat, vt verè illud ab Augustino dictum sit l. 2. de libero arbitrio cap. 19. *Noli mirari si cæteris per liberam voluntatem vtimur, etiam ipsâ liberâ voluntate, per eam ipsam vti nos posse, vt quodammodo se ipsâ vtatur voluntas, quæ vtitur cæteris.*

Lucem hinc accipiunt duæ liberi arbitrij definitiones à Theologis vulgò vsurpatæ. Prima, quam Albertus & plerique veteres Theologi amplectuntur, est illa quæ S. Petro tribuitur in Itinerario Clementis disput. 2. contra Simonem Magum. *Liberi*, inquit, *arbitrij potestas est sensus animæ habens virtutem, qua se possit ad quos velit actus inclinare.* Quid aliud important hæc verba, *ad quos velit*, quàm nutum illum voluntatis, quo ex pluribus actibus, quos peræquè elicere posset, vnum sibi præ alio imperat? Secunda eáque celeberrima his verbis concipitur à Ruperto Holkot libro 1. sent. q. 3. art. 2. *Libertas est potestas, quâ voluntas concurrentibus omnibus causis requisitis ad suum effectum, habet quòd possit cum iis coagere, & ponere actum suum in affectum, vel non ponere, sicut ei placuerit.* Quid aliud posteriora hæc verba designant, quàm eundem voluntatis nutum, quo absque vlla necessitate vni potiùs quàm alteri parti se addicit?

SECTIO IV.

Tertia Aduersarij cauillatio depellitur, quâ docet esse in potestate voluntatis eos actus suspendere, quos omnimodâ atque adeo naturali necessitate producit.

MYSTICAM tandem noui dogmatis caliginem ingredimur, in quam Aduersarius, quem presso hactenus vestigio sumus insecuti, sese immergit, vt tenebras ponat latibulum suum, & contra impetus nostros suâ se nocte defendat. Non tantùm docet vo-

litiones naturali necessitate profusas esse in potestate voluntatis, & ab illa fieri cùm vult: sed etiam contendit esse in potestate voluntatis easdem premere, idque illam posse cùm vult. Sic ait, esse in potestate Beatorum Deum non amare; quia si vellent, non amarent. Item, esse in potestate hominis gratiæ consensum necessariò inferenti non assentiri; quia si vellet, non assentiretur. Adeóque esse etiam in potestate Patris ac Filij Spiritum sanctum non producere; quia si vellent, non producerent.

Quis crederet tam absurda ab homine non imperitissimo defendi posse, nisi hanc opinionem suam exposuisset clarissimè, & pluribus operis sui locis, ad illustre ingenij, & doctrinæ monimentum consignasset? Audi loquentem de illa volitione, quâ Beati, clarè & intuitiuè Deum videntes, illum amant. *Possent*, inquit, *volitionem suam mutare, si vellent.* Iterum: *Abruptio seu cessatiò illius voluntatis est in potestate, quia fit, cùm volunt. Sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non potestate.* Et alibi, cùm dixisset Scholasticos idcircò non audere volitionem illam, quâ Deum etiam clarè & intuitiuè visum necessariò amamus, liberam pronunciare; quia vt illis videtur, *non est in potestate nostra; non sumus illius domini; non possumus illam suspendere cùm libet:* Respondet: *illa omnia esse falsa. Est enim*, inquit, *in potestate nostra, sumus eius domini, suspendimus eam quando volumus: sed si nolumus, & constanter nolumus eam suspendere, hoc propriè non arguit defectum potestatis, sed voluntatis.* Hinc deducit arcanam illam responsionem, quâ vt Concilij Tridentini fulmina eludat, ait hominem posse dissentiri gratiæ necessitatem imponenti: nimirum, hoc potest, inquit, si velit.

Libro 6. de Gratia Christi cap. 35.

Eodem libro. cap. 10.

Hæc sunt arcana nouæ opinionis mysteria, quæ euulgasse, refutasse est. Tantùm enim à communi sensu abhorrent, vt ab homine prudenti, & non penitus indocto, legi non possint, quin ea auersetur, & istud

istud S. Augustini vsurpet ex libro 1. de peccatorum meritis cap. 36. *Ego autem puto quòd omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ suæ sententiæ peruicacia, hæc sentire non possunt.* Constabit illud certè, cùm hanc noui dogmatis latebram, quam primò sibi Wicleffus foderat, quámque Lutherus in summa rerum suarum desperatione arripuit, rationibus aliquot, quasi totidem facibus illustrauero.

PARAGRAPHVS I.

Inanis hæc argutia multiplici ratione, ipsius Aduersarij testimonio, & S. Thomæ auctoritate reuincitur.

REFELLITVR primò ex pluribus absurdis, quæ inde necessariò deducuntur. Sequitur enim, Deo liberum esse, atque in eius potestate situm mentiri, peccare, amare iniustitiam, odisse se ipsum; quia tam verè dici potest: Deus mentiretur, peccaret, amaret iniustitiam, odisset se ipsum, si vellet: quàm verè dicitur: Beati cessarent ab amore beatifico, si vellent: homo dissentiretur gratiæ necessitatem inferenti, si vellet: Pater & Filius suspenderent productionem Spiritus sancti, si vellent. Sequitur ampliùs liberum esse homini amare malum, quatenus malum; quia amaret, si vellet: vel odisse bonum, quatenus bonum; quia odisset, si vellet. Item, liberum esse infanti rationis vsu carenti peccare; quia peccaret, si vellet. Imò, quod absurdius est, liberum esse lapidi peccare; quia peccaret, si vellet. Finge enim lapidem velle peccare, certè peccabit. Nam velle peccare, peccare est. Sequitur denique Tridentinos Patres cùm definierunt homini liberum esse gratiæ dissentiri: idem prorsus fecisse, ac si statuissent, Patri & Filio liberum esse Spiritum sanctum non producere. Quæ omnia tam absurda sunt, & inepta, vt hîc vnum habeam dicere,

quod ſimili in cauſa S. Auguſtinus affirmauit libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. *Quis ita deſipiat, imò inſaniat, neſciens quid loquatur, vt hæc audeat dicere?*

Refellitur 2. ex ipſo nouo Doctore, qui vt aliis in rebus, ita quoque hac in quæſtione ſecum fœdiſſimè pugnat, nulli magis metuendus, quàm ſibi. Scribit conceptis verbis, *non eſſe Deo, ac Beatis liberum velle peccare.* Quam eius ſententiam cum hac altera compono: *Liberum eſt Beatis ceſſare ab amore beatifico.* Peto cur liberum ſit Beatis ceſſare ab amore beatifico. Reſpondet: quia ſi vellent, ceſſarent. Hinc concludo etiam liberum eſſe Beatis velle peccare; quia peccarent, ſi vellent. Rurſus peto, quare dicat non eſſe liberum Beatis peccare. Hoc reſpondere vnum poteſt; quia non poſſunt id velle. Hinc colligo neque etiam illis eſſe liberum ceſſare ab amore beatifico; quia non poſſunt id velle. Sic inſolentis doctrinæ capita inter ſe colliduntur, & mutuis vulneribus intereunt.

*Libro 6. de Gratia Christi cap. 4.

Refellitur 3. ratione à priori. Iuxta communem loquendi conſuetudinem, à doctis pariter & indoctis vſurpatam, quando dicimus de aliquo, *poteſt hoc ſi velit*, eo ipſo affirmamus, aut ſaltem ſupponimus, poſſe illum id velle. Nam ſi non poteſt velle, falsò dicitur *poteſt ſi velit*, ſed dici abſolutè debet, *non poteſt*. Ita abſolutè dici debet, Deus peccare non poteſt, mentiri non poteſt, ſe ipſum odiſſe non poteſt; Quia licèt hæc omnia faceret, ſi vellet; velle tamen abſolutè non poteſt. Et verò cùm ex SS. Auguſtino, & Anſelmo, *omnis poteſtas ſequatur voluntatem*: quando voluntas eſt impoſſibilis, poteſtas nulla eſt. Ergo non eſt in poteſtate Beatorum premere amorem beatificum: nec in poteſtate Patris ac Filij Spiritum ſanctum non ſpirare; quia licèt id poſſent, ſi vellent; velle tamen abſolutè non poſſunt.

Refellitur 4. ratione S. Thomæ, quæ ſiquid in hac difficultate caliginis remanſit, abſterget. Nititur illa

explicatione huius vocis, *si*, quæ duplicem potest in eiusmodi propositionibus interpretationem pati. Potest enim primò inuoluere ordinem principij, ita vt causalis instar obtineat. Potest secundò solius consequentiæ ordinem inferre, ita vt purè conditionalis sit. Si primo accipiatur sensu, falsæ sunt propositiones illæ, de quibus confligimus: si secundo, veræ quidem sunt, at nihil ad liberæ potestatis rationem pertinent. Vis huius argumenti emicabit, cùm S. Thomæ verba retulero. Quærit quodlibeto 5. quæst. 2. art. 4 *Vtrum hæc sit falsa: Deus potest peccare, si vult.* Respondet: *Dicendum quòd hæc coniunctio, si, ordinem quendam importat. Potest autem in proposito duplicem ordinem importare. vno quidem modo, ordinem causæ siue principij, & hoc modo propositio falsa est: voluntas enim Dei est principium, & causa respectu creaturarum, non autem respectu eorum, quæ pertinent ad Diuinam naturam: vnde non dicimus, quòd pater genuerit filium voluntate, sed naturaliter, vt patet per Hilarium in libro de Synod. Potentia autem Dei ad ipsam naturam Diuinam pertinet: vnde hoc ipsum quod est posse peccare, non est subiectum Diuinæ voluntati; alioquin voluntas Dei esset principium immutationis Diuinæ, quod est impossibile. Alio modo potest importare ordinem consequentiæ, & sic hæc locutio est vera, si Deus vult peccare, potest peccare. Sequitur enim sine conditione, si argumentamur ex impossibili posito, Deus vult peccare, ergo potest peccare.* Negat tamen satis illud esse, vt absolutè dicatur, *Potest Deus peccare.*

Ex his S. Thomæ verbis propositum argumentum sic vrgeo. Si in illa propositione, *Pater & Filius possunt non producere Spiritum sanctum, si velint*, coniunctio, *si*, importat ordinem principij, falsa est propositio. Primò *quia voluntas Dei est principium & causa respectu creaturarum, non autem respectu eorum quæ pertinent ad Diuinam naturam.* Secundò, quia posse cessare à productione Spiritus sancti, *non est subiectum Diuinæ voluntati, alioquin voluntas Dei esset principium immutationis Diuinæ, quod est*

impossibile. Tertiò, quia cùm in eiusmodi propositionibus coniunctio, *si*, inuoluit ordinem principij vel causæ, non tantùm vera est illa conditionalis, *potest hoc, si velit*, sed etiam illa absoluta, *potest hoc*. Ita S. Thomas ibidem, *De quocumque*, inquit, *possum dicere, quòd homo potest facere, si vult: potest etiam dici simpliciter quòd homo potest facere illud.* vnde fatetur falsam esse hanc propositionem, *Deus potest peccare, si vult*, quando coniunctio, *si*, ordinem principij importat, quia in illo sensu vera esse non potest, quin illa quoque sit vera, *Deus potest peccare*. Quæ tamen erronea est, & sacrilega. At non minus impia est ista absoluta: *Pater & Filius possunt cessare à productione Spiritus sancti*: ergo & illa: *Pater & Filius possunt cessare à productione Spiritus sancti, si velint*, cùm purè conditionalis non est, sed importat ordinem principij, blasphema est & execranda.

Iam verò si in illa propositione coniunctio, *si*, solius consequentiæ ordinem includit, vera quidem est, nam posito per impossibile, quòd Pater & Filius velint cessare à productione Spiritus sancti, certè sequitur; ergo possunt ab illa cessare: sed nihil istud ad liberam potestatem, de qua agimus, pertinet. Quod vniuersim sic probo. Hæc verba, *si vult hoc potest*, cùm ad liberæ potestatis notionem spectant, ita explicanda sunt, vt de quocumque dicuntur, de illo quoque absolutè dici possit, *hoc potest*: sed cùm hæc verba, *si vult hoc potest*, solius consequentiæ ordinem inuoluunt, non ita sunt explicanda, vt de quocumque dicuntur, de illo quoque absolutè dici possit, *hoc potest*; ergo tunc ad liberæ potestatis notionem non spectant. Maior probatur. Cùm hæc verba ad liberæ potestatis notionem pertinent, veram complectuntur, & genuinam liberæ potestatis definitionem: Ergo ita sunt explicanda, vt de quocumque dicuntur, de illo quoque dici possit: *Hoc potest*, seu, *hoc habes in potestate*. Quia nempe definitio, & definitum conuertuntur, & cui conuenit definitio,

illi etiam conuenit & definitum. Confirmatur inductione: de Deo dicitur, si vult potest mundum creare: de illo quoque absolutè dicitur, potest creare mundum: de homine sano dicitur, si vult potest loqui, currere, sedere: de illo etiam dicitur absolutè, potest currere, loqui, sedere.

Probanda restat minor, quæ ex S. Thoma nullo negotio conficitur. Nam ibidem cùm obiectum esset: *Si hæc propositio est vera, Deus potest peccare si vult; sequitur quòd hæc sit vera, Deus potest peccare: sed hoc est erroneum; ergo & primum.* Respondet: *Dicendum: quòd cùm dicitur, si homo vult currere, potest currere, antecedens est possibile, & ideo consequens est simpliciter possibile. sed cùm dicitur sic: si Deus vult peccare, potest peccare, antecedens est impossibile, vnde nihil prohibet conditionalem esse veram, consequente existente impossibili.* Hinc patet, ex veritate illius conditionalis, *si vult hoc potest*, non sequi hanc absolutam esse veram, *hoc potest*; quia vera est ista conditionalis: *si Deus vult peccare, potest peccare*, falsa tamen illa absoluta, *Deus potest peccare.* Ergo cùm hæc verba, *si vult hoc potest*, purè conditionalem continent, non ita sunt explicanda, vt de quocumque dicuntur, de illo quoque absolutè dici possit, *hoc potest.* Et sanè aliàs veræ essent illæ absolutæ, Deus mentiri potest, mutare voluntatem potest; quia veræ sunt illæ conditionales: Deus si vult mentiri, potest mentiri: si vult mutare voluntatem, potest mutare voluntatem. Hæc argumentatio S. Thomæ verbis contexta firmior est, quàm vt ab Aduersariis infringi possit, aut eludi.

Refelli 5. potest eadem argutia pluribus argumentis, quibus Willelmus Wildefordius similem Wicleffi cauillationem profligauit. Primò sic disputat: *Quod non est possibile, nisi sub conditione impossibili, absolutè non est possibile.* Vnde licet ita argumentari. Quod fieri non potest nisi posita conditione impossibili, non est in libera potestate: at fieri non potest vt Beati Deum

clarè visum non ament, nisi posita conditione impossibili; nimirum, quòd nolint amare; ergo non est in libera Beatorum potestate, vt Deum clarè visum non ament. Secundò, idem Wildefordius ita Wicleffum premit: *Nec Philosophicè, nec iuridicè, nec Theologicè conuenienter dicitur, quòd potentia dependeat à suo actu sub conditione, & maximè sub conditione impossibili. Dicere ergo Deum posse hoc facere dependenter ab actu volitionis Diuinæ, & maximè sub conditione impossibili, est omnino inconuenienter & irrationabiliter dictum.* Stringit quoque Aduersarium hæc ratio, vt consideranti patebit. Tertiò congerit absurda quæ ex Wicleffi opinione sequuntur. *Ergo*, inquit, *Deum annihilare Deum secundùm diuinitatem est Deo possibile, si Deus velit. & tales infames conclusiones sequuntur multæ ex hac ratione.* Demonstraui superiùs nihilo minùs absurda ex Aduersarij opinione consequi. Liceat ergo mihi cum Wildefordio responsionem illam vt ineptam, vt iocularem, vt friuolam explodere.

PARAGRAPHVS II.

Eadem argutia S. Augustini auctoritate confutatur.

NEC Aduersarium pudet tam indoctam & illiberalem fabulam S. Augustino affingere, vt eius insignitam nomine Concilij Tridentini canonibus opponat. Tantùm illa profectò à S. Augustini mente dissidet, quantùm ipse S. Augustinus à Pelagio. Nata est enim illa ex simili Pelagij argutiola, quam iisdem ferè argumentis S. Doctor euertit, quibus ista à nobis oppugnatur.

Docebat Pelagius esse in hominis potestate situm ab omni peccato abstinere. Atque illud inde eliciebat, quòd, ex omnium consensu, si nolumus non peccamus. Vnde perpetuò illud iactabat, vt refert S. Augustinus libro de gestis Pelagij cap. 6. *Potest homo, si ve-*

lit, esse sine peccato. Quæ verba Pelagij sententiam eiúsque rationem continent. Nam ea si euoluas, hunc syllogismum conficies: Illud est in potestate hominis, quod potest homo, si velit: At potest homo, si velit, abstinere ab omni peccato; Ergo est in potestate hominis abstinere ab omni peccato. Simili etiam argumento contendebat, esse in hominis potestate, mandata Dei obseruare, quòd Ecclesiastici cap. 15. legatur, *si volueris, conseruabis mandata.*

Ludicram hanc & veteratoriam Pelagij ratiocinationem eodem planè modo S. Augustinus diluit, quo Aduersarij argutiolam superiori sectione confutaui. Docui primò, veram esse hanc conditionalem: *Potest homo gratiæ necessitatem inferenti dissentiri, si velit.* quia cùm velle dissentiri, sit dissentiri: non potest velle dissentiri, quin dissentiatur. Ita docet S. Augustinus verè à Pelagio dici, *si nolumus, non peccamus;* quia cùm homo non peccet nolens peccare, si ponitur nolle peccare, ponitur & non peccare. Hinc libro 2. de peccatorum meritis cap. 2. de Pelagianis ita loquitur: *Acutè sibi videntur dicere, quasi nostrûm hoc vllus ignoret, quòd si nolumus, non peccamus.* Et libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. concedit, *certum esse nos mandata seruare si volumus.* Docui secundò, hallucinari Aduersarium, cùm pugnat esse in potestate hominis gratiæ necessitatem inferenti dissentiri. Rationem hanc protuli, ex communi hominum sensu depromptam, quòd ad liberam potestatem non sufficiat, vt homo aliquid possit, si velit: sed etiam requiratur, vt id possit velle. Similiter S. Augustinus ait, falsò dici de homine, cuius voluntatem Christi gratia non præparat, *potest esse sine peccato.* quia licèt verum sit illum non peccaturum, si velit non peccare: cùm tamen id velle non possit, absolutè falsum est, posse illum non peccare. Sic libro 2. de peccatorum meritis cap. 2. vbi fassus est verè illud à Pelagianis dici, *si nolu-*

mus, non peccamus, continuò negat hominem absque Dei gratia posse id velle; *quia Deus est qui operatur in nobis velle.* Et libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. cùm dixisset; *certum est nos mandata seruare, si volumus*, mox addit: *sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantùm velimus*, &c.

Confirmatur 1. quidquid argutiarum nouus Theologus obtendat, nunquam hanc propositionem: *Est in libera potestate Beatorum cessare ab amore beatifico, etiam manente visione beatifica*, erroris excusabit: quin hanc quoque Pelagij: *Est in potestate hominis naturali non peccare*, catholicam probat. Nam, vt nemo non videt, tam verè dici potest: Homo si ex viribus naturæ nunquam vellet peccare, nunquam peccaret: quàm verè istud dicitur: Beatus etiam posita visione beatifica, si nollet non amare Deum, non amaret. Atque adeo si illud satis est, vt Beatus dicatur habere in potestate amorem beatificum abrumpere: istud quoque sufficiet, vt homo dicatur, habere in potestate naturali non peccare. Ac proinde errauerit S. Augustinus, errauerint Patres alij, & Concilia, dum hanc Pelagij propositionem anathemate perculerunt.

Confirmatur 2. si Aduersario fides est libro 6. de gratia Christi cap. 4. ex S. Augustini mente, *non est liberum dæmonibus Deum diligere.* Et nihilominus tamen negare non potest, veram esse hanc conditionalem, si dæmones vellent, Deum diligerent. Hæc plurimùm illustrabuntur ex simili S. Thomæ disputatione quæst. 16. de malo art. 5. quo statuit non posse dæmones ad bonum conuerti. Nam obiectionem septimam, quæ sic habet: *ista consequentia valet: possum currere si volo; ergo possum currere: sed diabolus potest conuerti ad bonum si vult, quia in ipso velle consistit conuersio; ergo diabolus potest conuerti ad bonum.* ita soluit: *Dicendum, quòd cùm dico, possum currere si volo, antecedens est possibile, & ideo consequens est possibile: sed cùm dico, diabolus potest reuerti*

ti

si ad bonum si vult. antecedens est impossibile. Quia nimirum diabolus non potest id velle, adeóque dici non debet: potest diabolus conuerti. Ergo nec dici de Beatis debet: est in eorum potestate cessare ab amore beatifico. Nam licèt verum sit posse illos cessare si velint, velle tamen non possunt.

Nunc illud S. Augustini auctoritate muniendum est, quod argumentorum omnium, quæ superiori sectione adhibui, summam continet, quódque Aduersarij hallucinationem validiùs retundit. Dixi communem hanc esse mortalium notionem, vt cùm de aliquo dicimus, *potest hoc si velit*, eo ipso affirmemus, aut saltem supponamus, posse illum id velle. Nam si velle non potest, falsò dicitur, *potest si velit*, sed dici absolutè debet, *non potest.* Subtilissimè illud ipsum docet S. Augustinus libro 2. de Actis cum Felice Manichæo, cuius verba antequam proferam, paucis obseruandum est, quod sequenti capite fusiùs demonstrabo: Manichæos, cùm aiebant, bonam animam à mala, seu gente tenebrarum cogi, vt malum velit, aut bonum nolit, non internam illam & impossibilem coactionem designasse, quæ in voluntatis facultatem cadere non potest: sed mitiorem aliam, quæ blanditiis bonam animam ita deliniat, vt non possit non consentire. Clariùs dicam, eamdem à gente tenebrarum bonæ animæ vim inferri volebant, quam noua opinio voluntati efficaci gratia destitutæ à concupiscentia afferri putat. Non istud Aduersarius ipse negauerit, vt constat ex libro eius 4. de statu naturæ lapsæ c. 21. & libro 3. cap. 12. aliisque passim ex locis. Cùm ergo Manichæi aiunt bonam animam cogi malæ illecebris, vt malum velit, aut bonum nolit, tu illam ipsam coactionem cogita, quam Aduersarius à concupiscentia nobis inferri credit: nimirum, illecebras tam efficaces, vt iis voluntas non possit non consentire. Nunc attende quo argumento Manichæos S. Augustinus premat. Cùm dixisset c. 3. *Esse autem liberum*

arbitrium, atque inde peccare quemque si velit; non peccare si nolit, non in diuinis tantùm scripturis, quas non intelligitis: sed etiam in verbis Manichæi tibi probo. Capite 5. refert Manichæi verba, quibus dixerat, quasdam animas puniri quòd *legem seruare noluerint.* Vnde S. Augustinus sic disputat: *vides in his verbis confirmatum esse, etiam à nesciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim seruare legem non vult, in potestate eius est si velit. Non enim dixit, non potuerint, sed noluerint.* HOC CERTE QVOD NOLVNT SERVARE LEGEM, NON A GENTE TENEBRARVM COGVNTVR: SI ENIM COGVNTVR, NON NOLVNT, SED NON POSSVNT: *si autem nolunt; non vtique coguntur vt faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate est, vt nolint, peccatum est certè sine vlla necessitate gentis tenebrarum.*

Singula verba diligenter expende, at hæc præcipuè: *Hoc certè quòd nolunt seruare legem non à gente tenebrarum coguntur: si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt*, quæ cum superioribus contexta ingeniosissimam hanc argumentationem conficiunt. Fatetur Manichæus aliquos legem non obseruasse, quia noluerunt; ergo fateri debet illos gentis tenebrarum illecebris non ita fuisse pellectos vt necessariò noluerint: aliàs enim non dicerentur noluisse seruare legem, sed non potuisse. Nam qui dicitur nolle, seu *qui non vult seruare legem, in potestate eius est si velit*: At qui malæ animæ illecebris necessariò abripitur ad nolendum seruare legem, non habet in potestatẽ eam seruare si velit. quia nempe ille tantùm habet in potestate seruare legem si velit, qui potest velle seruare legem: at qui malæ illecebris necessariò abripitur ad nolendum seruare legem; non potest velle legem seruare; ergo non habet in potestate eam seruare si velit; ac proinde dici non debet, *non vult seruare legem*, sed, *non potest.* Hæc S. Augustini ratiocinatio. Ex qua manifestè colligitur, de eo, qui non potest aliquid velle, dici non debere,

Est in eius potestate id facere si velit, sed absolutè dicendum, *non potest id facere*. Ergo ex mente S. Augustini de Beatis dici non debet, *Est in eorum potestate cessare ab amore beatifico si velint*, sed absolutè dicendum est, *non possunt cessare ab amore beatifico*. quia nempe id velle non possunt. Quo igitur candore, qua fide Aduersarius docet, ex S. Augustini mente de Beatis non esse dicendum, *non possunt cessare ab amore beatifico*: sed, *nolunt*? Nam cùm necessitas illa, quam clara Dei visio Beatis imponit ad nolendum cessare ab amore beatifico, similis sit illi, quam ex Manichæorum opinione gens tenebrarum bonæ animæ afferebat ad nolendum seruare legem: si hac positâ censet S. Augustinus non esse dicendum, *nolunt seruare legem*, sed, *non possunt*: profectò censet quoque, positâ clarâ Dei visione de Beatis non esse dicendum, *nolunt cessare ab amore beatifico*, sed, *non possunt*. Libro 6. de gratia Christi cap. 35.

Indidem alia ratio profluit, quæ vel sola nouam libertatem profligaret. Dixerat Manichæus idcirco aliquos legem non obseruasse, quia noluerunt. Hinc S. Augustinus colligit, eos gentis tenebrarum illecebris non cogi, seu pellici, vt necessariò nolint seruare legem; quia si ita cogerentur ad nolendum seruare legem, dici non deberet, *nolunt seruare legem*, sed, *non possunt*. Simili argumento aduersùs nouam opinionem sic disputo. Sæpiùs docet S. Augustinus homines efficaci gratia destitutos idcirco non bene agere, nec Dei mandatis obsequi, quia nolunt; Ergo censet non eos concupiscentiæ blanditiis ita cogi, & abripi ad nolendum, vt necessariò nolint; aliàs enim dici non deberent, *nolle bene agere*, sed, *non posse*. Hinc se Aduersarij extricare nequeunt, quin hoc S. Augustini aduersùs Manichæos argumentum infringant.

PARAGRAPHVS III.

Primi huiusce capitis conclusio.

QVÆSO te, erudite Lector, mecum vestigia nostra relege, & quæ hoc capite fusè disputaui, paucis in mentem reuoca. Dedi Aduersario, quod maximè postulabat, liberum illud esse quod est in nostra potestate; sed demonstraui, adeo hanc definitionem eius nouitati nihil gratificari, vt illam certissimè perimat. Nam & multiplex SS. Patrum auctoritas, & inuictæ rationes ex natura electionis, deliberationis, & dominij accersitæ, validè conficiunt, illud tantùm esse in nostra potestate, quod peræquè possumus, & eius oppositum. Illud ipsum confirmaui ex hac liberæ potestatis definitione: *Illud est in nostra potestate quod fit cùm volumus*, quam ego, cùm ad volitiones non imperatas accommodatur, eodem explicandam esse sensu probaui, quo hanc propositionem Aduersarius exponit: *Habitus voluntatis sunt in nostra potestate, quia illis vtimur cùm volumus.* Ita vt vtrobique voces illæ, *cùm volumus*, liberum voluntatis nutum significent, quo absque vlla necessitate vni potiùs parti, quàm alteri se addicit. Quæ expositio S. Augustini verbis tam est consentanea, vt iis alia adhiberi non possit, quin integra eius disputatio de præscientia & humana libertate euertatur.

Ostendi insuper quàm periculosas, & ab communi hominum sensu abhorrentes in sententias sua Aduersarium interpretatio abripuerit. Dicere enim cogitur, quod catholicæ refugiunt aures, esse in potestate Patris ac Filij Spiritum sanctum non producere. Item, esse in potestate Beatorum amorem beatificum premere. Quibus probandis hoc vnicum S. Augustini testimonium vsurpat; *Istud est in potestate quod fit si volumus*,

quasi vox illa, *si*, in hac definitione simplicem consequentiæ ordinem inuoluat. Quæ cùm ex vulgari huius definitionis explicatione, quam pluribus probaui, facilè soluantur, possum certè sua hæc Aduersario verba refundere ex libro 2. de Gratia Christi c. 29. *Mirum est, hominem eruditum, relictâ regiâ viâ, quæ in Augustini scriptis, ostio tantummodo reserato, valde manifesta est, ad talia diuerticula tam noua, tam periculosa diuertere.* Regia illa via, quam nouus Theologus deseruit, communis est Philosophorum ac Theologorum sententia, quâ definiunt illud tantùm esse in libera potestate, quod perinde fieri à nobis potest, & non fieri. Ostium verò, quo semel aperto, manifesta est S. Augustini de libera potestate sententia, est explicatio vocum illarum, *si volumus, cùm volumus.* Nam si illo, quem probaui, sensu eiusmodi verba interpreteris, nihil in S. Augustini lectione occurret tibi, quod communem liberæ potestatis notionem non confirmet.

Tria porrò sum hoc capite consequutus. Primò, Sanctos Patres toties nouam opinionem configere, quoties liberum illud esse testantur, quod est in nostra potestate. Secundò, eandem ab illis perimi, cùm definiunt illud esse in nostra potestate, quod fit cùm volumus. Tertiò, aduersus eandem pugnare omnia SS. Patrum testimonia, quibus dicitur voluntatem omnem esse liberam: atque idem esse agere liberè, & agere voluntate. Nam voluntatem sumunt in strictiori illa significatione, quæ non volitiones omnes complectitur, sed eas tantùm, quæ à voluntate oriuntur vt libera est ad vtrumlibet.

Statueram hoc loco disputationi finem imponere, quòd hæc tria, quæ me demonstrasse arbitror, rationes omnes labefactent, quas Aduersarius libro 6. de Gratia Christi laboriosè congessit, vt vinceret sola coactione liberum arbitrium pessundari. At cùm intelligerem nouum Theologum in aliis operis sui partibus nihilo

minùs à S. Augustini mente desciuisse, facilè adductus sum, vt alia capita quatuor adiicerem, quibus & ista quæstio illustrabitur ampliùs, & aliæ complures cum illa connexæ ad viuum resecabuntur. Cuiusmodi sunt illæ: An possit homo peccare in eo quod vitari non potest. Quis Pelagianorum error de libero arbitrio. An Deus imperet impossibilia. An ignorantia inuincibilis excuset à peccato. An Angeli se ipsos discreuerint. An illorum perseuerantia Deo sit tribuenda. Quid sit discriminis inter gratiam sanitatis & gratiam medicinalem. Quæ ego sic pertractabo, vt nusquam à primaria illa difficultate, quæ noui dogmatis caput est, digrediar.

CAPVT SECVNDVM.

Nuperum de libertate dogma ex eo refellitur, quòd S. Augustinus in omnibus operibus suis constanter docet: neminem peccare in eo quod nullo modo caueri potest.



PROBAVIT Aduersarius in posteriori opere suo, quàm verè in primo scripsisset: *Nihil esse in Christiana doctrina sanctionibus ita ratum fixúmque, quod non pruriente quadam ingeniorum petulantia, nouandíque libidine, in dubium reuocetur. Nullum tam insolens, & alienum ab omnium verè Catholicorum ore paradoxum, quod non verisimilibus ratiunculis afferatur.* Quid hactenus apud Catholicos maiori Doctorum omnium consensu sancitum est, quàm neminem peccare in eo quod nullo modo caueri potest? Sed quid Catholicos, quid Doctores appello? Si S. Augustino fides est libro de duabus animabus cap. 11. Hic totius humani generis sen-

In præfatione libri 2. Martis Gallici.

ſus, quem omnis mens apud ſe diuinitus conſcriptum legit. Quid enim certius, quàm *neminem vituperatione ſupplicióve dignum* eſſe, *qui id non faciat, quod facere non poteſt?* NONNE, inquit, ISTA CANTANT ET IN MONTIBVS PASTORES, ET IN THEATRIS POETÆ, ET INDOCTI IN CIRCVLIS, ET DOCTI IN BIBLIOTHECIS, ET MAGISTRI IN SCHOLIS, ET ANTISTITES IN SACRIS LOCIS, ET IN ORBE TERRARVM GENVS HVMANVM?

At iſtud tamen negare auſus eſt Aduerſarius, ſeque vnum tam conſpiranti hominum omnium ſententiæ opponere. Quanquam quid aio? habet huiuſce opinionis ſuæ auctores & patronos. Dudum eſt enim quòd illud ipſum Lutherus Caluinúſque defenderunt, & S. Auguſtinum in ſententiæ tam inſolentis præſidium pertrahere conati ſunt. Sed hanc vtriuſque audaciam tam nauiter fregerunt Scriptores Catholici, Horantius, Stapletonus, Bellarminus, Arboreus, Klingius, aliíque innumeri, vt ex iis nouus Doctor intelligere potuerit, malè ſe de S. Auguſtino mereri, cui repudiatam communi Catholicorum ſenſu opinionem affingit. Si vel vnicam Franciſci Horantij diſputationem legiſſet ex libro 1. aduerſus Caluinum cap. 51. cuius hæc inſcriptio: *Nullibi D. Auguſtinus aſſerit neceſſariò quemquam peccare*, fallor, aut opinionem mutaſſet ſuam, quam in Caluino tam acriter caſtigatam vidiſſet.

Ergo illud ipſum aggredior, quod nobiles illi Catholicæ fidei vindices pridem perfecerunt: nimirum, *nullibi D. Auguſtinum aſſerere neceſſariò quemquam peccare.* Neque opinor monere opus eſt, directè illud ſpectare ad primarium huius diſputationis ſcopum: nimirum, ad libertatem à neceſſitate homini lapſo vindicandam. Quis enim neſcit Catholicos pro illa libertate cum Caluino depræliantes ita argumentari? libertas ad peccandum neceſſaria, eſt libertas à neceſſitate; quia nemo

peccat in eo quod necessariò agit: at homini lapso conuenit libertas ad peccandum necessaria; ergo homini lapso conuenit libertas à necessitate. Hoc Catholicorum argumentum in quo dissoluendo sudant multùm, multúmque laborant Caluinus, Petrus Martyr, Zanchius, aliíque sectarij, quorum responsiones tueri conatur Chamierus libro 3. de libero arbitrio cap. 2. cuius hic titulus: *Vtrum nullum necessarium sit peccatum*, quódque ita auspicatur: *Papistarum affirmantium argumenta Caluinus collegerat*, &c. Hoc illos verè & ex S. Augustini mente affirmasse contendo. Quod vt euincam, tria demonstrabo.

Primò, S. Augustinum aduersùs Manichæos pugnantem nihil inculcare frequentiùs, quàm *neminem peccare in eo quod nullo modo caueri potest.*

Secundò, nihil in libris retractationum, aut in omnibus contra Pelagianos operibus scripsisse, quod eamdem veritatem non confirmet.

Tertiò, quæ aduersùs eosdem Pelagianos de ignorantiæ peccatis tradidit, eidem veritati nihil aduersari.

SECTIO PRIMA.

Sanctus Augustinus contra Manichæos disputans, nihil certius esse asserit, quàm neminem peccare in eo, quod vitare non potest.

SÆPE Caluinus ab Augustino Manichæorum victore, ad Augustinum Pelagianorum hostem prouocat. Quia, inquit l. 3. in Pigh. *iuuenis adhuc erat, & non ita exercitatus cùm Manichæos refelleret*, atque adeo *plus ingenij, acuminis, & sæcularis Philosophiæ* adhibebat, *quàm sacræ ac spiritualis doctrinæ*. Longè aliter nouus Doctor. Hæc S. Augustini opera non modò pro eo ac merentur honorificè accipit, sed illud etiam innuit, non aliunde meliùs quàm ex his libris genuinam liberi arbitrij

trij notionem exprimi posse. Nam tomo 3. l. 6. cap. 5. & 6. cùm hanc libertatis notionem studiosiùs inuestigat, ex plurimis S. Augustini locis, quæ ad illam statuendam, explicandam, illustrandámque coniicit, pauca sunt admodum, quæ ex his contra Manichæos libris non accersantur. Non est ergo quòd in vindicanda horum librorum auctoritate tempus absumam, cùm hac ferè vnâ nouæ opinionis structura nitatur.

PARAGRAPHVS I.

Probatur primò vniuersim ex Manichæorum placitis, & primario sancti Augustini argumento.

QVI Manichæorum deliria nouerit, fatebitur eos à S. Augustino extincti liberi arbitrij accusari non potuisse, nisi ipse natiuam hominis libertatem, non interna tantùm illa, & impossibili coactione, sed & simplici necessitate aboleri putauerit. Quod etsi demonstratum est l. 1. c. 2. sect. 3. placet hîc tamen accuratiùs tractare, vt S. Augustini sententia pleniùs explicetur.

Statuebant 1. Manichæi duas esse in homine animas, bonam alteram, quæ non esset creatum aliquid, sed decisum ex Diuina substantia fragmentum: alteram malam, quæ delibata esset ex principe tenebrarum particula. Primam vocabant naturam lucis, animam, Dei partem: secundam verò, gentem tenebrarum, carnem, malum principium. Hæc Manichæorum somnia ita S. Augustinus exponit l. de duabus animab. c. 12. *Duo animarum genera esse dicunt, vnum bonum quod ita ex Deo sit, vt non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa eius omnino substantia pars quædam processisse dicatur: alterum autem, quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendúmque commendant. Atque ista duo genera fuisse aliquando discreta, nunc esse commixta.* Et cap. 14. *Dicunt duo esse animarum genera, vnum ex quo ni-*

hil mali, alterum ex quo nihil boni sit. Tum paulo pòst: *tota illa secta ista bicipiti, vel potiùs præcipiti animarum varietate fulcitur.*

Statuebant 2. luctari in nobis vtramque animam, acritérque, dum viuimus, inter se congredi: sed fieri persæpe vt caro superior euadat, animámque tanta necessitate ad peccatum abripiat, vt reluctari ipsa non possit. Ita Fortunatus Manichæorum omnium nomine apud S. Augustinum disput. 2. *Hoc nos dicimus quòd à contrariâ naturâ anima cogatur delinquere.* Altercabitur hîc forsan aliquis, contendétque verbum illud, *cogatur*, coactionem internam ac propriè dictam designare, quasi Manichei velint bonam animam ita cogi, vt eius peccatum ab externo principio sit, ipsa non consentiente. Sed illud mirum quantum à Manichæorum opinione disiungitur, qui aiunt teste S. Augustino l. de natura boni & mali: *damnari animas lucis quia dilexerunt tenebras.* Item: *illas animas in globo tenebrarum in æternum configi, quòd errare se à priore lucida sua natura passæ sint.* Et l. contra Secundinum Manichæum c. 18. *Tu autem constituisti duas naturas, quarum vnam vis bonam esse, alteram malam. fateris tamen eam naturam quam bonam esse dicis, malo consentiendo malè facere, hoc est, voluntate peccare.* Ergo non arbitrabantur Manichæi coactionem illam, quam fingebant inferri bonæ animæ ad peccandum, esse eiusmodi quæ voluntarij rationem excluderet.

Confirmatur: non aliter animam ad peccatum cogi volebant, quàm illecebris, blandáque suasione, quibus voluntarij ratio augetur potiùs quàm minuitur. Sic eorum mentem S. Augustinus explicat eodem libro contra Secundinum cap. 19. vbi cùm hæc Secundini verba retulisset: *Anima si malo consentit, voluntate sua peccat,* subdit: *Hanc tu peccati voluntatem moueri non putas in anima, nisi ex alio malo, quam credis esse naturam, quam non fecerit Deus, eámque animam naturam Dei esse contendis. Ac per hoc ista mali nescio qua natura, si hanc peccati vo-*

luntatem in anima suadendo facit, in peccatum victus deiicitur Deus. Nota hæc verba: *Ista mali natura, si hanc peccati voluntatem in anima suadendo facit.* Ex quibus liquidò constat in Manichæorum sensu malam animam non aliter bonam ad peccatum cogere, quàm persuasione, sed tam efficaci, vt illi resisti non posset. Vnde S. Augustinus ait eodem libro c. 20. eos dixisse *bonam animam peccare, sed seductam.* & libro de duab. anim. c. 13. *Inferiori genere animarum nos illici ad turpia.* libro verò 3. de lib. arb. ait malas animas non aliter nos ad peccatum trahere, quàm fallendo: *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. An forte fallit incautum? ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt.* En Manichæorum opinionem: fingebant *tantam* esse carnis, animam ad peccatum pellicientis, *fallaciam, vt caueri omnino non posset.* Ergo coactio illa, quam bonæ animæ imponi aiebant, non est eiusmodi, quæ voluntarium perimat, sed quæ voluntatem simplici necessitate constringat. Hæc mihi nouus Doctor assentitur, vt constat ex libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. & ex libro 3. cap. 12. aliisque ferè locis omnibus, quibus Manichæorum sententiam exponit.

Dices, bona anima ex mente Manichæorum non peccabat sponte; ergo neque voluntariè. Probatur antecedens ex S. August. l. de natura boni & mali c. 42. *Dicunt etiam nonnullas animas, quas volunt esse de substantia Dei, & eiusdem omnino naturæ, quæ non sponte peccauerint, sed à gente tenebrarum, quam mali naturam dicunt, superatæ & oppressæ sint,* &c. Respondeo: Manichæos, cùm aiunt bonam animam non peccare sponte, Latinè loqui & populariter, non exquisitè ac philosophicè, nam apud Latinos sponte facere dicitur, qui suopte nutu, nullo persuadente, aut inuitante facit. Ita Cicero ad Lentulum l. 1. ep. 7. *Etenim Pompeium qui mecum sæpissime non solùm à me prouocatus, sed*

etiam sua sponte de te communicare solet, scis temporibus illis, non sæpe in senatu fuisse. Quo loco sponte loquentem non opponit, inuito atque repugnanti; sed prouocato, seu inuitato. Eodem modo inimicum voluntarium appellat eum, qui nullâ lacessitus iniuriâ gratis, vt aiunt, odio habet. Sic etiam dicitur à Plinio l. 20. cap. 22. herba *voluntaria*, quæ nullo serente sponte nascitur. Quo sensu eleganter Ambrosius libro 4. Hexam. cap. 4. *Si ita natus est homo, vt ei diuitiæ atque opes affluant, vt sibi spontaneos reditus sine vllo semine atque opere terra parturiat, non vomerem aruis imprimat, non curuæ manum falci admoueat, non legendæ vindemiæ subeat expensam, sed vltro ei in omnes ferias vina fundantur fluentia: sponte ei oleum nullis inserta caudicibus syluestris oleæ bacca desudet.* Breuiùs Poëta, *sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.* Neque id repetere longiùs est operæ pretium, cùm in vulgari loquendi consuetudine positum sit, quâ dicimus aliquem sponte ac voluntariè agere, quod motu proprio, hoc est nullo impellente facit. Sic aiunt Manichæi bonam animam non peccare sponte, quia non suopte nutu, sed carnis blanditiis illecta peccat. Quo sensu S. Augustinus negat l. 1. retract. cap. 9. hominem sponte bene agere, non quòd inuitus bene agat, sed quòd motu proprio, ac Diuina gratia non afflante, bene agere non possit.

Explicui hactenus anilem & execrandam Manichæorũ fabulam, cui Diuinum S. Augustini ingenium implicari aliquãdo permisit Deus, vt in arcana eius mysteria intraret penitiùs, eámque postea faciliùs labefactaret. libris plusquam sexaginta illam impetit, in quibus primarium hoc eius argumentum: Abolere Manichæos liberum arbitrium; adeóque peccata omnia tollere. Qui hoc vnum argumentum tenet, *totam*, vt ait l. de duab. anim. cap. 12. *Manichæorum hæresim paucissimis & breuissimis, sed planè inuictissimis ratiunculis, sine vlla cunctatione condemnat.* Sed quî id fieri potest, si libertas ad

peccandum requisita, non simplici necessitate, sed coactione tantùm interna, violatur? Nam fatentur Manichæi abesse à nobis eiusmodi coactionem, nec aliam necessitatem nisi simplicem imponunt. Siquidem aiunt: malam animam necessariò quidem peccare, sed naturali inclinatione: bonam verò tam efficaciter blanditiis alterius persuasionéque moueri, vt necessariò quoque, sed cum summa delectatione consentiat.

PARAGRAPHVS II.

Probatur secundò ex libro de duabus animabus.

NON alibi meliùs Manichæos euersi liberi arbitrij conuicit S. Augustinus, quàm l. de duab. anim. cap. 12. vbi cùm statuisset, *conuenire sibi cum Manichæis, animas aliquas diuinâ lege iudicióque damnari*, probat in eorum sententia neque id in bonas, neque in malas cadere posse. Non in malas: QVIA PECCATI REVM TENERI ALIQVEM, QVIA NON FECIT QVOD FACERE NON POTVIT, SVMMÆ INIQVITATIS EST ET INSANIÆ. QVAMOBREM ILLÆ ANIMÆ, QVIDQVID FACIVNT, SI NATVRA, NON VOLVNTATE FACIVNT: ID EST, SI LIBERO AD FACIENDVM, ET NON FACIENDVM MOTV ANIMI CARENT; SI DENIQVE ABSTINENDI AB OPERE SVO POTESTAS NVLLA CONCEDITVR, PECCATO EARVM TENERI NON POSSVMVS. Tum subdit: *Relinquitur, vt quoniam concedunt esse peccata, non inueniant quibus ea tribuant, nisi bono generi animarum, quæ*, ex Manichæorum sensu, *peccant, etenim mali commixtione coguntur.* Quod paucis ita refellit: *si ita coguntur vt resistendi potestas nulla sit, non peccant.* Quot hîc verba, tot ad nouitium errorem obterendum fulmina. quæ ne præteruolent, obserua 1.

Ex S. Augustini mente: *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis esse, ac insaniæ*: Ergo iniqui sunt, & insani, qui aiunt peccatorem omni gratia destitutum bene agere non posse, & damnari nihilominus quòd non bene agat. Obserua 2. quæ subiicit: non habere illa liberam voluntatem, quæ *libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent*. Potuítne clariùs explicari anceps illa, & ad agendum aut non agendum indifferens animi potestas, in qua libertatem ponimus? Obserua 3. illa item libera voluntate carere, *quibus abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur*. Ergo ex mente S. Augustini Deus liberè non se diligit, neque liberè Spiritum sanctum producit: Item, Beati Deum liberè non amant, quia illis *abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur*: Imò nec homines aspirãte medicinali gratia liberè bene agunt; siquidem ex noua opinione, eiusmodi est illa gratia, cui resisti omnino non possit. Vides quàm paucis S. Augustini verbis omnia nouelli Dogmatis fundamenta conuelluntur.

Obstrepet hîc forsan aliquis, & noui Theologi argutiolam, tanto rationis atque auctoritatis pondere superiori capite obtritam, rursus nobis ingeret: vt vincat, esse in Dei potestate abstinere ab amore sui. Sed hanc ego ex isto S. Augustini loco facilè profligabo. Si enim Deus ideo liberam habet abstinendi ab amore sui potestatem; quia si vellet, non se amaret: si S. Augustinus id docuit, vt tantùm non iurant Aduersarij: quid Manichæis exprobrat, malas animas, quas ex tenebrarum principe abscissas delirabant, non habere liberam abstinendi à peccato potestatem? Nunquid tam verè de illis dici potest: si vellent, abstinerent à peccato; quàm verè de Deo dicitur: si vellet, abstineret ab amore sui? Quisquis es, qui me tam ludicra responsione moraris, hunc nodum solue, & eris mihi magnus Apollo.

Non excerpam reliqua, quæ ex eodem S. Augustini libro peti possunt, ad nouum dogma expugnandum. Vnum adiiciam, quo omnium summa continetur. Capite 11. peccatum sic definit: *Voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Ac ne quis hanc definitionem ad solum primi hominis peccatum trahat, subdit nihil esse certius, quàm *neminem vituperatione, supplicióve dignum* esse, *qui id non faciat, quod facere non potest. Nonne,* inquit, *ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Quis verò arbitretur Pastores, Poëtas, indoctos, atque homines ferè omnes, cùm ista cantant, solius primi hominis peccatum designare?

PARAGRAPHVS III.

Probatur tertiò ex libris contra Fortunatum & Secundinum.

ITA me Deus amet, vt nihil his in libris occurret tibi, quòd pendentem illam, & neutri affixam parti liberi arbitrij potestatem non persuadeat. Vbique id inculcat, liberè hominem non agere, atque adeo non peccare, si continere sese, & erumpentem peccandi voluntatem coercere non possit. Quid clarius his verbis, ex disput. 1. contra Fortunatum: *Ergo nunc quæro abs te secundùm eam lectionem quæ lecta est, quomodo habeamus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus? qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat.* Quod paulo pòst elegantiùs disputat, animam æternis pœnis addictam ita de Deo conquerentem inducens. *Quid peccaui? Quid commerui? Quid me expulisti de regnis tuis, vt contra nescio quam gentem pugnarem? depressa sum, permixta sum, corrupta sum, non est mihi ser-*

uatum liberum arbitrium : tu nosti necessitatem qua pressa sum. Et paucis interiectis : *Cùm ergo noueris necessitatem, quâ hîc oppressa sum, quâ respirare non potui, cui resistere non potui, quid me accusas, quasi peccantem?* Quis hæc legens, si pertinacia desit ac stupor, non intelligit ex mente S. Augustini liberum abitrium simplici necessitate deleri? Dicit non esse seruatum illi animæ liberum arbitrium, quia ex carnis contagio tanta est peccandi necessitate oppressa, vt illi resistere non potuerit. Ergo necessitas peccandi, cui resisti non potest, liberum arbitrium elidit.

Sed vt Aduersarios periculosi dogmatis pudeat, ea subnectam quæ illos extinctæ cum Manichæis libertatis apertè conuincant. Pressus S. Augustini argumentis Secundinus nescio quis è Manichæorum grege, argutiolam excogitauit, qua se illis exolueret. fassus est animam non electione propria, sed carnis permixtione ad peccandum abduci: negauit tamen hoc illi culpæ tribui, nisi cùm ipsa collegerit sese, peccatúmque cognouerit, illi consentiat. sic eius mentem S. Augustinus exponit, libri contra Secund. cap. 12. *Ponis in epistola, & dicis de anima, quòd carnis permixtione ducatur ad peccatum, non propria voluntate. Atque ibi statim, credo cùm videres, si ita est subueniendum esse ab omnipotenti Deo prorsus omni anima, nullámque omnino debere damnari, quoniam non voluntate peccaret, quo constituto euerteretur sententia, quam Manichæus de suppliciis animarum, etiam de lucis parte venientium, terribiliter personat: vigilantissimè subiecisti dicens : At si cùm se ipsam cognouerit, consentiat malo, & non se armet contra inimicum, voluntate sua peccauit.* Quod cap. 19. hoc dilemmate refellit: Anima bona vel cogitur à contraria natura ad consentiendum malo, vel non cogitur : si non cogitur : *Dic mihi*, inquit, *vnde sit illa consensio mala in ea natura, quam bonam esse concedis, & prædicas? Quæro vnde habeat illam consensionem malam nulla contraria cogente natura?*

Hæc

Hac profligata parte, ad alteram aggreditur: *Si autem cogitur consentire, ita vt non sit in eius potestate aliter facere; non ergo, vt dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate consentit.* Quare autem non consentit voluntate, id est liberè? Quia *si cogitur*, inquit, *cedere potiùs, quàm consentire dicenda est.* Hinc patet ex S. Augustini mente, illum tantùm voluntate consentire, qui habet in potestate aliter facere. quo vno recens opinio subruitur.

PARAGRAPHVS IV.

Probatur quartò ex libris de libero Arbitrio, & de Vera Religione.

OCVLOS profectò sibi effoderunt, qui cùm S. Augustini libros de libero arbitrio vel cursim legunt, damnari ab eo nouam Theologiam non vident. Vix est in iis vlla pagina in qua liberum arbitrium non à coactione tantùm, sed etiam ab simplici necessitate abhorrere non confirmet. Singula quæ in hanc rem faciunt non persequar minutatim, sed omnium summam quam ipse l. 3. cap. 18. collegit, hîc adscribam. Sic habet: *Reminiscere superiorum, quæ à nobis tam multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt.* QVIS ENIM PECCAT IN EO QVOD NVLLO MODO CAVERI POTEST? PECCATVR AVTEM, CAVERI IGITVR POTEST. I nunc, & S. Augustinum opinionis tuæ fundum contestare, qui præfractè negas de ratione liberi arbitrij esse, vt omni necessitate sit solutum, ac neutri alligatum par-

ti, quique contendis acriter ad peccatum satis esse, vt qui peccat, sponte peccet; licèt à peccato temperare non possit

Huic loco geminus est alter l. de vera Religione cap. 14. *Nunc verò, inquit, vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Neque hîc metuendum ne voluntarij nomine spontaneum quis intelligat, nam ipsi fatentur Aduersarij S. Augustinum eò loci voluntarium illud dixisse, quod ita amplectimur, vt perinde omittere possimus, & contrarium asciscere. vnde aiunt hanc definitionem primi tantùm hominis peccato conuenire, non iis verò quæ dæmonis tyrannidi mancipati, & carnalis concupiscentiæ vinculis irretiti committimus. Quod quàm verè dicant, mox videro.

Non congeram aceruatim alia S. Augustini testimonia, quæ in eandem sententiam occurrunt quamplurima; quia vt antè præmonui, non is ego sum qui ea numero magis, quàm pondere æstimem.

SECTIO II.

Quæ Aduersarij ex retractationibus, & libris contra Manichæos, ac Pelagianos opponunt, dissoluuntur, & tradita hactenus S. Augustini doctrina validè comprobatur.

SENTIVNT Aduersarij tam euidentibus S. Augustini testimoniis suum dogma conuelli. Quare nihil non moliuntur, vt eorum vim infringant. Caluinum consulunt, suum his in rebus oraculum, & ex eius in Pighium libris duplex effugium emendicant, aut furantur. Tantâ verò audaciâ, vt merum libri ter-

tij compendium faciant, cui nihil de suo addidere, præter locos aliquot operis imperfecti in Iulianum, quod Caluini temporibus non extabat. Porrò vtriusque effugij vna est sententia, quam Caluinus l. 4. paucis adstringit. *Nullus est*, inquit, *istorum omnium* testimoniorum *rectior interpres*, *quàm Augustinus*, *qui suam in communi causa mentem exponit* in libris retractationum & aliis contra Pelagianos scriptis. *Quod enim* contra Manichæos *dixerat non posse inueniri culpæ rationem vbi dominatur necessitas*, *nonnisi in sana & integra naturæ consideratione valere admonet: vbi autem de vitiata natura sermo est*, *peccatum esse palam pronunciat*, *siue vitari posit*, *siue non posit*.

Nihil hîc dissimulabo, cùm primò Caluinum legerem de hac quæstione copiosissimè disputantem l. 3. in Pigh. penè persuasit mihi ita sentire S. Augustinum. Pudet id fateri. Sed quis tot præstigiis, artibúsque non caperetur? Integra S. Augustini testimonia recitat, quæ illud ipsum totidem ferè verbis eloquuntur, eáque tam scitè suis responsionibus intexit, vix vt fraudem peruigil, & attentus lector subodoretur. Quanquam hæc me nihil admodum excusant; nam si callidi veteratoris artibus hac opinione afflari potui: in ea certè hærere vel momento non debui. Si illos ipsos, quos Caluinus allegat, S. Augustini locos non perfunctoriè, & subsultim, sed continenter & accuratè legissem; cognouissem continuò, & S. Augustinum Caluino nihil fauere, & Caluinum de S. Augustino pessimè mereri, qui truncatas laceráque tanti viri sententias suis è quæstionibus ac locis auellat, & contrarium in sensum vel malitiosè, vel imperitè deflectat. Quod ego hoc loco paulò fusiùs demonstrabo triplici de causa. Primò, sua vt constet superioribus S. Augustini testimoniis fides & auctoritas. Secundò, vt insignem Caluini impudentiam omnes execrentur, qui Albertum Pighium, aliósque Doctores Catholicos

diris omnibus deuouet, quòd illud S. Augustini: *Quis peccat in eo, quod caueri nullo modo potest*: de homine corrupto, perinde atque de integro dictum putent. Tertiò, vt nouæ opinionis Auctores pudeat, tam perdita in causa adhæsisse Caluino, & infames eius quisquilias deosculari. Vertitur hac vna quæstione maximæ difficultatis cardo. quare lectorem rogo, vt eam attentè perlegat. Ego vt tenebras depellam quas illi Caluinus affudit, dicam quàm potero ordinatissimè, & quæ de ignorantiæ peccatis occurrent, in sectionem sequentem accuratiùs tractanda reiiciam.

PARAGRAPHVS I.

Prima obiectio confutatur, probatúrque S. Augustinum etiam de natura lapsa dixisse, neminem peccare in eo quod caueri non potest.

NEGAT S. Augustinus peccare quempiam in eo, quod caueri nullo modo potest. Si verba, vt sonant, vniuersè accipiuntur, actum est de nouo dogmate. At exclamat Caluinus: *inspiciat locum qui volet, annon de peccati initio loquatur.* Idem succlamat nouus Dogmatistes. Inspiciamus locum, quandoquidem vterque sic iubet. Petitur ex libro 3. de lib. arb. c. 18. vbi ita loquitur: *Quæcumque ista causa est voluntatis; si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est vt caueri omnino non possit? si ita est nulla peccata sunt.* QVIS ENIM PECCAT IN EO QVOD NVLLO MODO CAVERI POTEST? PECCATVR AVTEM, CAVERI IGITVR POTEST. Hactenus nihil habet nouum dogma quo nitatur. Audiamus reliqua. *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur &c. sunt etiam necessitate facta improbanda vbi vult ho-*

Lib. 1. de statu nat. lapsæ cap. 4. lib. 4 cap. 11. & lib. . cap. 9. 10. 11. 12.

mo rectè facere, & non potest. Exiliunt ad hæc verba Caluinus, eiúsque partiarij, & quasi partâ victoriâ procaciter insultant. En, inquiunt, peccandi necessitatem, quâ homines ignorantiæ tenebris occæcati, & concupiscentiæ vinculis irretiti opprimuntur; Ergo de statu naturæ lapsæ non dicitur: *Nemo peccat in eo quod caueri nullo modo potest.*

Sed nimium est præceps isthæc eorum exultatio. Legant quæ sequuntur, & inuenient, quod immodicum illum prægestientis animi ardorem compescat. *Hîc occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam & Eua peccauerunt, quid nos miseri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus.* Huius querelæ hæc summa. Aiunt homines excusari se à peccato, quòd post Adami & Euæ lapsum vel ignorantia, vel concupiscentia eos necessariò in peccatum inducat. Si S. Augustinus in ea fuisset opinione, quam illi Caluinus imponit, respondisset, ideo homines non excusari à peccato licèt necessariò peccent, quia non est de ratione peccati naturæ lapsæ, vt caueri possit. Sed longè aliter respondet. Expende singula eius verba, omnia ferè præposteræ nouitatis capita rescindunt. *Quibus breuiter respondetur, vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò vbique sit præsens, qui per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem,* NON TIBI DEPVTATVR AD CVLPAM QVOD INVITVS IGNORAS, SED QVÒD NEGLIGIS

QVÆRERE QVOD IGNORAS: NEQVE ILLVD QVÒD VVLNERATA MEMBRA NON COLLIGIS, SED QVÒD VOLENTEM SANARE CONTEMNIS, ISTA TVA PROPRIA PECCATA SVNT. Loquitur de homine corrupto, & ignorantiæ tenebris, ac carnalis concupiſcentiæ nexibus implicato, docétque primò, *non deputari illi ad culpam quod inuitus ignorat.* Falſum ergo, quod noua ſciſcit Theologia, ignorantiam inuincibilem iuris naturalis in ſtatu naturæ lapſæ non excuſare à peccato. Docet ſecundò, neque etiam homini culpæ tribui, quòd *vulnerata membra non colligat.* Id eſt, vt ex obiectione conſtat, quòd *renitente carnalis concupiſcentiæ neceſſitate* non poſſit bene agere: Ergo & illud quoque falſum, peccandi neceſſitatem à concupiſcentia oriri, quæ à peccato non excuſet. Docet tertiò, Deum ita omnibus hominibus gratiâ ſuâ adeſſe, *vt auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem.* Ergo cenſet dari in hoc ſtatu gratiam ſufficientem, omnibus promiſcuè hominibus oblatam. Quam tamen Caluinus ita execratur, vt Sorbonicos, quòd illam aſſererent, phreneticos appellet.

Tam graui teſtimonio oppreſſus nouæ libertatis auctor, quà elabi poſſit, non video. Niſi forte huic loco habendam fidem neget, quòd libri de libero arbitrio ab Auguſtino adhuc tyrone, & Manichæorum erroribus recens extricato ſcripti ſint. Sed hoc effugium ſibi præcluſit, cùm ex hoc loco quæſtionem totam diſſolui voluit: præcluſit & S. Auguſtinus, qui iam ſenior contra Pelagianos ſcribens librum de natura & gratia, illius loci meminit capite 67. nec eum probat modò, ſed etiam integrum deſcribit, aítque vel hoc vno Pelagianam hæreſim præfocari, quòd in eo apertè gratiam Dei prædicet, *ſine quâ natura humana tam contenebrata atque vitiata, illuminari non poteſt, & ſanari.*

Etsi nihil habet Aduersarius quod huic opponat loco, obstrepit tamen, & illud S. Augustini ingeminat: *Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest.* Quod ad solum naturæ lapsæ statum pertinere probat ex sequentibus verbis. *Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium: nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Respondeo S. Augustinum his verbis non loqui de peccatis actualibus, quæ deliberatò à nobis fiunt, quæque culpæ vertuntur: sed de concupiscentia, eiúsque motibus indeliberatis, quam peccatum vocat, non quòd propriè peccatum sit, sed quòd à peccato originem ducat, & ad peccatum inclinet. vnde cùm eodem loco, post citata ab Aduersariis verba, dixisset: *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis, ista tua propria peccata sunt:* quasi præsentiret Aduersariorum obiectionem, statim subiicit, ea quæ per ignorantiam, aut concupiscentiam necessariò fiunt, non propriè, sed metaphoricè tantùm esse peccata, quemadmodum sermo Græcus aut Latinus non propriè, sed metaphoricè tantùm est lingua. NAM ILLVD QVOD IGNORANS QVISQVE NON RECTE FACIT, AVT QVOD RECTE VOLENS FACERE, NON POTEST, IDEO DICVNTVR PECCATA, QVIA DE PECCATO ILLO LIBERE VOLVNTATIS ORIGINEM DVCVNT: *illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solùm membrum illud, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur, id est formam tenorémque verborum, secundùm quem modum alia dicitur lingua Græca, alia Latina:* SIC NON SOLVM PECCATVM ILLVD DICIMVS, QVOD PROPRIE VOCATVR PECCATVM, LIBERA ENIM VOLVNTATE, ET AB SCIENTE COMMITTITVR: SED

ETIAM ILLVD QVOD IAM DE HVIVS SVPPLICIO CONSEQVATVR NECESSE EST. Quis est tam pertinax, qui tanta huius sententiæ perspicuitate non vincatur? Distinguit in hoc statu naturæ lapsæ duo peccatorum genera. Primum eorum quæ propriè peccata dicuntur, *libera enim voluntate, & ab sciente committuntur*, vt cùm *negligis quærere quod ignoras*, aut *volentem sanare contemnis; nam ista tua propria peccata sunt*. Alterum est eorum, quæ necessitate fiunt, & idcirco propriè non sunt peccata, sed hoc tantùm nomine censentur, quòd peccati fructus sint. Cuiusmodi est *illud quod ignorans quisque non rectè facit, aut quod rectè volens facere, non potest*. Atque hinc est quod illud peccati genus negat deputari ad culpam: *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis*, &c. Nec erubescunt Aduersarij, cùm ex hoc loco probant, peccata propriè dicta, quæ à nobis deliberatò fiunt, quæque sempiternis ignibus à Deo vindicantur, necessitate committi.

Quantus sit hic eorum stupor clarebit ampliùs, si diligentiùs expendas illam linguæ similitudinem, quam S. Augustinus adhibet, vt ostendat quo sensu peccatum sit, quidquid ex originalis peccati pœna necessariò fluit. *Sicut*, inquit, *linguam dicimus, non solùm membrum illud, quod mouemus in ore*, &c. Ex qua similitudine sic disputo: Sermo Græcus non est propriè lingua, sed tantùm metaphoricè: Ergo neque peccatum necessitate expressum propriè peccatum est, sed tantùm metaphoricè. Respondent Aduersarij Apologia 2. parte 3. cap. 10. S. Augustinum eiusmodi similitudine id vnum velle: peccata necessitate expressa esse quidem verè peccata; sed non tam propriè, quàm primum hominis peccatum. At ista responsio hominis est ex difficili loco enatare, nec tam S. Augustini explicare mentem, quàm se ipsum extricare conantis. Illud verò constabit ex aliis S. Augustini locis, in quibus eadem linguæ simili-

ſimilitudine vtitur, vt demonſtret metaphoricè dumtaxat concupiſcentiam eſſe peccatum. libro 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 23. *Ipſa concupiſcentia iam non eſt peccatum in renatis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, vt ſi non ſit quod ſcriptum eſt: Non concupiſces: fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Iam vide quo ſenſu ſit peccatum. VOCATVR PECCATVM, QVIA PECCATO FACTA EST, CVM IAM IN REGENERATIS NON SIT IPSA PECCATVM, SICVT VOCATVR LINGVA LOCVTIO, QVAM FACIT LINGVA: ET MANVS VOCATVR SCRIPTVRA, QVAM FACIT MANVS. Et libro 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 13. *Sed hæc* (concupiſcentia) ETIAMSI VOCATVR PECCATVM, NON VTIQVE QVIA PECCATVM EST, SED QVIA PECCATO FACTA EST, SIC VOCATVR: SICVT SCRIPTVRA MANVS CVIVSQVE DICITVR, QVOD MANVS EAM FECERIT. Quid hac ſimilitudine S. Auguſtinus probat? An concupiſcentiam verè quidem in renatis peccatum eſſe, at non tam propriè, quàm primum Adami peccatum? Eſt illa quidem Caluini opinio: at eam noui Doctores execrantur. Fateri igitur debent S. Auguſtinum id contendere: concupiſcentiam in renatis propriè peccatum non eſſe, ſic tamen appellari, quòd peccato facta ſit: ſicut ſcriptura manus dicitur, quòd manus eam fecerit; ergo & id vnum pugnat, cùm ait: *Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit, aut quid rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Nam ſicut linguam dicimus membrum illud*, &c. Cùm eandem prorſus ſimilitudinem, & ſignificantioribus adhuc verbis expreſſam adhibeat.

Et verò ſi Aduerſarius contendit peccatum eſſe propriè quod neceſſariò fit; licèt Auguſtinus aſſerat eo

tantùm modo peccatum esse, quo scriptura manus est: quidni & Caluino contendere licebit, concupiscentiam in renatis propriè peccatum esse; licèt S. Augustinus disertè asserat, eam non alio modo esse peccatum, quàm scriptura manus est? Cur, inquam, istud Caluino pari iure non licebit? Cùm eo loco, de quo litigamus, manifestè S. Augustinus de concupiscentia eiúsque motibus indeliberatis loquatur. *Sunt*, inquit, *etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest. Nam vnde sunt illa voces: Non enim quod volo, facio bonum: sed quod odi malum, hoc ago.* En illa necessitatis peccata, de quibus S. Augustinus agit, quæque ait improbanda. At contendere Aduersarius non ausit, Apostolum cùm hæc diceret, concupiscentiæ consensisse. Siquidem hæc eius verba: *Quod odi malum, hoc ago*, contrarium apertè significant. vnde S. Augustinus libro 6. contra Iulianum cap. 11. docet, *in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cùm mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, rectè intelliguntur esse carnales.* Et paulo pòst ait Apostolum his verbis ostendisse, *concupiscentias carnis solum impulsum libidinis operari, sine consensione peccati.* Quod probat ex his verbis: *Non quod volo ago: velle adiacet mihi: Quod nolo, hoc ago: condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Ergo de sola concupiscentia, eiúsque motibus indeliberatis loquitur, qui ex Aduersariorum confessione impropriè tantùm peccata sunt.

Qui istud expendet, dubitare profectò non poterit illum S. Augustini locum, de quo confligimus, ab Aduersariis fœdè deprauari. Pugnant S. Augustinum de peccatis propriè dictis agere, cùm ait: *Sunt etiam necessitate facta improbanda.* At contrarium euincunt, quæ proximè sequuntur: *Vbi vult homo rectè facere, & non potest. Nam vnde sunt illa voces: non enim quod volo*

facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago. Quæ, vel ex eorum sententia, peccata tantùm impropriè dicta designant, cùm de sola concupiscentia, eiúsque motibus indeliberatis loquantur. Sed ne quid habeant nouæ opinionis fautores, quod huic explicationi nostræ obiicere possint, S. Augustinum audiant mentem suam disertè enarrantem libro 1. retract. cap. 15. *Potest*, inquit, *etiam putari falsa esse ista sententia, quâ diximus: Nusquam nisi in voluntate esse peccatum; quia dixit Apostolus: si autem quod nolo facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vsque adeo non est in voluntate, vt dicat: quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum?* SED HOC PECCATVM, DE QVO SIC LOCVTVS EST APOSTOLVS, IDEO PECCATVM VOCATVR, QVIA PECCATO FACTVM EST, ET POENA PECCATI EST: QVANDOQVIDEM HOC DE CONCVPISCENTIA CARNIS DICITVR, *quod aperit in consequentibus dicens: scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum, non.* Nihil hîc ambiguum. Ait peccatum illud, de quo dixerat: *Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest*, non esse propriè dictum peccatum, sed concupiscentiam, quæ ideo *peccatum vocatur, quia peccato facta est, & pœna peccati est.* Hinc fluxit illud Synodi Tridentinæ decretum, sess. 5. de peccato originali: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Ex his omnibus sic argumentor: Quotiescumque S. Augustinus ait quædam necessaria esse peccata, toties exemplum ponit in Apostolo dicente: *non quod volo bonum hoc ago:* Atqui peccatum illud, de quo Apostolus sic loquebatur non est propriè dictum

peccatum, vel ipſo interprete S. Auguſtino; Ergo quotieſcumque S. Auguſtinus ait, quædam neceſſaria eſſe peccata, non loquitur de peccatis propriè dictis.

Inſtabis 1. loqui S. Auguſtinum de peccatis, quæ *improbantur, & corrigenda iudicantur:* ergo quæ imputantur ad culpam, ac proinde quæ propriè peccata ſunt. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam illa duo apud S. Auguſtinum valdè diuerſa ſunt, improbari, & imputari ad culpam. Concupiſcentia deterſo reatu non imputatur ad culpam, improbatur tamen & corrigenda iudicatur, quia à peccato oritur, & ad peccatum prolectat. Hinc eſt quòd tam ſæpe aduersùs Pelagianos iterat, malam eſſe concupiſcentiam, improbandam, corrigendam. Quod ſatis indicat celebris ille locus l. 4. contra Iulian. c. 5. *Cur non potiùs malum vocetur, quod fateris eſſe frænandum? cur quæſo frænandum, niſi ne noceat? niſi ne ad illicita, quæ deſiderat, relaxetur? & vtique deſiderium mali, malum eſt, etiamſi ei non conſentiatur.* De ignorantia dicam tota ſectione ſequẽti.

Inſtabis 2. non benè explicari in hac ſententia, quod ſubiicit S. Auguſtinus. *Si non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt.* Reſpondeo, tam commodè illud explicari, támque ad S. Auguſtini mentem appoſitè, vt hinc maximè noſtra opinio corroboretur. Ait S. Auguſtinus ignorantiam & concupiſcentiam ideo tantùm eſſe peccata, quia ſunt in peccati pœnam irrogatæ. Hoc poſito, quid clarius, quàm ea nullo modo fore peccata, ſi in peccati pœnam non infligantur, ſed inſerantur ab natura?

PARAGRAPHVS II.

S. Auguſtini locus, ad quem Aduerſarij prouocant, ampliùs expenditur, & ab inſigni eorum corruptela vindicatur.

VENIO quò me Aduerſarij manu conſertum vo-

cant: neque, vt illi, abruptis ex libro tertio de libero arbitrio sententiolis velitabor: postrema libri parte, quanta quanta est, dimicabo. Huius argumentum & summam ita colligit S. Augustinus l. 1. retract. cap. 9. & l. de dono perseuer. cap. 11. QVAMVIS IGNORANTIA, ET DIFFICVLTAS (sic concupiscentiam vocat) ETIAMSI ESSENT HOMINIS PRIMORDIA NATVRALIA, NEC SIC CVLPANDVS DEVS, SED LAVDANDVS ESSET. *Sicut in eodem libro 3. disputauimus.* Inde concludo, hallucinari Aduersarios cùm aiunt ignorantiam, & concupiscentiam ineluctabili peccandi necessitate nos constringere, quod sic probo: Si ignorantia, & concupiscentia ineluctabilem peccandi necessitatem inducunt, hoc ipso quo ponerentur esse primordia hominis naturalia, culpandus esset Deus: Atqui ex S. Augustino hoc ipso quo ignorantia & concupiscentia ponerentur esse primordia hominis naturalia, non esset culpandus Deus; Ergo ex S. Augustino ignorantia & concupiscentia ineluctabilem peccandi necessitatem non inducunt. Maior ex ipsis Aduersariorum principiis sumitur, quibus probant hominem non posse creari à Deo cum ignorantia & concupiscentia, quia peccata quæ ex vtraque necessariò fluunt, non tam homini tribuerentur, quàm Deo, qui illum cum hac peccandi necessitate condidisset: minor ipsissima S. Augustini verba continet: consequentia est euidens.

Quid ergo prætexent effugij? S. Augustini verba conantur obscurare. Sed quàm infeliciter, ex ipso eorum Patriarcha cognosce. Libro 3. de statu naturæ puræ capitibus 17. 18. 19. & 20. citatum S. Augustini locum proponit sibi, in eóque dissoluendo ita se vexat & torquet, vt nusquam viderim illustriorem aliam hominis cum aperta veritate luctantis imaginem. Responsionis hæc summa: id tantùm voluisse S. Augustinum, in illa hypothesi, quæ ignorantiam & con-

cupiscentiam ab natura insitas ponit, non sequi, Deum eo modo culpandum esse, quo Manichæi culpandum fingebant, cùm Dei partem inesse corporibus nostris, & carnis societate ad peccandum adigi delirabant: nunquam verò negasse hoc sensu culpandum esse Deum in illa hypothesi, quòd hominis peccata in Deum, tanquam in naturæ auctorem refluerent. Hæc tanto sudata labore responsio, cui operosi illi de statu puræ naturæ libri, & alia nouæ sectæ mysteria sic incumbunt, vt illa ruente concidere debeant, & labi. Hanc ego nisi stramineam, absurdam, ridiculam ostendero, manus dabo. Sed vt validiùs confutetur,

Obseruandum 1. Manichæorum erroris duas esse partes, quas S. Augustinus cùm alibi sæpe, tùm præcipuè eo ipso loco, de quo agimus, libri primi retract. cap. 9. recenset. Primò, *Negant*, inquit, *ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt.* Secundò, aliam peccati causam ponunt, *volentes immutabilem quandam & Deo coæternam introducere mali naturam.* Prima parte Catholicam sententiam labefactant; secundâ suam stabiliunt.

Obseruandum 2. S. Augustinum postremam Manichæi dogmatis partem in libro de duabus animabus, aliísque operibus confutasse: priorem verò in libris de libero arbitrio, quibus hoc vnum spectat, ab libero arbitrio peccati originem duci, nec inde tamen illud esse consequens, quod inferebant Manichæi, peccata nostra in naturæ auctorem redundare. At quia Manichæi, vt id probarent, statuebant ignorantiam & concupiscentiam nobis ab natura inseri, S. Augustinus docet etiam in illa hypothesi, hominum peccata in Creatorem non refundi, atque adeo falli Manichæos, qui, hanc vnam ob causam, peccata ab libero arbitrio proficisci negabant. Hinc illa eius verba libro de dono

perseu. c. 11. *Quamuis in libro 3. de libero arbitrio, ita de paruulis disputauerim, vt etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi,* &c.

His obseruatis facilè diluitur futilis illa Aduersariorum responsio. Nam si, vt volunt, concedit S. Augustinus in illa hypothesi, quæ ignorantiam & concupiscentiam nobis innatas fingit, hoc sensu culpandum esse Deum, quòd hominis peccata illi tanquam naturæ auctori adscribantur; idque vnum negat, in eadem hypothesi ita culpandum esse, quasi pars eius aliqua nostris corporibus illigetur, & ad peccandum carnis societate cogatur. Si, inquam, ita sentit S. Augustinus, primò grauiorem Catholicis, quàm Manichæis plagam infligit; nam Manichæi Dogmatis posteriorem quidem partem atterit: at priorem, quâ Catholicorum opinio euertitur, adiuuat. Secundò, causam quam susceperat, prodit; nam his libris id probare instituerat, falli Manichæos, qui pugnabant in illa hypothesi non posse peccata ab libero arbitrio originem ducere, quin culpa in Deum, tanquam in naturæ auctorem reflueret, quòd totum non illis gratificaretur modò, sed verum esse certaret. Proinde inanis esset hæc eius gloriatio l. de dono perseu. cap. 11. *In tertio libro de libero arbitrio secundùm vtrumque sensum restiti Manichæis, siue supplicia siue primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur.* Tertiò, probaret quidem in illa hypothesi non esse aliquo sensu culpandum Deum, non tamen probaret esse absolutè laudandum, cùm alio sensu culpandum esse fateretur. Quod quàm sit à S. Augustini mente alienum, patet ex toto illo libro 3. de libero arbitrio, & ex l. 1. retract. cap. 9. quo libros de libero arbitrio recognoscit. Nam ibi testatur se ita in illis libris disputasse, vt siue ignorantia & concupiscentia peccati supplicia essent, siue na-

turæ primordia, *laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter illos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt.* Ex his omnibus ita iocularem Aduersariorum responsionem oppugno: S. Augustinus dum ait, *Quamuis ignorantia & difficultas essent primordia hominis naturalia, nec sic tamen culpandus esset Deus*, hoc sensu culpandum Deum negat, quo Manichæi in Catholicorum sententia culpandum pugnabant: Atqui Manichæi in Catholicorum sententia Deum hoc tantùm sensu culpandum pugnabant, quòd illi hominum peccata, tanquam naturæ auctori tribuerentur; Ergo S. Augustinus dum ait, *quamuis ignorantia & difficultas essent primordia hominis naturalia, nec sic tamen culpandus esset Deus*, hoc sensu culpandum Deum negat, quòd illi hominum peccata tanquam naturæ auctori tribuantur.

Confirmatur: Esto, explicent vtcumque Aduersarij, quomodo in illa hypothesi non esset culpandus Deus; non tamen explicant, nec explicare possunt, quomodo in eâdem hypothesi esset laudandus. Vnde ne id tentauit quidem nouæ factionis signifer: nam cap. 2. quo se illam difficultatem exsufflaturum promiserat, titulum hunc inscribit: *Ostenditur quomodo Deus non esset culpandus, si ignorantia & difficultas essent primordia hominis naturalia.* Fidem hîc tuam erudite Lector appello. Ait S. Augustinus in illa hypothesi non modò culpandum non esse Deum, sed etiam esse laudandum: hic se tanta difficultate perfunctum putat, si ostenderit, quomodo aliquo sensu non esset culpandus Deus: at quomodo etiam laudandus esset, ostendere ne conatur quidem. Et verò quomodo id ostenderet, cùm Deum in eadem hypothesi peccati auctorem futurum esse contendat? En noui Dogmatistæ candorem! Hinc reliquas eius insidias cognosce, & *crimine ab vno, disce omnes.*

Libet

Libet hunc nodum arctiùs ſtringere, vt nouæ opinioni fauces elidantur. Teſtatur S. Auguſtinus capite citato libri 1. retract. ſe in libris de libero arbitrio demonſtraſſe, non culpandum, ſed laudandum eſſe Deum etiam in illa hypotheſi, quæ ignorantiam & concupiſcentiam ab natura fluere ſtatuit; Age conſulamus locum, & rationes, quibus id probat, expendamus. Nam ex his conſtabit, ignorantiam & concupiſcentiam peccandi neceſſitatem non imponere. Sed quia Aduerſarij ſyllabis ac vocibus inſidiantur, vt aliquid captent, quo vel interpellare dicentem, vel aliò diſputationem auocare poſſint; proderit ante conflictum ea expedire paucis, vnde fortè certamini moram iniicerent. Do illis primò quod contendunt, nihil ſtatuere S. Auguſtinum an hypotheſis illa, quæ ignorantiam & concupiſcentiam ab natura profectas fingit, poſſibilis ſit, an non. Do ampliùs falſam eſſe & impoſſibilem. nihil enim id cauſæ noſtræ incommodat, modò concedatur, quod negari non poteſt, etiam in illa hypotheſi, Manichæorum aduersùs Catholicos argumenta retundi poſſe. quæ omnia id ſpectabant: *Ex libero voluntatis arbitrio mali originem non duci, & Deum, ſi ita eſt, creatorem omnium naturarum culpandum eſſe.* Do illis ſecundò, longè abeſſe S. Auguſtini hypotheſim, ab hypotheſi naturæ puræ; quòd hæc finem ſupernaturalem, & gratias eò conducentes excludat: illa verò & eundem finem, & eaſdem omnino gratias, quas in hoc reparatæ naturæ ſtatu habemus, complectatur. Do illis tertiò, ponere S. Auguſtinum in hypotheſi ſua peccaſſe Adamum, & hoc peccato ſuo immortalitatem aliáſque ſtatus innocentiæ dotes ſibi & poſteris amiſiſſe: at nullum in eos peccatum transfudiſſe, adeóque animas corporum ſocietate nihil contrahere labis, & ignorantiam ac concupiſcentiam ſubire, non vt peccati, quo carent, ſupplicia: ſed vt naturæ primordia. Hoc vno præcisè S. Auguſtini hypotheſim ab hoc na-

Libro. 3. de ſtatu puræ nat. cap. 17.

turæ reparatæ statu discrepare concedo: fateórque id non probabiliter tantùm, sed & certò demonstrari iis, quæ proferunt, S. Augustini testimoniis.

Etsi hæc omnia quæ tam operosè probant Aduersarij, illis dederim: vincam tamen rationes omnes, quibus S. Augustinus efficit in illa hypothesi non esse culpandum Deum, sed laudandum, nouæ opinionis caput ferire. Nam inde sumuntur, quòd ignorantia & concupiscentia peccandi necessitatem non inducant; & nullus sit homo, qui à Deo gratiam non accipiat, quâ eas vincere, & à peccato temperare possit. Audi loquentem: *Ignorantia & difficultas etiamsi essent primordia hominis naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset.* Quid ita? Quia inquit capite 20. ANIMA FACVLTATEM HABET, VT ADIVVANTE CREATORE SE IPSAM EXCOLAT, ET PIO STVDIO POSSIT OMNES ACQVIRERE ET CAPERE VIRTVTES, PER QVAS ET A DIFFICVLTATE CRVCIANTE, ET AB IGNORANTIA CÆCANTE LIBERETVR. Item: Quia Deus ETIAM IN IPSA IGNORANTIA, ET DIFFICVLTATE LIBERAM VOLVNTATEM PETENDI, QVÆRENDI, ET CONANDI NON ABSTVLIT, DATVRVS PETENTIBVS, DEMONSTRATVRVS QVÆRENTIBVS, PVLSANTIBVS APERTVRVS. Rursus: *Caro venientibus ad se animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quæ neque his, neque creatori tanquam culpanda tribuatur; Dedit enim ille facultatem bene operandi in laboriosis officiis, & viam fidei in obliuionis cæcitate.* Non quòd omnibus fidei lumen illuxerit, sed quòd singulis gratiam petendi & quærendi inspiret, quâ si vtantur bene, gradatim ad fidem assurgant. Sic illud explicat cap. 22. *Quòd ergo ignorat, quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene vsa fuerit.* ACCEPIT AVTEM VT PIE ET DILIGENTER QVÆRAT, SI

VOLET. Ex his omnibus ita concludit cap. 22. *Si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini* (en hypothesim de qua agimus) *nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit, aut à profectu retrorsum relabi voluerit, iure meritóque pœnas luet. Creator verò eius vbique laudatur, vel quòd eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoauerit, vel quòd eius profectum adiuuet, vel quòd impleat proficientem atque perficiat.* Hinc liquet docere S. Augustinum, idcirco Deum non esse culpandum, sed laudandum, etiamsi ignorantia & concupiscentia ab natura oriantur, quòd omnes & singulos homines ita gratiâ suâ adiuuet, vt illas vincere: & à peccato, ad quod inclinant, abstinere possint. Ergo falluntur qui negant ex mente S. Augustini omnibus hominibus gratias dari, quibus frænare concupiscentiam, & peccatum cauere possint.

Confirmatur ex iis quæ addit, vt probet in eadem hypothesi peccatores iustè puniri. *Ignorantia verò & difficultas si naturalis est, inde incipiat anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoueri. Quem profectum in studiis optimis, atque pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, iustè in grauiorem quæ iam pœnalis est, ignorantiam, difficultatémque præcipitatur.* Et cap. 20. *Quodsi agere noluerit peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vsa sit ea facultate quam accepit.* QVANQVAM ENIM IN IGNORANTIA ET DIFFICVLTATE NATA SIT, NON TAMEN AD PERMANENDVM QVOD NATA EST, ALIQVA NECESSITATE COMPRIMITVR. Ergo supponit S. Augustinus nullam ab concupiscentia peccandi necessitatem imponi; nam si vel vnus homo sit, quem concupiscentia tanta necessitate in peccatum abripiat, vt sustinere se, & à peccato temperare non possit, ruunt hæc omnia. Siquidem homo ille, si concupiscentia naturalis esse ponatur, puniri à Deo iustè non poterit.

Illustratur hæc ratio. Sumo ego hominem vnum, qui æstuante concupiscentia pronus in vitia feratur. Peto ab Aduersariis an Deus huic homini gratiam offerat, quâ possit hoc momento, quo peccat, peccatum cauere. Respondent, nec Deum offerre hanc gratiam, nec hominem istum posse à peccato abstinere. Ampliùs quæro. Quare ergo huic homini imputatur peccatum, cùm illud necessariò committat? Aiunt ideo imputari, quia concupiscentia, à qua illa peccandi necessitas oritur, peccato originali contracta est. Ergo si concupiscentia à natura manaret, homo ille nec peccaret, nec iustè à Deo puniri posset. Fatentur. At illud ipsum est, quod disertè S. Augustinus negat in libris retractationum, imò ibidem asserit, se in libris de libero arbitrio demonstrasse etiam in illa hypothesi hunc hominem peccaturum, & suppliciis æternis iustè plectendum. Hîc hærent omnes, & quasi de cælo tacti obstupescunt. Hæret & ipse totius factionis antesignanus, atque hunc locum veluti fatalem suo Dogmati scopulum reformidat.

Est forte qui putet posse hunc nodum solui, si dicatur, sentire S. Augustinum in illa hypothesi, quæ concupiscentiam naturalem fingit, dandas omnibus hominibus gratias, quibus illam vincere possent: at in hoc statu eiusmodi gratias non dari. Tam perdita est illa responsio, vt nouus Doctor, licèt proiectus ad audendum, in summa rerum suarum desperatione tentare illam non ausus sit. Nam intelligebat primò, pugnare illam cum S. Augustini mente. Siquidem, vt ipse multis probat, vult S. Augustinus in prædicta hypothesi manere omnia, quæ in hoc naturæ reparatæ statu fiunt, nihilque mutari, nisi quòd ignorantia & concupiscentia naturales sint. Et sanè aliàs inepta esset S. Augustini argumentatio, nec Manichæos refelleret; nam illud maneret semper, quod illi contendebant, peccata quæ iam homines committunt, non illis, sed Deo esse tri-

buenda, si nulla alia re mutata, ab homine, ignorantiæ & concupiscentiæ naturaliter obnoxio, fieri ponantur. Intelligebat secundò, eandem solutionem suo Dogmati aduersari. Nam gratia, quæ in illa hypothesi omnibus hominibus daretur ad vincendam concupiscentiam, vel esset gratia sufficiens, qualem in statu innocentiæ omnibus dandam fuisse concedit, vel gratia efficax, qualem in hoc statu quibusdam dari statuit. Non primum, quia ex eius opinione gratia sufficiens nihil contra concupiscentiam potest, támque est impossibile hominem concupiscentiâ oppressum cum illa gratia bene agere, quàm sine vlla omnino gratia. Non secundum, quia gratia illa efficax, qualis in hoc statu ex eius mente datur, semper effectum sortitur; ac proinde si in illa hypothesi omnibus daretur, nullus malè ageret. quod est manifestè contra S. Augustini mentem, qui tunc etiam homines aliquos peccaturos, & pœnis æternis cruciandos esse concedit.

Hanc ego responsionem non ideo confutandam putaui, quòd ab aliquo vsurpatam scirem, sed vt postremum hoc effugium occluderem desperatis hominibus, qui sæpe, vt de Vincentio Victore S. Augustinus dixit, vel per naufragium periculo exire conantur.

PARAGRAPHVS III.

Altera Aduersariorum obiectio confutatur, & explicatur fusè quid sit ex S. Augustini mente peccatum tantùm, quid peccatum simul & pœna peccati.

SVPERIORI persimilis est ista obiectio, nisi quòd paulò intricatur magis, & pluribus ac subtilioribus cauillis inuoluitur. Aiunt iniquè nos facere, & Pelagianorum vestigiis ingredi, cùm ex hoc loco, aliísque eiusdem sententiæ; *Peccatum est voluntas amittendi aut consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est absti-*

Lib. 4. de statu nat. lapsæ cap. 11. & lib. 3. cap. 9. 10. 11. 14.

nere, homini lapſo liberam abſtinendi à peccato poteſtatem vindicamus. Quia Auguſtinus ipſe, cùm ex iiſdem locis Pelagiani ipſi litem intenderent, clariſſimè mentem ſuam expoſuit, docuítque illam peccati definitionem non conuenire peccato, quod etiam peccati pœna eſt, cuiuſmodi ſunt omnia peccata quæ in hoc naturæ lapſæ ſtatu committuntur. Sed illi duntaxat, quod tantummodo peccatum eſt, cuiuſmodi ſolum fuit primi parentis peccatum. Doctrinam hanc mutuati ſunt ex Caluino, qui libro 3. obiicienti Pighio peccatum definiri à S. Auguſtino: *Id vnde liberum eſt abſtinere.* Reſpondit: *Iam in his etiam verbis mentem ſuam Auguſtinus ediſſerat. Vera, inquit, propterea eſt definitio, quia id definitur quod tantummodo peccatum eſt, non etiam pœna peccati. Vides ipſius auctoris teſtimonio non niſi primo Adæ peccato conuenire hanc definitionem.*

Duplex eſt huius reſponſionis flagitium. Primò nomine peccati, quod S. Auguſtinus tantummodo peccatum vocat, cuíque conuenire ait, vt ab eo liberum ſit abſtinere, ſolum primi hominis peccatum cenſent. Et tamen S. Auguſtinus eodem nomine, eadémque definitione, illa etiam peccata comprehendit, quæ in hoc naturæ lapſæ ſtatu deliberatò committuntur. Secundò, per peccatum quod eſt etiam pœna peccati, & à quo S. Auguſtinus negat liberum eſſe abſtinere, intelligunt omnia peccata, quæ in hoc naturæ lapſæ ſtatu deliberatò à nobis fiunt: & tamen S. Auguſtinus eo nomine illa tantùm peccata complectitur, quæ ex omnium opinione caueri non poſſunt: nimirum, originale peccatum, quod propriè peccatum eſt, & concupiſcentiam cum motibus eius indeliberatis, atque iis peccatis, quæ ex ignorantia inuincibili committuntur, quæ licèt propriè peccata non ſint, vocat tamen peccata, quòd primi peccati fructus ſint, & pœnæ. Sed antequam iſta particulatim demonſtro, placet inueſtigare qua de cauſa Pelagiani tam ſæpè

S. Augustino obiecerunt, docuisse illum contra Manichæos liberum esse à peccato abstinere, & neminem peccare in eo quod caueri nullo modo potest. Nam qui vel hoc vnum attenderit, & S. Augustini mentem clarissimè intelliget, & insignem Caluini in S. Augustino corrumpendo vafritiem mirabitur.

Pelagiani duplici de causa superiores peccati definitiones S. Augustino impegerunt. Primò, vt vincerent hominem natiuis, & ab ipsa insitis origine pollere viribus, atque adeo sine vllo medicinalis gratiæ auxilio à peccato continere, & vitam æternam consequi posse. Sic enim colligebant: Augustinus contra Manichæos scribens docet, hominem posse à peccato abstinere, nec tamen gratiæ meminit, cuius beneficio id possit; Ergo Augustinus contra Manichæos scribens sentiebat hominem sine gratia à peccato abstinere posse. Hoc Pelagianorum argumentum refert & confutat S. Augustinus l. de natura & gratia cap. 67. & l. 1. retract. cap. 9. vbi cùm sua hæc verba ex libris de libero arbitrio recitasset: *Quis peccat in eo quod caueri nullo modo potest?* Addit: *In his, atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant.* Quia, vt iisdem locis subnectit, *potest peccatum caueri, sed opitulante illo, qui non potest falli.* Nihil hæc Aduersarios subleuant, mihi potiùs patrocinantur. Nam si arbitraretur S. Augustinus definitionem illam peccati, ad solum primi hominis peccatum pertinere, ita respondisset: meritò se gratiæ mentionem non fecisse, cùm dixit hominem à peccato abstinere posse, quia de illo tantùm homine loquebatur, qui nondum peccati seruus erat, quíque poterat, sine illa gratia, de qua litigabant, peccatum cauere. Fuisset hæc longè facilior, & ad reuincendam Pelagij improbitatem multò magis explicata responsio.

Altera causa propter quam Pelagiani tam sæpè S. Augustino obiecerunt, docuisse illum contra Manichæos, peccatum caueri posse, ducitur ex altero Pelagianorum errore. Statuebant illi, homines ex Adami peccato nihil domesticæ labis & maculæ contraxisse; ideóque S. Augustinum vexabant acriter, quòd doceret inhærere pueris iam inde ab ipso matris vtero peccatum aliquod, ab Adamo in posteros transfusum, & baptismo abluendum. Item, quòd diceret concupiscentiam non esse insitam à Deo, sed ex eodem Adami peccato, quasi ægritudinem quandam intestinámque corruptelam, fluxisse: ac proinde non modò non esse bonam & laudandam, vt aiebant Pelagiani, sed etiam peccati nomine censeri, quòd à peccato profecta esset, & ad peccatum alliceret. Sic autem contra S. Augustinum ex eius contra Manichæos libris argumentabantur: Augustinus contra Manichæos scripsit nullum esse peccatum nisi voluntarium, & neminem peccare in eo quod cauere non potest; Ergo tunc sentiebat nullum esse peccatum originale, & concupiscentiam non esse peccatum, quia neutrum voluntarium est, aut caueri potest. Respondet S. Augustinus, illas peccati definitiones quas ex suis in Manichæos libris proferebant Pelagiani, non conuenire illi peccato, quod est pœna peccati, cuiusmodi sunt peccatum originale, & concupiscentia; sed illi, quod tantummodò peccatum est, cuiusmodi sunt omnia peccata quæ à nobis deliberatò fiunt, & præcipuè primum hominis peccatum, de quo maximè cum Manichæis certabat.

Præstat S. Augustinum audire illud ipsum copiosè, ac disertè explicantem l. 1. operis imperf à pag. 36. ad 48. Primò integrum Iuliani argumentum proponam, deinde S. Augustini responsionem. Ita disputat Iulianus pag. 36. *In eo libro, cui titulus est, de duabus animabus, ita loqueris: peccatum est voluntas amittendi,*

tendi, vel retinendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. ô lucens aurum in stercore! quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset? vbi hæc pluribus castigauit S. Augustinus, reliqua Iuliani verba, quæ Pelagianorum argumenti conclusionem continent, subtexit pag. 43. *Ostende ergo hæc duo in paruulis posse constare, si nullum est sine voluntate peccatum, si nulla voluntas vbi non est explicata libertas; si non est libertas vbi non est facultas per rationem electionis; quo monstrato peccatum in infantibus inuenitur* (ironicè hæc dicit) *qui rationis vsum non habent: igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem? Atque his irrefutabiliter concessis, nec aliquod omnino peccatum?* En celebre illud Pelagianorum argumentum quod Pelagius tam sæpe, quod Iulianus importunè S. Augustino ingerit, quódque breuius libro 2. pag. 245. in hæc verba colligit: *Nec posse in paruulo quodpiam esse peccatum, cuius nulla alia conditio est secundùm definitionem tuam, quam voluntas amittendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Ad hoc argumentum dissoluendum ita se accingit S. Augustinus pagina 40. *Tria ista discernas, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, vbi voluntas est agendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere: Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non vtrumque.*

Si hîc hæsisset S. Augustinus, nihil habuissent Aduersarij, quod prudenter opponerent, rixari tamen & pro suo more altercari potuissent. At ea subiicit quæ illos, si frontem habent, pudore suffundant, & æternum præposteræ nouitati silentium indicant. *Habent autem tria ista genera, etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine vllo modo quæstionis occurrit: multa quippe sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam libe-*

rum est, quàm illi fuit, qui Deo suo à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio deprauatus adstabat. Huc aures Caluine. Ait S. Augustinus multa homines facere mala, à quibus eis liberum est abstinere, atque adeo quæ ad primum illud genus pertineant, quod tantummodo peccatum est, non etiam pœna peccati, cuique conuenit illa definitio, quam tu soli primi hominis peccato ab Augustino tributam fuisse contendis. Sed id posteriùs videro, quod instat absoluamus. *Secundi autem generis vbi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur, velut cùm pro suo scelere qui peccauit occiditur.* Nihil ad rem nostram genus istud pertinet, sed omitti non debuit, ne quis suspicaretur truncare me locum istum; atque, vt Aduersarij solent, quæ mihi nocent supprimere. Postremò, tertij generis exemplum ponit in concupiscentia. *Tertium verò genus vbi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit: quod nolo malum, hoc ago.* His explicatis ad Iuliani argumentum enucleatiùs soluendum accedit, docétque: peccatum originale, neque ad primum, neque ad secundum genus pertinere, sed ad tertium. Atque idcirco mirum non esse, si caueri non possit, cùm id primo tantùm peccatorum generi conueniat. *Proinde*, inquit, *originale peccatum nec ad illud pertinet, quod primo loco posuimus, vbi est voluntas malum operandi vnde est liberum abstinere, alioquin non esset in paruulis, qui nondum voluntatis vtuntur arbitrio. Nec ad illud quod secundò commemorauimus; de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quod non est peccatum, quamuis peccati meritò subsequatur: quam quidem patiuntur & paruuli; quia inest eis corpus mortuum propter peccatum; non tamen mors corporis ipsa peccatum est, aut corporalis quicumque cruciatus.* Quare peccatum originale ad tertium genus reuocat. *Adhuc genus tertium, vbi sic peccatum est, vt ipsum sit & pœna peccati, quod inest quidem nascentibus.* At ne quis miretur inesse pec-

catum nascentibus, qui nihil adhuc boni, aut mali egere, addit: *Origo tamen etiam huius peccati descendit à voluntate peccantis, fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Vident quibus est aliquid sanæ mentis & iudicij, Pelagianos ex superiori peccati definitione solum originale peccatum impugnasse, & S. Augustinum ab eâdem definitione originale tantùm & concupiscentiam segregasse.

Delineata breuiter generali huius difficultatis notione, quæ duo antè probanda susceperam paucis exequar. Primum est, S. Augustinum nomine peccati, quod tantummodo peccatum est, cuique prædictam definitionem accommodat, Adami quidem peccatum præcipuè intelligere, at eadem voce, eadémque definitione illa etiam peccata complecti, quæ à nobis deliberatò fiunt. Probatur primò ex loco proximè citato: MVLTA SVNT QVÆ AGVNT HOMINES MALA A QVIBVS EIS LIBERVM EST ABSTINERE, SED NVLLI TAM LIBERVM EST, QVAM ILLI FVIT, &c. continent hæc verba argumentum à minori ad maius, quo probat S. Augustinus Adami peccatum, *sine vllo modo quæstionis*, pertinere ad primum peccati genus, quod tantummodo peccatum est, cuique illa definitio conuenit: *Peccatum est vnde liberum est abstinere.* sic autem formatur illud argumentum. Multa peccata, quæ iam homines committunt, pertinent ad primum peccati genus, quod tantummodo peccatum est; *quia multa sunt, quæ agunt homines mala à quibus eis liberum est abstinere*; Ergo à fortiori Adami peccatum pertinet ad illud primum genus, quia *nulli tam liberum est quàm illi fuit*, &c. Probatur secundò, ex eodem libro 1. operis imperfecti pag. 157. obiecerat Iulianus: *Peccatum secundùm definitiones tuas iam nec in moribus inuenitur.* S. Augustinus multis hanc calumniam depellit, ac postremò ita concludit: CVM IGITVR ET ILLA FATEAMVR IN HOMINIBVS ESSE PEC-

CATA QVÆ COMMITTVNTVR NON NECESSITATE, SED VOLVNTATE; QVÆ TANTVMMODO PECCATA SVNT, VNDE AB EIS LIBERVM EST ABSTINERE (ſingula hæc verba expende) *Et peccatis de ignorantia & affectionum neceſſitate venientibus, quæ iam non ſolùm peccata ſunt, verùm etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, quomodo dicis definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inueniri?* Si hac ſententia opinionem ſuam configi non vident Aduerſarij, mentem profectò contradicendi ſtudio amiſerunt. Probatur tertiò, ex libro 1. retract. cap. 15. vbi recognoſcit illud ex libro de duab. Animab. *Nuſquam eſt niſi in voluntate peccatum.* quibus verbis non voluntatem quamlibet, ſed indifferentem ac nulla re neceſſariò circunſcriptam deſignari nouus Doctor contendit. vnde ſoli primi hominis peccato competere ait quod S. Auguſtinus dixerat: *Nuſquam eſt niſi in voluntate peccatum.* Cui probando illud ipſum ex libro 1. retract. teſtimonium adhibet, quo iam ego contrarium euinco. ſic habet: *Peccatum autem, quod nuſquam eſt niſi in voluntate, illud præcipuè intelligendum, quod iuſta damnatio conſecuta eſt; Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundum.* Miror quin verbum illud, *præcipuè*, nouus Doctor extriuerit; nam eo ſtante ridiculè ex hoc loco colligit ſoli primi hominis peccato conuenire, vt voluntate fiat; cùm inde ſequatur potiùs alteri etiam id congruere; quod ſequentia S. Auguſtini verba clariſſimè demonſtrant: QVANQVAM ET HOC PECCATVM, QVO CONSENTITVR PECCATI CONCVPISCENTIÆ, NON NISI VOLVNTATE COMMITTITVR.

Libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21.

Alterum quod me probaturum receperam, iſtud eſt: S. Auguſtinum nomine peccati, quod etiam pœna peccati eſt, quódque excludit à ſuperiori definitione, non complecti ea peccata, quæ prolectante, & ad malum inuitante concupiſcētia deliberatò à nobis fiunt.

Probatur primò, ex eo quòd huius generis exempla in iis tantùm peccatis ponat, quæ ex omnium opinione necessariò fiunt aut contrahuntur: nimirum, in peccato originali, & in concupiscentiæ motibus indeliberatis: alia verò quæ deliberatò à nobis fiunt manifestè ab hoc genere secernit, tradítque persæpe: *In hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere.* Item: *multa esse quæ agunt homines mala à quibus eis liberum est abstinere.* Et sanè nunquam Pelagiani aduersùs ista peccata ex superiori definitione præscripserunt, sed tantùm aduersùs originale peccatum, eiúsque appendices ignorantiam & concupiscentiam. Probatur secundò, quia si valeret hac in parte Aduersariorum doctrina, S. Augustini aduersùs Manichæos disputatio rueret, clariùs dicam noui Doctoris phrasi, *Augustini de Manichæis victoria esset vana, imò fallax & falsa*, nec iam tredecim eius libri, sed plus triginta, *funditus euerterentur.* Sed cùm longiorem tractationem exigat hæc probatio, integrum illi Paragraphum assignabo, eámque repetam altiùs, vt hoc noui Dogmatis propugnaculum à fundamentis exscindam.

PARAGRAPHVS IV.

Probatur inuictissimè S. Augustinum ab illis peccati definitionibus, quas contra Manichæos attulit, non exclusisse ea peccata, quæ ab hominibus ignorantiâ & concupiscentiâ implicatis deliberatò committuntur.

OBSERVANDVM I. S. Augustinum cum Manichæis de primi hominis peccato præcipuè certasse, quia litigabant de mali origine, seu de primo peccati principio. Hoc mihi Aduersarius concedit, & ex S. Au- Libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 11.

gustino manifestè colligitur, qui libro 1. operis imperfecti pag. 37. agens de superiori peccati definitione, quam contra Manichæos vsurpatat, ait: *Hîc peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati, de hoc quippe agendum fuit quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum.* Quibus verbis insolescentem Iulianum coercet, qui illa definitione peccatum originale, si quod esset, comprehendi debuisse contendebat.

Obseruandum 2. S. Augustinum in hoc cum Manichæis conflictu nunquam pro confesso aut explorato sumere, primum hominem ignorantiâ & concupiscentiâ caruisse. Patet id primò, quia numquam id se ita sumere profitetur. Secundò, quia nec sumere potuit; cùm non modò id negarent Manichæi, sed etiam in contradictoria propositione causæ suæ firmamentum ac præsidium ponerent; sic enim contra Catholicos argumentabantur: Peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ implicati non potest esse à libero arbitrio; Atqui primum peccatum, de quo agimus, fuit peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ implicati; Ergo primum peccatum, de quo agimus, non potest esse à libero arbitrio. Suum verò de duabus animabus commentum ex eodem principio sic firmabant: Concupiscentia, quam homo iam inde à prima origine habet, non potest esse à Deo; Ergo est à principe tenebrarum. Item: Eadem concupiscentia non potest esse creatæ à Deo naturæ vitium; Ergo est alienæ additamentum. Hæc Manichæorum argumenta refert & confutat S. Augustinus cùm multis aliis in locis, tum præcipuè in libris de libero arbitrio, & in libro de duabus animabus. Non potuit igitur S. Augustinus pro confesso, & explorato sumere, primum hominem ignorantiam & concupiscentiam non habuisse, cùm præsertim nondum illud

ab Ecclesia definitum esset, aut ab aliquo Ecclesiastico scriptore validè comprobatum.

Obseruandum 3. S. Augustinum Manichæis liberaliter indulgere, primum hominem ignorantiam & concupiscentiam ab ipsa origine tanquam naturæ primordia hausisse. Quod vt illis daret duplex ratio persuasit. Primò quòd aduersùs Manichæos satis firmè probare non posset vitiatam esse peccato originali naturam: quia vetus instrumentum, & locos aliquot noui, quibus peccati originalis mentio fit, repudiabant. Secundò, quia etiam in illa hypothesi, quæ primum hominem ignorantiæ, & concupiscentiæ subiicit, sacrilega Manichæorum deliria reuincere poterat. Multùm conferet ad victoriam hæc obseruatio, quare, etsi clara sit ipsa per sese, pluribus tamen S. Augustini testimoniis est comprobanda. libro 1. retract. c. 9. clarissimè id exponit. *Ad quam miseriam iusta damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam nisi Dei gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum:* QVAMVIS IGNORANTIA ET DIFFICVLTAS ETIAMSI ESSENT PRIMORDIA HOMINIS NATVRALIA, NEC SIC CVLPANDVS, SED LAVDANDVS ESSET DEVS, *sicut in eodem libro* 3. de libero arbitrio *disputauimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris instrumenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quidquid inde in litteris apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt à corruptoribus scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum.*

Similis est locus alter l. de dono perseu. cap. 11. *Cur autem causam paruulorum ad exemplum maiorum (sicut scribitis) non patiuntur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per vnum*

hominem intrauit in mundum, & ex vno omnes iße in condemnationem. Quod & Manichæi non accipiunt, qui non solùm omnes veteris instrumenti scripturas in vlla auctoritate non habent, verùm etiam eas quæ ad nouum pertinent testamentum sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, imò sacrilegio quod volunt sumant, quod nolunt reiiciant. Contra quos agebam in libris de libero arbitrio, vnde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleatè soluere nolui, ne nimium longum opus esset, vbi me aduersùs tam peruersos testimoniorum Diuinorum non adiuuabat auctoritas: & poteram, sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certa tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum. Quod paucis interpositis sic contrahit: *Quamuis ergo libro 3. de libero arbitrio ita de paruulis disputauerim, vt* ETIAM SI VERVM ESSET QVOD DICVNT PELAGIANI, IGNORANTIAM ET DIFFICVLTATEM, SINE QVIBVS NVLLVS HOMO NASCITVR, PRIMORDIA NON SVPPLICIA ESSE NATVRÆ, VINCERENTVR TAMEN MANICHÆI. Et capite 12. *In tertio libro de libero arbitrio secundum vtrumque sensum restiti Manichæis, siue supplicia siue primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur.* Vides quàm sæpè profitetur S. Augustinus se Manichæis dedisse ignorantiam & concupiscentiam esse naturæ primordia, quia nec contrarium aduersùs illos probare facilè poterat, nec, vt eorum somnia refelleret, id probare opus habebat.

His prænotatis satis opinor elucet, quod contendo: S. Augustinum contra Manichæos de primi peccati origine disputantem, ab his definitionibus: *Peccatum est id vnde liberum est abstinere.* Item: *Nemo peccat in eo quod caueri non potest*, quas disputationis suæ fundamenta esse voluit, non ea peccata remouisse, quæ ab homine concupiscentiâ & ignorantiâ oppres-

ſo committuntur. Nam inde facile eſt ita argumentari : S. Auguſtinus Manichæis dabat, ignorantiam & concupiſcentiam à natura inſitas eſſe, ac proinde Adamum cùm primum illud peccatum commiſit, de quo maximè litigabant, ignorantiam & concupiſcentiam habuiſſe; ergo à primi illius peccati definitione, peccatum non excluſit ab homine ignorantiâ & concupiſcentiâ implicato commiſſum. Confirmatur, ſi S. Auguſtinus aduerſus Manichæos dimicans peccati, de quo cum illis certabat, definitione, illud tantùm comprehendiſſet quod ab homine ignorantiâ & concupiſcentiâ vacuo committitur, ſuppoſuiſſet hominem primum non habuiſſe ignorantiam & concupiſcentiam, atque adeo egiſſet imprudentiſſimè, ne quid grauiùs dicam, qui id diſputationis ſuæ fundamentum poſuiſſet, quod præfractè negabant Manichæi, quódque ipſe nec aduersùs illos probauit vnquam, nec validè probare potuit.

Id conſtabit ampliùs, ſi S. Auguſtini argumenta ſuperioribus peccati definitionibus innixa ſpectemus. Duplici genere continentur : alia enim Manichæorum de anima ſubſtantialiter mala commentum directè petunt: alia Catholicam de libero arbitrio ſententiam firmant. Priora omnia ad hunc ſyllogiſmum reuocantur: Malum quod caueri poteſt, & vnde liberum eſt abſtinere, non poteſt eſſe ab anima ſubſtantialiter mala: Atqui primi hominis peccatum, eſt malum quod caueri poteſt, & vnde liberum eſt abſtinere; Ergo primi hominis peccatum non poteſt eſſe ab anima ſubſtantialiter mala. Vno hoc telo Manichæos impetit in libro de duabus animabus, in libris contra Fortunatum, Felicem & Secundinum Manichæos: Item in libris de libero arbitrio, aliíſque compluribus. At quàm imbelle eſt illud, ſi S. Auguſtinus his primi peccati definitionibus illa tantùm peccata complectitur, quæ fiunt ab homine ignorantiâ & con-

cupiscentiâ vacuo? Nam hic erit minoris sensus: Atqui primum peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ carentis, est malum quod caueri potest, & vnde liberum est abstinere. Quid inde colliget? nimirum: Ergo primum peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ carentis non potest esse ab anima substantialiter mala. Quod profectò Manichæis nihil incommodat, qui vllum eiusmodi hominem extitisse funditus negabant, quique primum hominis peccatum idcirco tantùm animę substantialiter malæ tribuebant, quòd illum ignorantiam & concupiscentiam tanquam naturæ primordia iam inde à prima origine habuisse arbitrarentur. Certè vt Manichæos læderet isthæc S. Augustini argumentatio, priùs probandum esset, primum hominem ignorantiâ & concupiscentiâ caruisse, quod, vt antè præmonui, nec aduersùs Manichæos probauit vnquam, nec satis firmè probare potuit.

Maiorem vim non habebunt posterioris generis argumenta, quibus S. Augustinus Catholicam de libero arbitrio sententiam tuetur: vno hoc syllogismo comprehenduntur omnia. Malum quod caueri potest, & vnde homini liberum est abstinere, debet esse à libero arbitrio: Atqui primum peccatum hominis est malum, quod caueri potest, & vnde homini liberum est abstinere; Ergo primum peccatum hominis debet esse à libero arbitrio. Si, vt pugnant Aduersarij, minoris hic est sensus: Atqui primum peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ carentis est malum quod caueri potest: quis erit ex Manichæorum fæce tam indoctus, qui hoc argumentum non rideat? Cùm id probet vnum, peccatum hominis ignorantiâ & concupiscentiâ carentis debere esse à libero arbitrio, quod Manichæi non illibenter dabunt: siquidem de solo hominis concupiscentiâ irretiti peccato negant, esse illud à libero arbitrio. Dudum, opinor, intelligis quàm mollis sit in Aduersariorum sententia, quàm fractus & imbel-

lis disputator S. Augustinus, qui tot in libris, tam sæpe, tam importunè illa Manichæis argumenta ingerat, quæ eos ne feriant quidem, quæque vt eludantur, non *Fausti suauiloquentiæ illecebras*, non *Romanum Secundini ingenium*, sed pueruli eâdem sectâ leuissimè tincti infantiam desiderent.

Efficiam verò vt ipsi sentiant Aduersarij se exarmare S. Augustinum, & partas ex Manichæorum strage palmas eius in manibus infringere. Testatur S. Augustinus iis in libris quos omnium ferè postremos exarauit: nimirum, in retractationibus libro 1. cap. 9. & libro de dono perseuerantiæ cap. 11. & 12. se ita aduersùs Manichæos disputationem suam temperasse, vt siue ignorantia & concupiscentia, sine quibus nullus hominum modò nascitur, essent naturæ primordia, aut peccati supplicia, vincerentur tamen Manichæi, atque hominum peccata ex libero nasci arbitrio demonstraretur. Peto ab Aduersariis, vt ostendant verè istud à S. Augustino dici, & ex his peccati definitionibus, *Peccatum est id vnde liberum est abstinere.* Item, *Nemo peccat in eo quod caueri non potest*, quibus integra S. Augustini aduersùs Manichæos disputatio nititur, vel vnum argumentum contexant, quo illud probabiliter euincatur. Hoc si tentauerint, intelligent profectò se non modò S. Augustini aduersùs Manichæos opera omnia eneruasse, sed illud etiam falsitatis arguere, quod ex posterioribus eius libris protuli.

Stet igitur, quod ruere non potest, quin S. Augustini doctrina plus sexaginta libris consignata collabatur: nempe, S. Augustinum cùm in libris retractationum affirmauit, se his peccati definitionibus primum præcipuè hominis peccatum explicasse: non id dixisse ea mente, vt ab iis peccata arceret, quæ concupiscentiæ lenociniis pellecti, aut ignorantiæ tenebris implicati deliberatò committimus; Nam & primum hominem iis blanditiis ac tenebris caruisse non supponebat,

cùm has definitiones primo eius peccato accommodaret. Quamobrem & in hoc vitiatæ naturæ ſtatu peccata agnoſcit, quibus illæ definitiones conueniant. Vnde aurea illa verba ex libro 1. operis imperfecti pag. 157. *Cùm igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, vnde ab eis liberum eſt abſtinere. Et peccatis de ignorantiæ & affectionum neceſſitate venientibus, quæ iam non ſolùm peccata ſunt, verùm etiam pœnæ ſunt peccatorum*, &c. Dicam tota ſectione ſequenti, quæ ſint illa ignorantiæ peccata, de quibus S. Auguſtinus tum hoc loco, tum alibi paſſim & perſæpe diſputat.

PARAGRAPHVS V.

Multum abeſſe à noui Doctoris mente S. Auguſtinum, cùm peccandi neceſſitatem quandam ex concupiſcentia fluere docet.

SI bene Aduerſarios noui, ne cogitabunt quidem de ſuperiori argumento, quo illorum dogma penitus ſubuertitur, diſſoluendo. Sed pro more ſuo aliquot S. Auguſtini teſtimonia opponent, quæ totidem verbis ex Doctore ſuo deſcribunt, ille verò ex Caluino; parum interim ſolliciti quòd tantam, quantam ſuperiori paragrapho expoſui, S. Auguſtini doctrinæ labem intulerint. Quamuis autem, quæ ex S. Auguſtino obiicere poſſunt, aut diſertè explicata ſint à me paragraphis 1. 2. 3. aut ex iis, quæ ibidem diſputaui, facilem habeant expoſitionem: placet hîc tamen pauca adiungere, quibus hæc quæſtio illuſtrabitur ampliùs, & Danielis Chamieri iurati Caluiniſtæ temeritas reuincetur, qui libro 3. de libero arbitrio cap. 2. & 17. pluribus contendit, perperam à Papiſtis Cal-

uinum redargui, quòd scripserit concupiscentiam peccandi necessitatem inducere.

Notandum primò, peccatum non semper vsurpari pro culpa. Nam vt obseruat S. Thomas in compendio Theologiæ cap. 119. *Malum actionis ad aliquem finem ordinatæ, ad quem non debito modo se habet, peccatum dicitur tam in voluntariis, quàm in naturalibus.* Quamobrem vt idem docet capite sequenti, *Si in actionibus non voluntariis ordinatis ad finem defectus accidat, peccatum tantùm dicitur: si autem in voluntariis, dicitur non solùm peccatum, sed culpa.* Illud ipsum obseruant reliqui Theologi, atque inprimis Richardus in 2. distinct. 21. quæst. 3. qui inde colligit *in omni tentatione carnis licèt semper sit peccatum, quod est vitium; non tamen semper esse peccatum quod est culpa, vel demeritum, cùm sæpe huiusmodi tentatio non sit in voluntatis potestate.* Posteriores Theologi, atque illi præcipuè, qui cum Caluinistis congressi sunt, rem eandem aliis verbis expressere. Aiunt aliud esse peccatum materialiter, aliud peccatum formaliter. Peccatum materialiter est illud omne quod fit contra legem, etiam à nesciente, aut sui non compote. Sic qui patrem interficit putans esse feram, peccatum materialiter committit. Peccatum verò formaliter addit rationem culpæ ex libertate profectam.

Notandum secundò, necessitatis nomen non semper in strictiori illa notione vsurpari, quæ potestatem ad vtrumlibet adimit. Nam & necessitas quædam moralis est, quæ aliud nihil, quàm maximam aliter agendi difficultatem designat. Sic qui solet deierare, dicitur id necessariò facere, quia abstinere non potest, nisi vim magnam sibi adhibeat.

Doctores Catholici qui aduersus Caluinum scripsere, de concupiscentia sic pronunciant. Duplicem ex illa peccandi necessitatem oriri. Prima, est necessitas propriè dicta peccandi impropriè; quatenus ex concupiscentia motus indeliberati necessariò prosiliunt,

qui impropriè peccata sunt. Secunda, est necessitas impropriè dicta peccandi propriè; quatenus concupiscentia, non omnimoda necessitate, at maxima propensione, quæ difficillimè vinci potest, ad deliberatum etiam peccatum nos inclinat. Pars vtraque ex S. Augustini mente sigillatim explicanda.

Primam quidem toties tradit, quoties negat concupiscentiam, eiúsque motus indeliberatos in regeneratis esse propriè peccata. Quod disertissimè facit libro 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 22. libro 1. de nuptiis & concupisc. cap. 23. libro 6. contra Iulianum cap. 5. libro 1. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 13. & libro 1. retract. cap. 15. Quapropter cùm libro 5. in Iulian. cap. 3. docet concupiscentiam in renatis *non solùm pœnam & causam peccati, sed etiam esse peccatum*, materialiter peccatum sumit. Hinc soluitur peruagatum illud Caluini, Chemnitij, Melanchthonis, Buceri, Petri Martyris, aliorúmque Sectariorum argumentum, quo motus concupiscentiæ esse propriè dicta peccata sic probant: Quidquid non est conforme legi diuinæ peccatum est, vt patet ex illo primæ Ioan. cap. 3. *Peccatum est iniquitas*, siue ἀνομία, vt habetur in Græco: At motus indeliberati concupiscentiæ non sunt conformes legi diuinæ; Ergo sunt peccata. Respondent Catholici scriptores, atque in primis Bellarminus libro 5. de amissione gratiæ & statu pecc. cap. 14. probari quidem hoc argumento motus illos, qui rationem anteuertunt, esse peccata materialiter, quidquid enim non est conforme legi, hoc saltem modo peccatum est. At negant inde confici peccata esse formaliter. Quemadmodum eodem argumento probaretur quidem homicidium ab amente perpetratum esse peccatum materialiter, non verò formaliter. Priorem hanc partem leuiter tantùm attigi, quòd hîc nouæ opinionis fautores à Caluino dissentiant. Fatentur enim motus indeliberatos concu-

piſcentiæ non eſſe propriè peccata. Quod etſi veriſſimè & Catholicè, minùs tamen ad ſua principia conſentaneè affirmant. Nam ſi verè peccat qui ex ignorantia inuincibili, atque adeo prorſus inuoluntariè contra legem naturalem committit: quidni peccabit etiam, qui indeliberato libidinis motu aliquid lege naturali prohibitum appetit?

Ad alteram partem aggredior, quæ planiſſima videbitur tibi, ſi recorderis peccandi neceſſitatem quæ ex originali concupiſcentia naſcitur, conferri à S. Auguſtino cum illa peccandi neceſſitate, quæ ex conſuetudine fluit. Sic diſputat. 2. contra Fortunatum: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt,* (loquitur de libertate in ſtatu perfecto ſpectata) *ille ſic factus eſt, vt nihil omnino voluntati eius reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſeruare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccauit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab eius ſtirpe deſcendimus. Poteſt autem vnuſquiſque noſtrûm mediocri conſideratione inuenire verum eſſe quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cùm autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animum pernicioſa dulcedo & voluntas, eadem ipſa conſuetudine ſic implicatur, vt poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt. Videmus multos iurare nolle: ſed quia iam conſuetudinem lingua tenuit, non poſſe refrænare, quin ea exeant de ore ipſorum, quæ non poſſumus dicere ad mali ſtirpem non pertinere.* Quamobrem cùm Pelagiani faterentur quamdam eſſe peccandi neceſſitatem ex inueterata conſuetudine contractam, atque has Apoſtoli voces: *Non quod volo, facio bonum; ſed quod nolo malum, hoc ago*, hominis eſſe dicerent, *qui nimiâ vitiorum conſuetudine velut quadam teneretur neceſſitate peccandi*, vt ex ipſo Pelagio S. Auguſtinus refert libro de gratia Chriſti cap. 39. cùm hæc, inquam, Pelagiani

faterentur, petit à Iuliano S. Augustinus libro 1. operis imperfecti pag. 156. vt tantum concedat Adami peccato, quantum malæ consuetudini tribuit.

Quæ est porrò peccandi necessitas à mala consuetudine profecta? Ex S. Thoma cognosce, qui quæstione 6. de malo artic. vnico, cùm obiecisset sibi: *Augustinus dicit in 8. Confess. quòd dum consuetudini non resistitur fit necessitas; ergo videtur quòd saltem in his, qui sunt assueti aliquid facere, voluntas ex necessitate moueatur*, Respondet ad 24. *dicendum quòd consuetudo facit necessitatem non simpliciter: sed in repentinis præcipuè. Nam ex deliberatione quantumcunque consuetus, potest contra consuetudinem agere.* Quæ assertio non Theologorum tantùm, atque Philosophorum auctoritate, sed communi etiam mortalium omnium experientia confirmatur. Cui adstipulatur S. Augustinus, nam illam peccandi necessitatem ex consuetudine ortam respectu actus deliberati, nihil aliud esse docet, quàm summam difficultatem. Sic libro 1. de sermone Domini in monte cap. 12. *Hanc enim vincere difficillimum est, & tamen hanc ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo duce atque adiutore superabit.* Et libro 7. in Iulianum cap. 7. *Consuetudinis malo difficilè resistitur.* Item libro 2. de Actis cum Felice Manichæo cap. 8. *Nam hodie libera voluntate faciunt homines consuetudinem, quam cùm fecerint facilè superare non possunt.* Quemadmodum igitur consuetudo in repentinis quidem necessitatem, in deliberatis verò maximam nobis affert difficultatem, quæ & necessitas impropriè appellatur: sic & concupiscentia, quam ex primi parentis peccato hæreditariam habemus, indeliberatos quidem motus necessariò profundit, ad deliberatos verò ita voluntatem inclinat, vt ab iis temperare vix possit. Quapropter S. Augustinus concupiscentiam difficultatis nomine sæpissimè appellat. Sic lib. 1. retract. c. 9. *Quamuis ignorantia & DIFFICVLTAS essent primordia hominis natura-*

naturalia, &c. Et libro de dono perseuerantiæ cap. 11. *Etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani ignorantiam & DIFFICVLTATEM sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ.* Item libro 3. de libero arbitrio cap. 20. *Vt autem de illo primo coniugio, & cum ignorantia, & cum DIFFICVLTATE, & cum mortalitate nascamur.* Tum paulò pòst: *Quanquam enim in ignorantia, & DIFFICVLTATE nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est aliqua necessitate comprimitur.* Vnde eodem loco concludit neminem esse, cui Deus auxilium non suppeditet ad illam difficultatem superandam, vt paragrapho secundo demonstraui.

Difficultatis illius, quæ ex domestica carnis corruptela nascitur, quámque aliàs infirmitatem nuncupat, vim ac pondus eleganter expressit libro 83. qq. q. 70. Nam hæc Apostoli verba exponens, *Vbi est mors contentio tua?* sic ait: *Mortem significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem quæ resistit bonæ voluntati*, &c. *Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat antè omnimodo in libero arbitrio, cùm in paradiso nullus dolor denegatâ delectatione voluntati bonæ hominis resistebat, sicuti nunc. Verbi gratiâ, si quisquam existat, quem nunquam delectauit venatio, omnimodo liber est vtrum venari velit, an nolit, nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si istâ libertate malè vsus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim surrepens delectatio mortificat animam, vt si se abstinere velit, absque molestia, & sine angore non possit, cùm id antè totâ sanitate non ageret. Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ iam possit resistere bonæ voluntati, & cum dolore cohiberi.* Non aliam igitur peccandi necessitatem carnalis illa consuetudo, seu concupiscentia nobis imponit, quàm magnam difficultatem, quæ absque dolore cohiberi non potest. Nec aliter primi parentis peccato libertatem ad vtrumlibet amisimus, quàm qui venandi consue-

tudine se implicuit, libertatem ad venandum, aut non venandum sibi eripuisse dicitur. Nam vt ille impedire non potest, quin erumpant subinde indeliberati venationis amores: sic homo lapsus, primos lasciuientis concupiscentiæ motus premere non potest. Sed vt ille necquicquam pelliciente venandi cupiditate potest nolle venari, quanquam non sine difficultate; sic homo lenocinantis concupiscentiæ illecebris potest non consentire, non tamen absque ærumna & cruciatu. Quam in rem apposité S. Thomas de veritate quæst. 24. artic. 12. ad 12. illud S. Augustini: *Cogenti cupiditati voluntas resistère non potest.* ita soluit: *Cupiditas dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest resisti, licèt cum difficultate.*

Atque hoc sensu S. Augustinus illa necessitatis peccata, de quibus tam sæpe agit, manifestè interpretatur libro 2. de peccatorum meritis & remissione c. 10. vbi verba sancti Iob sic illustrat: *Illud verò quod ait, Dinumerasti omnes necessitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis, signasti peccata mea in folliculo, & annotasti si quid inuitus commisi: nonne satis apparuit etiam illa peccata iustè imputari, quæ non delectationis illecebrâ committuntur, sed causâ deuitandæ molestiæ alicuius, aut doloris, aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam necessitate committi, cùm omnia superanda sint amore & delectatione iustitiæ. Potest etiam quod dixit, Et annotasti si quid inuitus commisi: ad illam vocem videri pertinere quâ dictum est, Non enim quod volo ago, sed quod odi hoc facio.* Quibus Apostoli verbis indeliberati concupiscentiæ motus exprimuntur, vt iam ostendi ex libro 1. retractat. cap. 15. Vides vtramque peccandi necessitatem hoc in loco expressam, posterioribus quidem in verbis strictam necessitatem peccandi impropriè, propter motus indeliberatos: in prioribus verò necessitatem impropriam, peccandi propriè. De hac posteriori necessitate rursus agit eodem libro cap. 19. eámque nihil aliud

esse dicit, quàm molestiam seu difficultatem bene agendi. *Secutum est*, inquit, *ex debita iusta pœna tale vitium, vt iam molestum esset obedire iustitiæ.*

Confirmari ista validè possunt ex hoc loco Geneseos cap. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius,* quem aduersùs Caluinum vrgent Doctores Catholici Tapperus, Arboreus, Alphonsus à Castro, Klingius, Stapletonus, & Bellarminus, quémque Chamierus libro 3. de libero arbitrio cap. 14. frustra eludere nititur. Possunt & alia, cùm ex scripturis, tum ex Patribus ad eandem peccandi necessitatem explodendam adduci, quæ cùm apud Catholicos scriptores peruagatissima sint, hîc à me non proferentur.

SECTIO III.

Explicatur accuratè S. Augustini opinio de ignorantiæ peccatis, & à pluribus Aduersarij corruptelis vindicatur.

VIx est vlla sententia, quæ apud Catholicos maiori Doctorum omnium consensu probata sit, quàm quæ ignorantiam inuincibilem à peccato excusare decernit. Hanc Magister sententiarum in 1. dist. 22. ex S. Augustini auctoritate quasi certam, & indubitatam defendit: hanc S. Thomas singulis ferè in operibus, at præcipuè 1. 2. q. 76: hanc veteres Theologi summa conspiratione tradiderunt. At illam tamen non modò reuocare in dubium ausus est nouæ faber opinionis; sed & Pelagianam labem illi affingere, atque affirmare contrariam opinionem, *vt Dogma fidei ab antiquis esse traditam.* Qua in eius assertione vtrum temeritas, an mala fides palmam ferat, non facilè dixerim. Temeritatis fuit, contra Doctorum omnium conspirantem cœtum pugnare: malæ fidei, S. Libro 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2.

Augustinum illius sententiæ auctorem ac fundum assumere, quam verbis tam expressis reiecit, vt Theologi omnes ad eam opprimendam, non aliis ferè armis, quàm summi illius Doctoris auctoritate, & rationibus vtantur.

Quid hoc loco clarius? *non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras; sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Neque istud ad primum hominis peccatum trahi potest, cùm libro 3. de libero arbitrio cap. 19. & libro de natura & gratia cap. 67. hæc verba adhibeat, vt hominum querelas compescat, qui de ignorantia, quam ex Adamo hæreditariam accepimus, expostulant. Atque hoc sensu à Theologis omnibus accipiuntur post S. Thomam quæst. 3. de malo art. 7. Quid isto validius? ex libro 2. de peccatorum meritis cap. 2. *Si nolumus, non peccamus.* Quamobrem Epistolâ 105. aduersùs Pelagianos scribens, omnia adultorum peccata ad duo genera ita reuocat, vt ad neutrum pertinere possint, quæ ex ignorantia inuincibili committuntur. *In maioribus*, inquit, *ætatibus meritò dici potest, hi noluerunt intelligere vt bene agerent: hi, quod grauius est, intellexerunt, & non obedierunt.* Tum quibusdam interpositis: *Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ vnusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere mala congregat, vel etiam instructus ex lege additamento præuaricationis exaggerat, quisquam liberatur, & iustificatur, nisi gratiâ per Iesum Christum Dominum nostrum.* Nulla hîc mentio peccatorum, quæ ab inuincibiliter ignorantibus committantur.

Vt vt sit calumniari me nouæ opinionis patroni clamabunt, nisi ostenderim eorum Doctorem perperam & mala fide S. Augustini mentem hac in controuersia explicasse. Quod licèt ex superiori sectione satis intelligi possit, accuratiùs tamen hîc tractandum est, quòd hanc eius operis partem præ cæteris admi-

rentur atque deprædicent. Dicam igitur primùm, quæ sit illa opinio, quámque infido nitatur fundamento, tum deprauationes omnes sigillatim persequar, quibus S. Augustini verba interpolat, vt illum per vim in opinionis suæ societatem adigat.

Paragraphus I.

Proponitur Aduersarij opinio de ignorantia inuincibili, eiúsque arcana radix inciditur.

Vere illud pronunciauit S. Augustinus. *Radicem effodere, atque extirpare compendium est.* Quamobrem huius quæstionis exordium ex illo Aduersarij capite ducere visum est, cuius hæc inscriptio: *Indagatur radix arcana illius doctrina.* Nam si hanc radicem stirpitus euulsero, quæ ex illa pullulare dicuntur & efflorescere, eâdem operâ succidentur. Atque hanc ego cùm primùm legerem, duplici de causa debilem, ac fictitiam suspicatus sum. Primò, quòd illam nouus Doctor in huius quæstionis finem reiecerit. Solet enim, vt in omnibus, quas agitat, controuersiis obseruaui, extremam in disputationem conferre quidquid sua in opinione infirmum magis est atque cariosum. Secundò, quòd cùm in cæteris per fas & nefas S. Augustinum pro se testimonium dicere cogat, hîc ne vnicum quidem appellet locum, quo inanis hæc argutia fulciri videatur. Quàm id non sim temerè suspicatus manifestè demonstrabo, vbi quæ sit Aduersarij doctrina, & quæ radix illius arcana, paucis exposuero.

Libro 2. de statu naturæ lapsæ cap. 6.

Nosti quid Hieronymus Zanchius, quem conflatum ex Luthero & Caluino monstrum appellare possis, de ignorantia inuincibili dicat? illud ipsum nouus Theologus defendit: nimirum, ignorantiam inuincibilem facti, & iuris positiui excusare quidem à peccato: at non ignorantiam inuincibilem iuris naturalis. At-

Libro 2. de statu nat. lapsæ c. 2. 3. 4. 5. 6. & libro 3. de Hæresi Pelagiana cap 13.

gumentorum, quibus id probat, hæc summa. S. Augustinus aduersùs Pelagianos acriter contendit, ignorantiam malam esse, & quæ ex illa fiunt, esse peccata: neque loquitur de ignorantia vincibili; siquidem ait persæpe, fateri Pelagianos ignorantiam vincibilem à peccato non excusare: multò minùs agit de ignorantia inuincibili facti, aut iuris positiui; cùm alibi doceat eiusmodi ignorantiam inuincibilem culpam omnem astergere; Ergo de sola ignorantia iuris naturalis intelligendum est, quod S. Augustinus aduersùs Manichæos acriter contendit, ignorantiam malam esse, & quæ ex illa fiunt, esse peccata.

Hæc sunt illius sententiæ vestibula, nota omnibus atque spectabilia. Adyta verò, & penitiores recessus explicat cap. 6. quo arcanæ illius doctrinæ radicem inuestigat. Quæ est illa porrò tam insolentis doctrinæ, tam occulta radix? Illa ipsa, quam Hieronymus Zanchius aperit Tractatuum Theologicorum libro 1. cap. 12. de ignoratione Dei, Thesi prima, vbi docet ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à peccato, quia ex primi parentis culpa manauit: ignorantiam verò inuincibilem facti, aut iuris positiui excusare; quia indidem non fluxit. Quam doctrinam tanti facit Aduersarius, vt ex hac vna difficultates omnes, quæ in hac controuersia emergere, & imperitorum pulsare mentem possent, dissolui arbitretur.

Tanta huius doctrinæ ad hanc quæstionem enodandam vtilitas, ac propè necessitas, eam mihi non leuiter suspectam reddit. Cur enim S. Augustinus quando de ignorantiæ peccatis cum Pelagio atque Iuliano decertat, suámque opinionem enucleatiùs exponere nititur, nunquam illius discriminis meminit? Cur S. Hieronymus, cùm eandem quæstionem duobus in libris exquisitè tractat, ne verbum quidem facit, quod eò possit pertinere? Cur, inquam, solertes illi Catholicæ veritatis vindices, nunquam monuerunt aliter de

ignorantia facti, & iuris positiui, aliter de ignorantia iuris naturalis esse statuendum? Argumento certè illud est, nunquam eos de hac inani Zanchij argutiola cogitâsse. Quam si habuissent in mente, cùm dimicarent aduersùs Pelagianos, cúmque ex Scripturis ignorantiæ peccata esse contenderent, ea tantùm protulissent exempla, quæ ad eiusmodi naturalis iuris ignorantiam spectarent. Quod adeo illi non fecerunt, vt ferè omnia Scripturæ testimonia & exempla, quæ ad hunc Pelagianorum errorem opprimendum congerunt, de ignorantia facti, aut iuris positiui loquantur. Sed istud posteriùs videro.

Nunc reconditæ illius doctrinæ capita duo sigillatim aggredior. Ac primò quod ait, ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à peccato, quia originalis peccati pœna est: manifestæ falsitatis arguitur, quòd inde sit consequens amentiam, furorem, ac phrenesim à peccato non excusare; quia & ipsæ peccati pœnæ sunt, vt Aduersarius ex S. Augustino pluribus contendit libro 3. de statu puræ naturæ cap. 11. Indidem sequeretur hominem à natiuitate cæcum, qui ex illa cæcitate aliquid perperam committeret: putà infantem interficeret, dum allatrantem canem nititur abigere, à peccato non excusari; quia cæcitas, quam prætexere posset, peccati pœna est, vt ibidem Aduersarius probat, atque adeo à peccato excusare non potest. Quapropter quod de ignorantia inuincibili, quam & cæcitatem vocat, Aduersarius docet in hæc verba: *Quia tamen pœna peccati est, quidquid ex illa cæcitate perperam fit, sine peccato non fit*, etiam de corporali cæcitate statuendum foret. *Dicant ista qui ausi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint.* S. Augustini verba sunt similem absurditatem diluentis libro 1. de peccatorum meritis cap. 36. Ex eodem fonte alia profluunt nihilo minùs absurda, quæ capite sequenti, sectione 1. paragr. 4. discutiam, cùm

Libro 1. de statu naturæ lapsæ cap. 6.

alia occasione similem Aduersarij argutiolam confutabo.

Firmior non est eiusdem fundamenti pars altera, quâ docet ignorantiam iuris positiui ideo excusare à peccato; quia non est in peccati pœnam inflicta. Nam primò, gratis illud dicit; cùm nullum S. Augustini vel Doctoris alterius testimonium proferat, quo probet ignorantiam legis positiuæ peccati pœnam non esse. Deinde SS. Augustino, & Hieronymo apertè repugnat, qui cùm aduersùs Pelagianos contendunt, ignorantiam malam esse & peccatum, plurima ignorantiæ facti, & iuris positiui exempla producunt. Sed istud postea expendam. Venio ad rationem, quam hîc Aduersarius in subsidium euocat, quòd ne vnum quidem S. Augustini locum inuenerit, qui vel in speciem huic eius opinioni patrocinetur. Sic igitur disputo: Ignorantia Euangelij in infidelibus, qui nihil de Christo audiuerunt, est pœna peccati originalis: At eadem ignorantia, est ignorantia iuris positiui Diuini; Ergo aliqua ignorantia iuris positiui Diuini, est pœna peccati originalis. Minor ex nouo Doctore petita est, qui dum contendit ignorantiam iuris Diuini inuincibilem, à peccato immunem reddere, exemplum ponit in infidelibus Christi Euangelium inuincibiliter ignorantibus, aitque, *non audîsse Euangelium Christi, satis esse, vt excusationem habeant de sua infidelitate gentiles.* Maior quoque, si suis ipse principiis stare velit, ab eo negari non potest Docet enim libro 9. de Gratia Christi cap. 3. peccatum originale causam esse reprobationis positiuæ. Docet etiam capite 5. *Derelictionem seu desertionem, quâ Deus non miseretur*, positiuæ illius reprobationis effectus esse. quia *necesse est omnes istas pœnas à Diuino iudicio punientis reprobantisque proficisci.* Ex quibus ita argumentor. Omnis effectus reprobationis ex Aduersarij sententia proficiscitur à Dei iudicio punientis atque reprobantis propter peccatum originale: Atqui

Libro 6. de statu naturæ lapsæ cap. 5.

igno-

ignorantia Euangelij in infidelibus est effectus reprobationis; quia est *derelictio seu desertio, quâ Deus illorum non miseretur;* Ergo ignorantia Euangelij in infidelibus, ex Aduersarij sententia, proficiscitur à Dei iudicio punientis illos atque reprobantis propter peccatum originale. ac proinde pœna est peccati originalis.

Confirmatur primò, docet nouus Theologus libro 3. de statu naturæ puræ cap. 10. & 11. nullam miseriam, malum nullum in homine reperiri, quod non sit peccati pœna: At ignorantia Euangelij in infidelibus magnum malum est, magnáque miseria; ergo & peccati pœna. Confirmatur secundò ex S. Thoma 2. 2. q. 10. a. 1. *Si infidelitas,* inquit, *accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia Diuinorum ex peccato primi parentis consecuta est.* Quem in locum Dominicus Bagnes. *Omnes qui habent ignorantiam fidei suâ culpâ ignorant: quia propter suam culpam saltem originalem digni sunt, qui derelinquantur à Deo in suis tenebris.* Cuius opinionis testem S. Augustinum paulo antè appellat. *Videatur,* inquit, *Augustinus Tract. 89. super Ioann. Et in Epist. 105. vbi ait quòd in illis qui credere noluerunt ignorantia peccatum est: in illis autem qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati est.* Confirmatur tertiò, proferri ab Aduersariis ratio non potest, cur Deus infideles suis in tenebris obsolescere patiatur, nec clarum illis Euangelij lumen ostendat, nisi affirment in peccati pœnam illud fieri; ergo ignorantia Euangelij in barbaris, & infidelibus peccati pœna est; ac proinde à peccato infidelitatis illos non excusat; contrà quàm Aduersarius ipse, manifestis S. Augustini testimoniis oppressus, fateri coactus est.

Libet istud altiùs repetere, & arcanam huius doctrinæ radicem scrutari. Peto à noui dogmatis propugnatoribus, an fieri potuerit, vt homines aliqui in statu innocentiæ ignorarent legem aliquam positiuam,

toti humano generi impositam à Deo, & ad assequendam salutem prorsus necessariam, cuiusmodi est hoc in statu lex Euangelica. Si asserant fieri id potuisse, Doctoris sui argumentis opprimentur, quibus vel leuissimum malum, ac miseriam ab statu innocentiæ arcet. Si negent eiusmodi ignorantiam in statu innocentiæ potuisse contingere : continuò colligam, ignorantiam infidelium, quâ legem Euangelicam toti humano generi impositam à Deo, & ad assequendam salutem prorsus necessariam ignorant, peccati pœnam esse; Quia ex nouo Doctore ignorantia omnis, quæ in statu innocentiæ contingere non potuit, peccati pœna est. Quidquid dicant Aduersarij, hoc argumento constringuntur, neque ad illud dissoluendum conferre aliquid potest, quod ait illorum Patriarcha, legis positiuæ ignorantiam non esse pœnam peccati, quia cùm lex illa potuerit homini innocenti non imponi, potuit & eiusdem cognitio ab statu innocentiæ abesse. *Lex Dei positiua*, inquit, *ab ipsius libera voluntate pendet. Et idcirco eius scientia neque humana, neque Angelica natura connaturalis est: sed sicut eius legis latio, ita & eius reuelatio à Dei libertate pendet.* Vnde sic concludit: *Hinc videtur fieri vt illius legis ignorantia inuincibilis non sit vitiosa, & consequenter neque peccatum deputandum id quod ex ea fit: quandoquidem & in illa prima conditionis præstantia, sine vllo peccato aut vitio, præcedente, cuius pœna esset, contingere potuisset.*

Hæccine est arcanæ illius doctrinæ radix, quam magnificus huius capitis titulus pollicetur? Hæccine est tam ingeniosæ, tantóque elaboratæ studio opinionis basis? ô ruinosi operis infidum fundamentum! ô ferreæ statuæ pedes fictiles! Breui responsione sic tanquam exiguo lapillo comminuentur. Probat hæc ratio ignorantiam legis positiuæ non obligantis, siue quam Deus non tulit, non esse pœnam peccati, quia poterat homo innocens ignorare legem sibi non im-

positam. Verùm de hac ignorantia modò non loquimur, sed de illa tantùm quâ leges à Deo latas, nósque obligantes ignoramus. Quam pœnam esse peccati, ex illa ipsa Aduersarij ratiocinatione sic conficio. Fieri non potuit vt in statu innocentiæ homines aliqui ignorarent legem positiuam à Deo latam, ac totum genus humanum obligantem; Ergo quòd iam homines aliqui ignorent legem positiuam à Deo latam, ac totum genus humanum obligantem pœna peccati est.

Clariùs ista lucebunt si pauca obserues. Primum est: ignorantiam duobus modis sumi posse; negatiuè, pro simplici nescientia rei, quam scire non tenemur: & priuatiuè, pro ignoratione rei, quam scire debemus. De hac vtraque cum statu naturæ integræ comparata, ita S. Thomas decernit. In 2. dist. 44. art. 6. in corp. *Ignorantia aliquo modo in natura integra inueniri potuit, non secundùm quod ignorantia dicitur priuatiuè, sed secundùm quod dicitur negatiuè.* Et Henricus à Gandauo quodlibeto 1. quæst. 17. *Nescientiam ille homo ante peccatum potuit habuisse: sicut & primus Angelus: ignorantiam nequaquam. illa enim non potuit esse, nisi pœna peccati.* Secundum: ignorantiam legis non positæ puram esse nescientiam; quia neque ad obseruandam, neque ad cognoscendam legem non positam astringimur. Quamobrem ignorantia legis non latæ potest in statu innocentiæ reperiri. Tertium: ignorantiam legis toti humano generi impositæ, & singulos homines obligantis, esse ignorantiam priuatiuè sumptam: adeóque à statu innocentiæ procul amandandam. Quartum: cùm quæritur an ignorantia legis excuset à peccato, sermonem non esse de ignorantia negatiuè, sed priuatiuè accepta; quia tunc de sola lege posita & obligante, quámque proinde scire tenemur, quæstio est.

Ex his patet quàm sit fraudulenta noui Doctoris argumentatio. Nam cùm ait, ignorantiam inuincibilem

legis positiuæ potuisse contingere in statu innocentiæ, ignorantiam sumit purè negatiuè, pro nescientia legis non obligantis, quámque scire non tenemur. At cùm inde concludit ignorantiam legis positiuæ non esse pœnam peccati, ignorantiam non sumit eodem sensu; nam aliàs hoc tantùm colligeret: Non esse modò pœnam peccati, quòd leges nobis à Deo non impositas ignoremus. Sed illud idem nomen sumit priuatiuè, pro ignoratione legis nos obligantis, quámque cognoscere debemus. Sicque non leuiùs errat, quàm si hominem modò non peccare, cùm legem Dei positiuam non obseruat, hoc argumento contenderet. Vitiosum non est quod sine vitio reperiri potuit in statu innocentiæ: Atqui sine vitio reperiri potuit in statu innocentiæ *non-obseruatio* legis positiuæ; quia potuit in illo statu non esse lex positiua; Ergo *non-obseruatio* legis positiuæ modò vitiosa non est. Nam vt huius argumenti vitium hæret in varia acceptione huius vocis *non-obseruatio*, quæ in minori purè negatiuè sumitur, pro *non-obseruatione* legis non positæ, nec obligantis: in conclusione verò priuatiuè accipitur, pro transgressione legis obligantis. Sic aliud argumentum fraude persimili ignorantiam modò negatiuè sumit, modò priuatiuè, & puerili hallucinatione contendit, ignorantiam legis latæ & obligantis non esse pœnam peccati, quia ignorantia legis non latæ, nec obligantis potest in statu innocentiæ reperiri.

Quos tandem à radice tam vitiata fructus sperare licet? Non alios certè, quàm qui ab arboribus Sodomei lacus ripæ adsitis profunduntur. qui cùm exteriori cute vestiantur amœna & eleganti; nihil tamen præter fuliginem, atque putredinem continent.

PARAGRAPHVS II.

Prima noui Doctoris hallucinatio, eáque palmaris reuincitur, quâ ſupponit SS. Auguſtinum & Hieronymum de ſola iuris naturalis ignorantia cum Pelagianis dimicaſſe.

QVID eſſe dicam, quòd Aduerſarius ſupponat ſemper, nunquam probet, SS. Auguſtino & Hieronymo cum Pelagianis diſputantibus de ſola iuris naturalis ignorantia certamen extitiſſe? An illud nihil admodum ſua intereſſe duxit? At nouæ opinionis fundamentum eſt. An clarius putauit eſſe, quàm vt negari à quopiam poſſet? At longè aliter rem habere manifeſta vtriuſque Doctoris loca teſtantur. Quid ergo? Deceptus eſt, an decipere voluit? Vt vt ſit, errauit toto cælo, vt pluribus euincere conabor hoc paragrapho, cuius vim ac ſummum breui ſyllogiſmo complector: Cùm S Auguſtinus aduersùs Pelagianos contendit ignorantiam malam eſſe, & quæ ex illa fiunt, eſſe peccata, loquitur etiam de ignorantia facti & iuris poſitiui; At certum eſt, vel ex ipſius Aduerſarij confeſſione, apud S. Auguſtinum illa non eſſe propriè peccata, quæ ex ignorantia facti, aut iuris poſitiui fiunt, ſi illa ſit inuincibilis: Ergo S. Auguſtinus cùm aduersùs Pelagianos contendit ignorantiam malam eſſe, & quæ ex illa fiunt eſſe peccata, vel non loquitur de peccatis propriè dictis: vel ſaltem ſermo eſt de ignorantia aliquo modo vincibili.

Si huius argumenti maiorem probauero, ruit nouum illud de ignorantia inuincibili non excuſante figmentum. Vix eſt autem vllus S. Auguſtini aduersùs Pelagianos liber, ex quo illa confici manifeſtè non poſſit. At placet hunc locum vrgere primò, quem ſi nouus

legis positiuæ potuisse contingere in statu innocentiæ, ignorantiam sumit purè negatiuè, pro nescientia legis non obligantis, quámque scire non tenemur. At cùm inde concludit ignorantiam legis positiuæ non esse pœnam peccati, ignorantiam non sumit eodem sensu; nam aliàs hoc tantùm colligeret: Non esse modò pœnam peccati, quòd leges nobis à Deo non impositas ignoremus. Sed illud idem nomen sumit priuatiuè, pro ignoratione legis nos obligantis, quámque cognoscere debemus. Sicque non leuiùs errat, quàm si hominem modò non peccare, cùm legem Dei positiuam non obseruat, hoc argumento contenderet. Vitiosum non est quod sine vitio reperiri potuit in statu innocentiæ: Atqui sine vitio reperiri potuit in statu innocentiæ *non-obseruatio* legis positiuæ; quia potuit in illo statu non esse lex positiua; Ergo *non-obseruatio* legis positiuæ modò vitiosa non est. Nam vt huius argumenti vitium hæret in varia acceptione huius vocis *non-obseruatio*, quæ in minori purè negatiuè sumitur, pro *non-obseruatione* legis non positæ, nec obligantis: in conclusione verò priuatiuè accipitur, pro transgressione legis obligantis. Sic aliud argumentum fraude persimili ignorantiam modò negatiuè sumit, modò priuatiuè, & puerili hallucinatione contendit, ignorantiam legis latæ & obligantis non esse pœnam peccati, quia ignorantia legis non latæ, nec obligantis potest in statu innocentiæ reperiri.

Quos tandem à radice tam vitiata fructus sperare licet? Non alios certè, quàm qui ab arboribus Sodomei lacus ripæ adsitis profunduntur. qui cùm exteriori cute vestiantur amœna & eleganti; nihil tamen præter fuliginem, atque putredinem continent.

PARAGRAPHVS II.

Prima noui Doctoris hallucinatio, eáque palmaris reuincitur, quâ supponit SS. Augustinum & Hieronymum de sola iuris naturalis ignorantia cum Pelagianis dimicasse.

QVID esse dicam, quòd Aduersarius supponat semper, nunquam probet, SS. Augustino & Hieronymo cum Pelagianis disputantibus de sola iuris naturalis ignorantia certamen extitisse? An illud nihil admodum sua interesse duxit? At nouæ opinionis fundamentum est. An clarius putauit esse, quàm vt negari à quopiam posset? At longè aliter rem habere manifesta vtriusque Doctoris loca testantur. Quid ergo? Deceptus est, an decipere voluit? Vt vt sit, errauit toto cælo, vt pluribus euincere conabor hoc paragrapho, cuius vim ac summum breui syllogismo complector: Cùm S Augustinus aduersùs Pelagianos contendit ignorantiam malam esse, & quæ ex illa fiunt, esse peccata, loquitur etiam de ignorantia facti & iuris positiui; At certum est, vel ex ipsius Aduersarij confessione, apud S. Augustinum illa non esse propriè peccata, quæ ex ignorantia facti, aut iuris positiui fiunt, si illa sit inuincibilis: Ergo S. Augustinus cùm aduersùs Pelagianos contendit ignorantiam malam esse, & quæ ex illa fiunt esse peccata, vel non loquitur de peccatis propriè dictis: vel saltem sermo est de ignorantia aliquo modo vincibili.

Si huius argumenti maiorem probauero, ruit nouum illud de ignorantia inuincibili non excusante figmentum. Vix est autem vllus S. Augustini aduersùs Pelagianos liber, ex quo illa confici manifestè non possit. At placet hunc locum vrgere primò, quem si nouus

Doctor vel ſemel legit, dubitare certè non potuit ſe à S. Auguſtini ſententia mirum quantum abludere. Aſſerebat Iulianus non ſolam concupiſcentiam eſſe bonam, ſed & ignorantiam, quam ipſi culpâ noſtrâ non contraximus. Atque hanc opinionem ſuam, teſte S. Auguſtino libro 3. contra Iulianum cap. 19. inde confirmabat, *Quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor eſſet aliena: Et ego ſciebam quia in corde mundo feciſti hoc.* Hanc Iuliani ſententiam S. Auguſtinus grauiter carpit, contendítque peccaſſe Abimelech cùm Saram duxit, quam neſciebat alteri copulatam. *Non attendiſti,* inquit, *homo qui non vis diuino iudicio quenquam non ſuis, ſed alienis plecti poſſe peccatis,* QVOMODO FIERI POTVERIT VT ABIMELECH PECCARET, QVAMVIS NEC IPSE ADVLTERINO CORDE PECCAVERIT, ET DEVS QVANTVLVNCVNQVE PECCATVM EIVS IN MVLIERIBVS AD EVM PERTINENTIBVS VINDICARET. Quid huic loco, quem nouus Doctor callidè ſuppreſſit, opponent eius partiarij? Negare certè non poſſunt ſermonem hîc eſſe de ignorantia facti, cum illorum Patriarcha, vt probet ignorantiam inuincibilem facti excuſare à peccato, hæc S. Auguſtini verba proferat ex libro 2. contra Creſconium cap. 26. *Qui neſciens vxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, niſi diſceſſerit.* Exponant igitur quid S. Auguſtinus velit, cùm tanto ardore in Iulianum inuehitur, quòd negaret peccaſſe Abimelech, qui neſciens vxorem duxerat alienam. Hoc ſi fecerint, tela omnia, quæ in nos iaculantur, infringent.

Sed ne longiùs abeam, illum ipſum locum conſule, quem nouus Theologus ſibi fauere præ cæteris exiſtimat. Petitur ex libro 3. de libero arbitrio cap. 18. vbi S. Auguſtinus ita ſcribit: *Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur.* Hæc im-

portunè Aduersarij nobis intentant. Sed sequentia, quæ probationis loco S. Doctor adiicit, semper premunt: AIT ENIM APOSTOLVS, MISERICORDIAM CONSECVTVS SVM; QVIA IGNORANS FECI. Erat certè cur hæc Aduersarij tantâ curâ supprimerent. Nam Apostolus cùm Christum persequeretur, & in eius discipulos atrociter fureret, non ex ignorantia iuris naturalis, sed facti tantùm, aut iuris positiui peccabat. adeóque illud S. Augustini: *Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur*, cui comprobando Apostoli ex ignorantia peccantis exemplum adhibuit, non ad solam iuris naturalis ignorantiam pertinet.

Ad S. Hieronymum cum Pelagianis depræliantem Aduersarius prouocat, sed fraude persimili ex eius verbis illa omittit, quæ nouam opinionem apertissimè confodiunt. Cur enim dissimulat non minùs Sancto Hieronymo sermonem esse de ignorantia facti, & iuris positiui, quàm de ignorantia iuris naturalis? Cur hoc, inquam, dissimulat, quod perspicuum est, quódque ad hanc quæstionem plurimum facit? Audi quæso Sancti illius Doctoris verba, & Aduersarij fidem cognosce. Disputaturus de ignorantiæ peccatis libro 1. aduersùs Pelagianos ista præfatur. *Nunc mihi latißima scripturarum spatia peragranda sunt, vt doceam errorem & ignorantiam esse peccatum*. Quod ita facit, vt ferè omnia, quæ congerit, testimonia de ignorantia facti, vel iuris positiui loquantur. Ad ignorantiam facti pertinet, quod profert ex 21. Exodi, vbi, inquit, *qui occidit per ignorantiam exilio condemnatur*. Illud confirmat ex Numerorum 25. *Sex*, inquit, *ciuitates eliguntur exilij eorum, qui non sponte, sed per ignorantiam, vel iactu lapidis, vel impulsione manus, vel ioco, vel lascinia absque inimicitiis, infelicitate magis quàm voluntate peccauerunt, & tamen non absque crimine sunt, dum relegantur in perpetuum*. &c. Ad eandem facti, aut fal-

Libro 2. de statu nat. lapsæ cap. 2. & libro 5. de Hæresi Pelagiani cap. 13.

tem iuris positiui ignorantiam pertinet, quod adducit ex Leuitici cap. 5. *Si tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, & fecerit per ignorantiam: & postea didicerit: pronunciabit peccatum suum, in quo peccasse se perspicit.* Et ex cap. 22. *Si comederit homo de sanctificatis per ignorantiam, imputatur ei iniquitas atque delictum.* Eodem spectat, quod refert ex 1. Regum cap. 12. *Ionathas*, inquit, *fauum mellis gustauit in sceptro, & illuminatis oculis periclitatur, quod nesciens fecerit. Hoc enim scriptura testatur, quòd ignorauerit à patre esse præceptum ne quisquam gustaret, donec victoria Domini compleretur. Intantùm autem iratus est Dominus, vt sors inueniret occultum, & ipse fateretur*, &c. Et hæc dissimulat nouus Doctor! Et persuadere conatur S. Hieronymum de sola iuris naturalis ignorantia cum Pelagianis digladiari!

Libro 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2.

At istud præ cæteris minùs ferendum videtur, quòd cùm nouus Doctor eiúsque partiarij importunè nobis impingant, hanc Critobuli Pelagiani querelam ex eodem S. Hieronymo initio libri 2. *Videris hominum accusare naturam, ac per hoc inuidiam referre in Deum, si tales homines condidit vt obliuione, & ignorantia peccato carere non possint.* Antecedentia tamen, & consequentia semper premunt, quòd ex iis perspicuum sit, ineptè illud Critobuli ad solam iuris naturalis ignorantiam torqueri, vt paucis ostendo. Atticus qui in his S. Hieronymi aduersùs Pelagianos dialogis Catholicorum partes agit, plurima ex veteri instrumento loca collegerat, in quibus pro ignorantiæ peccatis sacrificia imperantur. His omnibus Critobulus pro Pelagianis id vnum opponit: *Multa quidam de scripturis sanctis memoriter copioséque dixisti, & quasi quibusdam discussis nubibus, clarum visus es veritatis lumen aperire: sed quid ad rem? His enim cunctis testimoniis videris hominum accusare naturam, ac per hoc inuidiam referre in Deum.* Respondet Atticus: *Pro obliuione, errore & ignorantia*

quasi

quasi pro peccato, offeruntur sacrificia: Siue hoc malè, iuxta te, siue bene, iuxta me, Deus præcepit, meum est obseruare quod iussit. Qua responsione fractus Critobulus reponit: *Quoniam vim facis perspicuæ veritati, & me trahis ad blasphemiam; concedam tibi hoc in veteri lege præceptum, de qua scriptum est: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Nunquid & de Euangelio poteris hoc approbare, vt puniatur quispiam pro eo quod nesciat?* Castigat hanc blasphemiam Atticus. Tum ait: *Tantis exemplis docere te volui peccare hominem per ignorantiam, & pro peccato, vt in lege hostias, ita & in Euangelio offerendam pœnitudinem.* Mirum certè non est, si hæc Aduersarij premant tam studiosè, cùm opinionis nouæ radicem succidant. Nam inde sic licet argumentari: Disputant Atticus & Critobulus de illa ignorantia, pro qua in lege tanquam pro peccato sacrificia offerebantur: At in lege etiam pro ignorantia facti, & iuris positiui tanquam pro peccato sacrificia offerebantur, vt ex superioribus liquet; Ergo disputant Atticus & Critobulus etiam de ignorantia facti & iuris positiui.

Pari calliditate illum Palestinæ Synodi locum tractat, quo hæc Celestij propositio damnata est: *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato; quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* Nam persuadere nititur de sola ignorantia inuincibili iuris naturalis sermonem hîc haberi. Quod vsquequaque falsum esse multiplici ratione euinco. Prima ex iis quæ hactenus disputaui depromitur. contendit enim nuperus Theologus libro secundo de statu naturæ lapsæ cap. 2. & libro tertio de Hæresi Pelagiana cap. 13. de illa ipsa ignorantia hoc in Concilio agi, de qua postea SS. Hieronymus, & Augustinus cum Pelagianis certauerunt: At SS. Hieronymus & Augustinus non de sola ignorantia iuris naturalis; sed etiam de ignorantia facti, & iuris positiui cum Pelagianis certauerunt, vt ex illorum testimoniis paulo antè recitatis

constat: Ergo in hoc Concilio agitur etiam de ignorantia facti & iuris positiui. Ratio secunda. Docent iidem noui Dogmatis vindices, Apologia 2. parte 3. cap. 11. illa Celestij verba eo sensu damnata esse, quem præ se ferunt, quia non sunt ab Episcopis accuratiori examine discussa; sed statim atque cum aliis eiusdem farinæ proposita sunt, ne expectata quidem Pelagij responsione, succlamarunt Episcopi: *Hoc reprobat S. Synodus & sancta Dei Catholica Ecclesia.* Ergo cùm illa Celestij sententia vniuersim loquatur de omni prorsus ignorantia, quæ secundùm necessitatem euenit, siue illa facti sit, siue iuris, hoc quoque sensu proscripta est. Confirmatur, si Palestinæ Synodi Patres Celestij propositionem eatenus tantùm damnarunt, quatenus ignorantiam iuris naturalis spectabat, cur istud non monent? Cur S. Augustinus, qui illius Synodi acta ita descripsit, vt singulas Pelagij fraudes, quibus peregrinis Episcopis illusit, solerter ac dilucidè explicet: cur, inquam, ne verbo quidem monet, Celestij propositionem veram esse atque Catholicam si de ignorantia facti, aut iuris positiui sermo sit: at falsam & hæreticam, si de ignorantia iuris naturalis loquatur? Cur denique vniuersim proscripta est illa sententia, quæ cùm triplicem habeat sensum, in duobus vera est, in vno tantùm falsa?

Ratio tertia petitur ex iis verbis, quæ eodem loci libro de Gestis Pelagij cap. 18. ad hanc Celestij opinionem reuincendam subiiciuntur, quæque Aduersarij, licèt cum superioribus, quæ importunè nobis ingerunt, connexa sint, tacent semper, & studiosè premunt. Sic habent: *Cùm in lege sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur.* Loquitur ergo Synodus de illa omni ignorantia, pro qua, tanquam pro peccato, sacrificia in lege offerebantur: At etiam pro ignorantia facti & iuris positiui, tanquam pro peccato sacrificia offerebantur in lege, vt constat ex Leuitici cap. 5. &

22. vbi homini qui per ignorantiam facti, aut iuris positiui aliquid immundum tetigit, aut sanctificatum comedit, tanquam pro peccato sacrificium imperatur; Ergo loquitur etiam Synodus de ignorantia facti, & iuris positiui. Ratio quarta sumitur ex ipsis nouæ opinionis defensoribus, qui hæc veteris cuiusdam scriptoris verba: *Vbi ignorantia est, inuidia non est? à iustitia enim Dei ignoranti doctrina traditur, scienti verò & contemnenti dictatur sententia. vnde per obscurum ignorantiæ ambulans Paulus putabat se inimicum Domini sui persequi:* Pelagianismi accusant, & in Palestina Synodo cùm superiori Celestij propositione damnata esse contendunt: Ergo supponunt in illa Synodo eos quoque damnari, qui ignorantiam facti, aut iuris positiui peccato subiacere negant; siquidem ad alterutram S. Pauli ignorantia pertinebat.

Dici non potest, quantam hæc assertio in nouo Dogmate stragem edat. Nam eò rem deducit, vt quæ in nostram opinionem argumenta Aduersarius torquet, aut nos præteruolent, aut in ipsum resiliant.

PARAGRAPHVS III.

Secunda noui Doctoris hallucinatio excutitur, quâ ignorantiam confundit, cum eo quod ex ignorantia committitur.

DVPLEX est hac in parte Aduersarij lapsus, vtrumque sigillatim expendo.

Ac primum quidem vt intelligas, obserua: in Theologorum sententia hæc duo eodem recidere: *Ignorantia peccatum est*. Et: *Quod fit ex ignorantia peccatum est.* Arbitrantur enim quidquid ex ignorantia perperam committitur, suam omnem libertatem, & malitiam formalem ex ipsa ignorantia arcessere. Ita vt, si ignorantia culpâ vacet, quòd sit inuincibilis: culpâ quo-

que careat, quod ex illa perperam fit: Si verò ipsa vincibilis sit; ac proinde peccatum: peccatum quoque sit, quod ex illa perperam committitur. Quamobrem Magister in 2. distinct. 22. ait ignorantiam vincibilem idcirco non excusare à peccato, quia peccatum est: & inuincibilem idcirco excusare, quia peccatum non est. Illud ipsum tradit S. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. & 3. quæst. 3. de malo art. 7. & 8. consentiunt veteres omnes Theologi in 2. dist. 22.

Longè est alia noui Doctoris opinio. Nam docet, ignorantiam inuincibilem culpâ vacare: asserit nihilominus peccatum esse, quod ex illa ignorantia committitur. Quapropter eius patroni Apologia 2. parte 3. cap. 9. de illis grauiter expostulant, qui asserunt nouum Dogmatistam dixisse: *Ignorantiam inuincibilem subiacere peccato.* Cùm dixerit tantùm: *Id quod fit ex ignorantia inuincibili subiacere peccato*, vt ex his eius verbis constat libro 2. de statu naturæ lapsæ cap. 6. *Quamuis eiusmodi ignorantia propriè peccatum non sit: quantumuis etiam humanæ potestati inuincibilis sit*, &c. *quia tamen pœna peccati est, quidquid ex illa cæcitate perperam fit, sine peccato non fit.*

Si iusta est illa Aduersariorum querela: si nusquam illorum Patriarcha affirmauit, ignorantiam quæ secundùm necessitatem euenit subiacere peccato: cur ad opinionem suam confirmandam Palestinæ Synodi auctoritatem appellat? quâ damnata est Celestij sententia asserentis: *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato: quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* Nam hæc verba, si vt sonant accipiantur (quo sensu accipienda esse contendunt) de ignorantia, non de iis, quæ ex ignorantia fiunt, loquuntur. Quapropter ad illum Celestij errorem confutandum ibidem subiicitur: *Cùm in lege sacrificia* PRO IGNORANTIA, SICVT PRO PECCATO *offerantur.* Et S. Hieronymus libro 1. aduersùs Pelagianos

ad eundem errorem debellandum ita se accingit: *Nunc mihi latissima scripturarum spatia peragranda sunt, vt doceam errorem & IGNORANTIAM ESSE PECCATVM.* Et initio libri 2. PRO OBLIVIONE, ERRORE, ET IGNORANTIA, QVASI PRO PECCATO OFFERVNTVR SACRIFICIA. Quæso te erudite Lector hæc perpende. Aiunt Aduersarij calumniari illum, qui hanc noui Doctoris propositionem: *Quod fit ex ignorantia inuincibili peccato subiacet*: cum ista confundit: *Ignorantia inuincibilis peccato subiacet.* Si ita habet: quàm profligati calumniatores ipsi sunt, quámque temerarij Palestinæ Synodi corruptores, qui hanc propositionem in ea damnatam: *Ignorantiam non subiacere peccato*: cum ista confundunt: *Quod fit ex ignorantia non subiacere peccato.*

Viderat illorum Patriarcha nihil se ex Palestina Synodo præsidij ad suum dogma confirmandum elicere posse, quandiù illud posteriori hoc sensu enuntiaret: quamobrem cap. 2. quo illius Concilij auctoritatem vrget, disertè affirmat, quod eius Patroni tam præfractè negant illum asserere. Hæc illius capitis inscriptio: *Ignorantia etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, inuincibilis non caret peccato: vt dogma fidei ab antiquis traditum.* Potuítne expressioribus verbis affirmare, ignorantiam inuincibilem peccato non carere? Potuítne certiùs opinionis suæ radicem exscindere, quâ docet cap. 6. ignorantiam inuincibilem carere peccato: *Eiusmodi ignorantia*, inquit, *propriè peccatum non est?* Quid hoc homine facias, qui & ipse contendit, ignorantiam inuincibilem carere peccato: & nihilominus affirmat, vt dogma fidei ab antiquis traditum esse, ignorantiam inuincibilem non carere peccato? Sic ille non potuit ex Palestina Synodo opinionem nostram oppugnare, quin suam priùs euerteret: illi persimilis, qui apud Poëtam exclamabat: *Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.* Quanquam nec nobis

vel leuiter nocet, qui ex communi Theologorum ſenſu, quod ex ignorantia perperam committitur, eodem prorſus modo peccatum eſſe dicimus, quo ipſa ignorantia, ex qua fit, peccatum eſt. Ita vt ſi illa impropriè tantùm peccatum eſt: ſic & iſtud impropriè peccatum: ſi verò ignorantiæ culpa hæret, etiam quod ex illa fit crimini vertatur.

Alter hac in parte noui Theologi lapſus eſt, quòd S. Auguſtini loca, quibus aduersùs Pelagianos contendit, non eam tantùm ignorantiam, quam culpâ noſtrâ contrahimus, ſed illam quoque quam ex vtero matrum infantes ducunt, malum eſſe diuinæ gratiæ lumine purgandum: ſic interpolat, vt in eis S. Auguſtinus pugnare videatur, culpæ tribui quidquid ex ignorantia inuincibili contra legem committitur. Quod à S. Doctoris mente toto diſtare cælo oſtendam, vbi pauca obſeruauero, quæ ad eius opinionem illuſtrandam plurimum conferent.

Notandum primò, ſtatuiſſe Pelagianos concupiſcentiam, & ignorantiam cum quibus naſcimur, non eſſe mala, aut peccati ſupplicia; ſed naturales defectus. Quam eorum ſententiam S. Auguſtinus ita perſtringit libro de dono perſeuerantiæ c. 11. *Dicunt Pelagiani ignorantiam, & difficultatem ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe natura.* Et nominatim de ignorantia ſic loquitur libro 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 36. *An nullum eſt ignorantia malum, & ideo nec purgandum?* quòd *natura ſit hominis ſic incipere.* Eò quoque progreſſi ſunt, vt ignorantiam, & concupiſcentiam, quas ex vtero matrum trahimus, non modò mali nihil habere: ſed etiam bonas eſſe defenderent. Hinc laudes illæ quibus Iulianus in omnibus ferè operibus ſuis concupiſcentiam exornat, cùm illam *naturale bonum,* & eius motus *naturaliter bonos* appellat. *Concupiſcentia naturalis* (eius verba ſunt apud S. Auguſtinum libro 3. contra Iulian. cap. 21.) *qui modum tenet, bono bene vti-*

tur, qui modum non tenet, bono malè vtitur. Neque verò minori cura ignorantiam commendauit; nam eodem libro cap. 19. contendit perfectam ignorantiam bonam esse, & iustitiam appellari. *Ex hoc*, inquit, *intelligi debet perfectam ignorantiam iustitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.*

Ex iis etiam nonnulli cùm S. Augustini argumentis premerentur, quibus ignorantiam, vel in pueris, malam esse conuincebat, eò proruperunt insaniæ, vt pueros affirmarent negligentiâ suâ has sibi tenebras accersere. Quod his verbis S. Augustinus illis exprobrat libro 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 36. *Illas consideremus tenebras mentis vtique rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant* (paruuli) *Cuius sacramentis etiam cùm baptizantur obsistunt. In has quaro vnde, & quare submersi sunt? Itáne verò eas hic contraxerunt, & in hac vita sua iam propria per nimiam negligentiam obliti sunt Deum, prudentes verò & religiosi vixerunt vel in vteris matrum?* Quamobrem, vt ibidem S. Augustinus testatur cap. 34. *Fatebantur etiam in paruulis per baptismum remissionem fieri peccatorum. Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita iam propria posteaquam nati sunt peccatum habere cœperunt.*

Notandum secundò, S. Augustinum aduersùs ista Pelagianorum deliria statuisse, concupiscentiam & ignorantiam esse mala, & peccati supplicia. Neque istud de sola iuris naturalis ignorantia, quæ in Adultis cernitur, affirmabat, sed de illa etiam ignorantia, quâ recens ex vtero matris puerulus obruitur, *nesciens vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus, iam reus delicti, nec dum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine inuolutus & pressus, vt neque tanquam de somno excitari possit*, &c. Sic paruulorum ignorantiam describit libro de peccat. meritis cap. 36. Atque hanc peccati pœnam

esse sic probat: *Si natura est hominis sic incipere; & non iam vitiosa est ista natura, cur non talis creatus est Adam? Cur ille capax præcepti?* &c. Eandem ignorantiam ait malam esse, etiam in baptizatis. Quapropter libro 6. contra Iulianum cap. 16. de baptizato vniuersim ita loquitur: *Omni peccato caret, non omni malo; Quod planiùs ita dicitur: Omni reatu caret omnium malorum, non omnibus malis,* &c. *Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Mox: *An paruum malum est ignorantia, per quod homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apostolus: Animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia est enim illi.* Tum concludit: *Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lauacro regenerationis, vbi tamen omnibus caruerant sine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitabat Spiritus Dei, stultitia erant quæ sunt Spiritus Dei.*

Notandum tertiò eiusmodi ignorantiam, quæ in baptizatis remanet, non deleri pœnitentiâ, sed diuinæ lucis radio, qui actualis gratia est, purgari. Quemadmodum concupiscentia, cuius reatus semel est sacro fonte abstersus, non habituali gratia, sed actuali sanatur. Quamobrem quoties fidelis ait: *Da mihi Domine intellectum, vt discam mandata tua.* vel: *Illumina Domine tenebras meas.* De hoc ignorantiæ malo, quod peccatum non est, loquitur. Siquidem non veniam postulat, sed lucem. Sic qui clamat: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* non petit sibi dimitti quod peccauit; sed gratiam postulat, quâ ebullientis concupiscentiæ vis frangatur. Vt S. Augustinus notat libro 6. contra Iulianum cap. 23. *Neque consideras eum qui dicit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nec Iudæum esse, nec quia peccauit; sed ne peccet potiùs laborare.*

Ex hac triplici obseruatione, Aduersarij hallucinatio

non

non vulgaris facilè cognoſcetur. Ignorantiam inuincibilem à peccato non excuſare ex iis locis probat, in quibus S. Auguſtinus non ſolùm ait: Pelagianos fateri, hominem peccare, qui negligit facienda cognoſcere; Sed etiam aliquid amplius ab iis poſtulat. Vnde concludit S. Auguſtinum ibi contendere culpâ quoque illos obſtringi, qui ex ignorantia inuincibili contra legem committunt. Verùm iſtud à S. Doctoris mente prorſus alienum eſt. Neque enim alio conſilio, Pelagianorum verba refert, quibus aiunt ignorantiam culpâ noſtrâ contractam crimini dari, quàm vt demonſtret eam quoque ignorantiam, quam ex vtero matrum trahimus, peccati pœnam eſſe; atque adeo malum, Diuinæ gratiæ lumine purgandum. Quæ S. Auguſtini ſententia ex iis ipſis, quæ Aduerſarius citat, locis adeo manifeſta eſt, vt mirum ſit nouum Doctorem tam clara in luce inſidias moliri.

Libro 2. de ſtatu nat. lapſæ cap. 2. & libro 4. de Hæreſi Pelagiana cap. 13.

Primus petitur ex libro 6. contra Iulianum cap. 1. vbi S. Auguſtinus ſic illum affatur: *Ecce meritò reprehendiſti eos, & grauiter, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere.* Hæc Aduerſarius ambitioſè iactat, ſed pro more ſuo conſequentia, & antecedentia ſupprimit, ex quibus S. Auguſtini ſententia clariſſimè dignoſcitur. Dixerat enim proximè antè, quoſdam pueros eſſe *naturâ fatuos*, & quæſierat: *Vnde potuerunt, in tantum malum ruere, ſi Diuino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ?* Quod argumentum vt magis vrgeat, adhibet verba ab Aduerſario citata, quæ ex quarto Iuliani libro petita ſunt: *Ecce meritò reprehendiſti eos, & grauiter, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere.* Ex quibus ita diſputat: *Nunquid hoc de his, qui excordes nati ſunt, potes dicere? Nec tamen eis ſub Deo iuſto, vnde hoc accidere potuerit inuenturus es, ſi nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum.* Atque ita concludit, *Itáne verò tanta in paruulis mala, tu qui non inuides, non vides?* Ergo id vnum S. Auguſtinus hoc loco pugnat, non eam tantùm ignorantiam, quam

culpâ nostrâ contraximus, sed illam quoque, quam infantes ex Adamo hereditariam habent, malam esse, & peccati supplicium. De iis verò quæ ex ignorantia ab Adultis perperam committuntur, ne verbum quidem facit.

Huic loco germanus est alter, quem Aduersarius eodem capite 2. & sequenti plurimùm venditat. Sumitur ex libro de natura & gratia cap. 17. vbi S. Augustinus de Pelagio sic loquitur: *Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, & dicit: Hominem præuigilare debere ne ignoret: ideóque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset.* Hæc Pelagius. Subiicit S. Augustinus: *Dum tamen omnia potiùs disputet, quàm vt oret & dicat, Da mihi intellectum vt discam mandata tua.* Quibus profectò verbis satis indicat, id vnum se hoc loco contendere, etiam ignorantiam illam quam ab origine contraximus, malam esse; ac proinde orandum Deum, vt illam gratiæ suæ lumine depellat. Nam si etiam pugnaret, peccare homines cùm ex ignorantia inuincibili aliquid contra legem committunt, non his Pelagium verbis castigasset, *Dum tamen omnia potiùs disputet, quàm vt oret & dicat, Da mihi intellectum vt discam mandata tua.* Sed dixisset: *Dum tamen omnia potiùs disputet, quàm vt oret & dicat, Dimitte etiam Domine quæ ex ignorantia inuincibili commisi.* Distinxisset etiam duplicem ignorantiam inuincibilem, aliam iuris positiui, aliam iuris naturalis, atque illam excusare, hanc verò minimè, statuisset. Addit S. Augustinus: *Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. vnde admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter: vtique his omnibus qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.* Non ait, admoneri nos à Deo, vt ab illo postulemus ea dimitti

nobis, quæ per ignorantiam admisimus: sed tantùm, vt Diuinum lumen postulemus, quo illa ignorantia propulsetur. Ergo non agit hoc loco de peccatis ex ignorantia commissis: sed de ipsa ignorantia, quæ originalis peccati pœna est, quæque non gratiâ remissionis, sed Diuina illustratione purgatur.

Nec Aduersarium iuuant hæc verba: *Et facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Nam in iis nulla culpæ mentio. vnde & illi tribui possunt, qui ex ignorantia inuincibili agit contra legem positiuam, quem tamen Aduersarius omni culpa vacare contendit. Quid enim? nonne Ionathas cùm gustans gustauit paululum mellis in summitate virgæ, contra paternam legem fecit, non intelligendo quid illa fieri vellet? Docent etiam noui Doctoris Patroni Apologia 2. parte 3. cap. 8. hominem cùm indeliberatis concupiscentiæ motibus titillatur, agere contra hanc legem, *non concupisces*. Negant tamen illum peccare. Ergo nonnisi ineptè colligere possunt hominem qui ex ignorantia agit, idcirco verè peccare, quòd dicatur: *Facere contra legem, non intelligendo quid illa fieri velit.*

Obiter moneo ex superioribus facilè colligi, nihil Aduersariis fauere ea S. Augustini testimonia, quibus ait: *Nolle homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat.* Eius verba sunt ex libro 2. de peccatorum merit. cap. 17. Quibus addit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est.* Hæc, inquam, Aduersariorum causam non subleuant, quia non agunt de ignorantiæ peccatis: sed de ipsa ignorantia, quatenus non peccatum, sed malum duntaxat est. vnde non gratiam remissionis ad eam purgandam, sed Diuinæ tantùm lucis radium postulant. Accedit quòd in iis non agatur minùs de ignorantia legis po-

sitiuæ, quàm naturalis. Nam & de Euangelio dicitur: Nolunt homines credere Euangelio, siue quia latet, siue quia non delectat: vt autem innotescat & delectet Euangelium, gratiæ Dei est.

PARAGRAPHVS IV.

Tertia Aduersarij hallucinatio detegitur, quâ ad ignorantiam inuincibilem transfert, quod S. Augustinus de vincibili affirmat.

SOLENT Theologi ignorantiam tribuere in inuincibilem, & vincibilem. Tum vincibilem duas rursus in species partiri: quarum altera simplex dicitur: altera affectata. De quibus Hugo Cardinalis ita pronuntiat in Psalmum 24. *Simplex dicitur ignorantia, quando homo non laborat scire quod possit scire. Affectata dicitur, quando aliquis ex industria omittit scire, ne scientia in eo aggrauet peccatum, ne magis teneatur ad bene operandum.* An verò peccatum excusent, & quomodò, ex communi Theologorum consensu ita definit: *Ignorantia inuincibilis excusat à tanto, & toto. Simplex excusat à tanto, & non à toto. Affectata nec à tanto, nec à toto.* Quia vt alij loquuntur, ac nominatim Richardus in 2. dist. 22. art. 2. quæst. 3. *Hæc ignorantia peccatum non tollit, nec excusat in aliquo, omnibus pensatis. Quia si excusat in quantum est ignorantia, tamen aggrauat in quantum est voluntaria. Ex magna enim intensione voluntatis ad peccandum prouenit, quod homo velit ignorare vt liberiùs peccet.*

S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 3. ait posteriorem hanc ignorantiam esse directè volitam; simplicem verò indirectè tantùm. *Ipsa ignorantia*, inquit, *est voluntaria, vel directè, sicut cùm aliquis studiosè vult nescire aliqua, vt liberiùs peccet: vel indirectè, sicut cùm aliquis propter*

laborem vel propter alias occupationes, negligit aliquid per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, & peccatum: dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest; & ideo talis ignorantia non totaliter excusat à peccato. Ægidius Cardinalis in 2. dist. 22. artic. 2. dub. 1. lat. eam vocat *Ignorantiam omissionis. Libenter enim,* inquit, *sic ignorans vellet scire, sed non vult laborare, vt sciat: propter quod talis ignorantia aliquid habet de voluntario: cùm in voluntate nostra sit velle laborare, vel non laborare. Talis enim ignorantia licèt non possit dici affectata, potest dici neglecta, vel per negligentiam continuata, & si comparata ad voluntatem non potest dici commissa, quia nihil committit voluntas ad persistendum in tali ignorantia, quia non vult nec affectat eam; tamen potest dici omissa, quia omittit voluntas laborare, & negligit operari, vt effugiat ignorantiam illam.* Consentiunt reliqui Theologi, atque huius opinionis suæ fundum appellant S. Augustinum, qui libro 3. de libero arbitrio cap. 19. sic illam tradit: *Non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras.*

Hinc genuinus plurimorum S. Augustini locorum sensus eruitur, quos perperam ad suum de ignorantia inuincibili commentum Aduersarius trahit. Ac præcipuè nobilis illius ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 3. quem hîc integrum repræsento, vt S. Augustini sententia clariùs appareat. *Dominus in Euangelio ait: Seruus qui nescit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca: seruus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis vapulabit multa. Ecce vbi ostendit grauiùs peccare hominem scientem, quàm nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescire, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere vt bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt,*

sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet; sed fortassis vt mitiùs ardeat: non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerant. Et illud quod ait Apostolus: Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum. Contendit Aduersarius sermonem hîc esse de ignorantia prorsus inuincibili: atque id tam exploratum arbitratur, vt ne verbo quidem confirmet, quasi nullus reperiri possit, qui, si hunc locum perlegat, de alia ignorantia loqui suspicetur.

Reclamat omnis Theologorum chorus cum Magistro in 2. dist. 22. qui ex hoc ipso loco vincibilis illius ignorantiæ, quam simplicem vocant, definitionem noménque repetunt. Magistrum audi. *Est autem*, inquit, *ignorantia triplex, & eorum scilicet, qui scire nolunt, cùm possint: quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est. Et eorum qui volunt, sed non possunt; quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum.* ET EORVM QVI QVASI SIMPLICITER NESCIVNT, *non renuentes, vel proponentes scire, quæ neminem plenè excusat; sed sic fortasse vt minùs puniatur. Vnde Augustinus ad Valentinum* libro de gratia & libero arbitrio cap. 3. *Ignorantia quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed qui tanquam simpliciter nesciunt: nullum sic excusat, vt æterno igne non ardeat, sed fortasse vt mitiùs ardeat.*

Hanc Theologorum interpretationem plurima confirmant. Primò, non ait S. Augustinus illam ignorantiam esse eorum, *qui simpliciter nesciunt*, sed, *qui tanquam simpliciter nesciunt*. Vox illa, *tanquam*, satis indicat sermonem non esse de ignorantia prorsus inuincibili. Secundò, statuit hanc ignorantiam *neminem sic excusare, vt sempiterno igne non ardeat, sed fortassis vt mitiùs ardeat*. Si de ignorantia inuincibili loqueretur, non adiecisset *fortassis*. Nihil enim certius, vel ex ipsius Aduersarij opinione, quàm illum mitiùs saltem

puniendum, qui ex ignorantia inuincibili peccauit. Sed idcircò vocem illam inseruit, vt innueret, quod eodem loco Theologi docent de ignorantia simplici seu neglecta, quódque Ægidius Cardinalis quæst. 2. art. 4. sic expressit: *Hac ignorantia potest aliquando plus aggrauare, quàm excusare: aliquando è conuerso. Quia potest ibi esse tanta negligentia, quòd ignorantia sic neglecta plus aggrauet, quàm excuset. Aliquando etiam negligentia potest esse tam modica, quòd si contingat ex illa aliquid malè agere, poterit actus ille ex hoc plus excusari, quàm aggrauari.* Tertiò, confirmatur ex illo serui exemplo nescientis voluntatem domini sui, neque enim ille punitur, quòd eam non impleuerit, nisi cùm negligentiâ suâ ignorat. Quod fatentur Aduersarij, & Theodoretus obseruat apud S. Thomam in Catena Lucæ cap. 12. *Hîc*, inquit, *obiiciunt aliqui: meritò punitur qui sciens voluntatem domini non persequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cùm ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantiæ suæ causa.* Denique, notant aliqui, vt videre est apud Bagnem 2. 2. quæst. 10. art. 1. S. Augustinum loqui de ignorantia Euangelij, ait enim eiusmodi ignorantiam, *Neminem sic excusare, vt sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet.* Et sanè simillimus est locus iste alteri quem Aduersarius allegat ex Tractatu 89. in Ioannem, vt probet ignorantiam Euangelij, à peccato infidelitatis excusare, nisi forte vincibilis sit. Cur ergo nouus Theologus hunc S. Augustini locum pro ignorantia inuincibili citat, quem ad vincibilem pertinere, singula ferè eius verba, multiplex ratio, & Magistri sententiarum auctoritas Theologis omnibus persuaserunt?

Eodem capite 3. S. Augustini testimonium Aduersarius recitat ex Enarratione in Psalmum 35. quod magni momenti esse ait ad opinionis suæ confirmationem. Verùm si illud, non vt ab eo describitur, trunca-

tum & mutilum, sed, vt in S. Augustino habetur, integrum legas, nihil prorsus huic nouitati fauere intelliges. Hæc Dauidis verba: *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.* S. Augustinus ita enarrat: *Non vnum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi aduersantur, non intelligendo vt bene viuant: non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest.* Persuadere conatur Aduersarius postrema hæc verba ad ignorantiam, quæ peccatum non excuset, id est, ad ignorantiam inuincibilem iuris naturalis pertinere. Sed cùm ex sequentibus istud reuinci intelligeret, ea callidè suppressit. Sic habent: *Sicut dicit quodam loco scriptura: Quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Probat exemplis: *Fac hominem quærere quomodo sit æqualis filius patri, credidit: quærit intelligere, nondum potest. Magna enim res est, & vires maiores desiderat vt possit capi: & est initium fidei quod custodit animam donec roboretur. Lacte nutritur, vt perueniat ad habitudinem & firmitatem cibi solidioris, vt possit intelligere, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Antequam hoc possit, nutritur in fide: & conatur intelligere, vt intelligat quantùm Deus dederit.* Hæc sunt illius ignorantiæ exempla, de qua dixerat: *Aliud est enim quando quisque conatur intelligere, & per infirmitatem carnis non potest.* At fateri Aduersarius debet, in eiusmodi exemplis sermonem non esse de ignorantia illa inuincibili, quam à peccato non excusare contendit: cùm in iis agatur tantùm de speculatiuarum veritatum ignorantia quam peccato subiacere negat. Vnde venerabilis Beda in commentario eiusdem Psalmi, cùm illa S. Augustini verba recitasset, subdit: *Quæ dicuntur de diuinitate, humana infirmitas percipere non potest, & IN TALIBVS IGNORANTIA NON EST PECCATVM.*

Quan-

Quanquam & hoc loco ignorantiæ iuris naturalis S. Augustinus meminit: sed ita meminit, vt inde nuperi Theologi opinio elidatur potiùs, quàm iuuetur. Cùm enim dixisset, conari hominem fidelem vt intelligat quomodo sit æqualis filius patri, & nondum posse, subiicit: *Nunquid & hoc cum conatu intelligit? Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris: vt quia pati non vis iniquitatem, non facias iniquitatem, quia non vis pati dolum & insidias, non insidieris alteri.* Quæ verba satis indicant, hæc prima iuris naturalis principia esse eiusmodi, vt qui ad ea intelligenda animum appulerit, facilè cognoscat: ac proinde illorum ignorantiam non pertinere ad genus illud, quod ita descripserat: *Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest.* Sed ad illud potiùs, quod ibidem ita definit: *Aliud autem quando perniciosius agit aduersùs se ipsum cor humanum, vt quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat: non quia difficile est, sed quia voluntas aduersa est. Hoc autem fit dum amant peccata sua, & oderunt præcepta Dei.* Quamobrem Venerabilis Beda eodem loco S. Augustini verba ita contrahit: *Planissimum enim & apertissimum est omni homini illud præceptum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: quia quisque in se ipso hoc aduertere potest. Et ideo quisquis hoc non intelligit non imputabitur difficultati; imò voluntati.*

Voluntariæ illius ignorantiæ subtiliorem quandam speciem S. Augustinus ibidem profert, cùm hæc Dauidis verba: *Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniret iniquitatem suam, & odisset*, sic exponit: *Sunt homines qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam inuenire: quia si illam inuenerint dicitur illis: Recedite ab illa.* Vnde porrò dignosci potest, an homo sincerè iniquitatem quærat? *Non sciebam quia peccatum est, quando dicit homo?* Respondet: *cùm viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum pecca-*

tum: quod ideo faciebat, quia ignorabat: verè sic voluit nosse iniquitatem, vt inueniret & odisset. Altercatur hîc Aduersarius, quasi hæc verba: *destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* Significent verè illud esse peccatum, quod iste ideo faciebat, quia ignorabat. Sed quis non videt peccatum hîc materialiter sumi? cùm hæc omnia vniuersim dicantur, ac proinde etiam conueniant homini, qui ex ignorantia inuincibili facti, aut iuris positiui materialiter peccat. Quidni enim de Abimelech, si ignorasset inuincibiliter Saram alteri esse copulatam, dici posset? *Cùm viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum: quod ideo faciebat, quia ignorabat: verè sic voluit nosse iniquitatem, vt inueniret & odisset.* Pergit sanctus Augustinus: *Nunc autem multi dolosè agunt vt inueniant iniquitatem suam: id est, non ex animo agunt inuenire, & odisse.* Hanc tantùm ignorantiam hoc loco culpæ tribuit, quam nemo non videt esse vincibilem. Et illum tamen Aduersarius in opinionis suæ præsidium trahit, & quasi communi sententiæ plurimùm noceret, in ipsa disputationis fronte collocat.

PARAGRAPHVS V.

Quarta Nuperi Theologi hallucinatio aperitur, quâ nobilem S. Augustini locum suam in opinionem ingratiis detorquet.

S. Augustinus ita nonnunquam asserit ignorantiam inuincibilem non excusare à peccato, vt id vnum velit, non eam excusare peccata, ad quæ perpetranda nihil contulit, quamuis peccatum illud excuset, cuius causa extitit. Quo sensu vel ex ipsius Aduersarij confessione loquitur Tractatu 89. in Ioannem, vbi hæc Christi verba exponens: *Si non venissem & locutus eis*

fuissem peccatum non haberent, ait, de illo tantùm peccato hæc esse intelligenda, quo in Christum non crediderunt. Tum quærit, vtrum gentes quæ de Christo nihil inaudiêrunt, habeant excusationem de peccato. Respondet: *Habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.* Quærit ampliùs: *vtrum hi qui priusquam Christus veniret in Ecclesia ad gentes, & priusquam Euangelium eius audirent, vita huius fine præuenti sunt, seu præueniuntur, possunt habere hanc excusationem.* Quæstionem ita soluit: *Possunt planè, sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Quapropter damnabuntur illi, non quòd in Christum non crediderint, sed quòd aliis peccatis legem naturæ violauerint. Ex quibus nouus Theologus rectè colligit, ignorantiam inuincibilem Euangelij à peccato infidelitatis, quod necessariò inducit, non ab aliis excusare.

Sed vide quæso hominis candorem, capite 3. ambitiosè iactat truncatum S. Augustini locum ex Epistola 105. quasi ille inuictè probet ignorantiam inuincibilem iuris naturalis à peccato non excusare. Et tamen locus iste, si sumatur integer, superiori simillimus est, nec minùs expressè, de solo iure positiuo loquitur, támque disertè affirmat ignorantiam, de qua agit, abstergere quidem peccati illius culpam, quod necessariò importat, at non aliorum, ad quæ nihil ipsa prorsus contulit. Locum integrum exhibebo, vt omnes intelligant quàm præposterè S. Augustini auctoritate Aduersarius abutatur. Cùm dixisset S. Augustinus ad occulta Dei iudicia pertinere, quòd ex pueris vnum potiùs, quàm alium liberet, subdit: *Et in maioribus duntaxat ætatibus meritò dici potest: Hi noluerunt intelligere vt bene agerent: Hi, quod grauius est, intellexerunt & non obedierunt.* Priora hæc verba iam Aduersarium perimunt. Nam ad hæc fastigia duo peccata omnia reuocat, quæ in maio-

ribus committuntur ætatibus. At quis non videt ad neutrum ignorantiam inuincibilem pertinere? Probat postea ex scripturis, *Inexcusabiles esse, quos non latet veritas, & in eis perseuerat iniquitas.* Quorum ex numero eos quidem esse docet, *qui inuisibilia illius per ea quæ facta sunt intellecta conspicere potuerunt, nec obediêrunt tamen veritati, sed iniqui & impij permanserunt.* Sed, *quanto magis*, inquit, *inexcusabiles sunt, qui ex lege eius instructi confidunt se ipsos duces esse cæcorum*, &c. Quæ confirmat ex Christi verbis Ioannis 15. *Dicit Dominus in Euangelio: si non venissem & eis loquutus non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Non vtique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multísque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo cùm audissent eum, non crediderunt in eum: hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere: Non audiuimus, ideo non credidimus.*

Libenter ab Aduersario quærerem, cur hæc omiserit omnia, quæ manifestè conuincunt sermonem hîc esse de ignorantia Euangelij. Auspicatur à sequentibus verbis: *Humana quippe superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est quod peccat.* Atque hæc etiam corrumpit, extritâ particulâ *quippe*, quæ hanc sententiam cum superiori connectit, indicátque hæc ad eandem Euangelij ignorantiam referri. Dixerat enim Christum asserere, Iudæos hanc non habere excusationem, quâ possint dicere: Non audiuimus Euangelium, ideo non credidimus. Hanc excusationem humanæ superbiæ consentaneam esse his verbis affirmat: *Humana quippe superbia, tanquam præsumens de viribus suis*, &c. Tantùm enim homines præsumunt de viribus libertatis suæ, vt se non dubitent credituros Euangelio, si illud audiuissent: adeóque hanc prætexere excusationem solent: Non audiuimus, ideo non credidimus. Illud

ipſum confirmat reliqua S. Auguſtini diſputatio, quam Aduerſarius prætermiſit. *Secundùm hanc excuſationem, inexcuſabiles dicit ſcriptura Diuina quoſcunque ſcientes peccare conuincit. Dei tamen iuſtum iudicium nec illis parcit, qui non audierunt. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Et quamuis ſe ipſi excuſare videantur,* (dicentes nimirum vt ſuprà: Non audiuimus, ideo non credidimus) *non accipit tamen hanc excuſationem* (vt illis parcat, cùm aliis peccatis & maximè originali teneantur obſtricti) *qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi eius quo malè vſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros manaſſe peccatum.* En cur iuſtum Dei iudicium illis non parcat, qui Euangelium non audiuerunt. Nimirum, quia peccato ſaltem originali contaminati ſunt. Vnde ſubdit: *Neque enim damnantur, qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccauerunt.*

Ex quibus S. Auguſtinus colligit, eos qui damnantur nihil cauſari poſſe, quo iuſtum Dei iudicium effugiant. Nam ſi non audiuerunt Euangelium, inexcuſabiles ſunt ſaltem reatu originis: Si verò audiuerunt, inexcuſabiles ſunt additamento propriæ voluntatis. adeóque ignorantia in iis, qui Euangelium intelligere noluerunt, peccatum eſt æternis ſuppliciis vindicandum: in iis autem qui non potuerunt, pœna originalis peccati, propter quod iuſtè plectentur: atque ita erit in vtriſque iuſta damnatio. Eius verba ſunt: *Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis: ſiue qui nouit, ſiue qui ignorat, ſiue qui iudicat, ſiue qui non iudicat: quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Quapropter nullius momenti eſſe ait excuſationem illam, quâ dicunt: *Non audiuimus, ideo non*

credidimus: sed iustam esse damnationem, quâ *Dei iustum iudicium nec illis parcit, qui non audierunt. Ergo*, inquit, *in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.* Cuius loci vim omnem ita S. Thomas colligit lectione 3. in caput 10. Epistolæ ad Romanos. *Illi qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malè viuendo addiderunt: & pro his meritò damnabuntur.*

Nouerat Aduersarius nihil se ex hac S. Augustini disputatione præsidij capere posse, quamdiu staret integra. Quare vnam tantùm ab ea laciniam abrupit: extremam scilicet illam partem: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis vel additamento propriæ voluntatis*, &c. Quæ verba corrumpit primò, cùm illa à superiori argumento, cuius conclusio sunt, & à quo robur pariter ac lucem accipiunt, per vim diuellit. Eadem corrumpit secundò, cùm in iis de sola iuris naturalis ignorantia agi supponit, & dissimulat totam hanc quæstionem de Euangelij ignorantia agitari. Corrumpit tertiò, cùm hæc verba: *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis*, &c. pertinere vult ad ignorantiam, quæ etiam baptizatos à peccato non excuset, quòd pœna peccati sit. Nam illud solidè falsum est. Quis enim dicat in baptizatis ignorantiam esse reatum originis? cùm S. Augustinus de baptizato sic loquatur l. 6. contra Iulianum cap. 16. *Omni peccato caret, non omni malo: quod planiùs ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid caret ignorantiæ malo?* &c. Et verò de ipso originali peccato, quod illos inexcusabiles reddat, sermonem esse, conuincunt proximè antecedentia verba, quæ Aduersarius supprimit. *Neque enim damnantur qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertransiit, in quo ante propria in singulis quibusque*

peccata omnes communiter peccauerunt. Cum quibus illud contexitur: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis*, &c. Ergo reatus ille originis, quo peccatorum partem inexcusabilem esse ait, est ipsum originale peccatum. Quo semel admisso, huius loci difficultas omnis euanescit.

Atque vt intelligas S. Augustinum non hîc agere de aliquo ignorantiæ inuincibilis peccato, quod eos etiam, qui *intelligere non potuerunt*, suppliciis addicat æternis: lege quæ paulò pòst addit, vt probet solius Christi gratiam nos ab iis peccatis purgare de quibus iam disputabat. *Sed neque*, inquit, *ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ vnusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus ex lege, additamento prauaricationis exaggerat, quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Nulla hîc peccatorum mentio, quæ per ignorantiam inuincibilem committantur. Imò cùm tam disertè afferat peccata omnia, *quæ vnusquisque in vita propria congregat*, committi, *vel intelligendo, vel nolendo intelligere*, satis indicat, nullum ex ignorantia inuincibili peccatum fieri.

PARAGRAPHVS VI.

SS. Augustini & Hieronymi, atque adeo ipsius Palestinæ Synodi de ignorantiæ peccatis opinio explicatur.

EN quæ sit adhibenda nouo Doctori fides! En aliquot indicia candoris illius, quo se Patrum omnium doctissimi sententiam, & sine vllo præiudicio scrutari, & inuentam sine fraude exponere profitetur! Quamuis autem ex iis corruptelis nulla sit, quæ ad eius in-

fringenda tela, ipsúmque adeo exarmandum magnopere non conferat: duæ tamen sunt, quæ & istud efficiunt præ cæteris, atque illud insuper habent eximij, vt eius opinionis fundamenta conuellant, & claram nobis ad SS. Augustini & Hieronymi sensum indagandum, enucleandúmque facem præferant. Primum est, eos cum Pelagianis etiam de ignorantia facti, & iuris positiui conflixisse. Secundum, pugnasse eosdem, non id tantùm quod ex ignorantia committitur, sed ipsam quoque ignorantiam peccato subiacere. Nam his positis, quæ tam certa sunt, quàm quod maximè, plana est & expedita S. Augustini sententia, quam breui assertione complector.

Cùm S. Augustinus aliíque Patres, & ignorantiam, & quod ex illa fit, peccatum esse aiunt, de ignorantia vincibili loquuntur. Probari validiùs ista conclusio non potest, quàm si omnia ignorantiæ exempla, quæ ad debellandos Pelagianos SS. Patres vrgent, expendam minutatim, atque in singulis de ignorantia vincibili sermonem esse demonstrem.

Occurrit primò exemplum regis Abimelech, quem S. Augustinus libro 3. contra Iulianum cap. 19. peccasse contendit, cùm ex ignorantia facti alienam vxorem sibi despondit. *Non attendisti*, inquit, *homo qui non vis Diuino iudicio quemquam non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipse adulterino corde peccauerit, & Deus quantulumcunque peccatum eius in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret.* Fateri cogitur Aduersarius ignorantiam illam, ex qua Regem Abimelech verè peccasse docet S. Augustinus, fuisse vincibilem: aliàs enim, vel ex nouæ opinionis placitis, peccatum excusasset, cùm facti fuerit, non iuris naturalis. Porrò vnde illi ignorantiæ culpa accesserit, explicat ex S. Augustini mente Henricus à Gandauo quodlib. 12. quæst. 25. *Abimelech*, inquit, *reuera peccasset si cognouisset Saram,*

etiam

etiam ipsa accepta in vxorem, quia non sufficienter inquisiuit, an fuisset vxor Abrahæ, excusatus tamen fuisset in aliquo, propter quod etiam Dominus eum custodiuit, quia Sara requisita, quæ esset, respondit se esse sororem Abrahæ, quod si credidisset, nequaquam eam cognoscere voluisset, in quo Augustinus commendat eius iustitiam in lege naturæ. Illud ipsum iisdem ferè verbis tradit Hugo Cardinalis in caput 20. Genesis, aliíque vulgò interpretes.

Occurrit secundò illud Apostoli: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* quo S. Augustinus vtitur, libro 3. de libero arbitrio cap. 18. & libro 1. retract. cap. 9. vt quædam esse ignorantiæ peccata confirmet. Eodem Apostoli loco nescio quem Pelagianizantem acriter refellit S. Bernardus Epistola 77. ad Magistrum Hugonem de S. Victore. *Si peccatum*, inquit, *ignorantia nullum est, non ergo peccauit Saulus quòd persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate? Bene itaque faciebat quòd erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quòd erat spirans minarum & cædis in discipulos Domini, in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere: Misericordiam consecutus sum, sed: Mercedem recepi. quippe quem ignorantia à peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem iudicabat.* Et hîc quoque nobiscum sentire coguntur Aduersarij. Nam cùm S. Pauli ignorantia non iuris naturalis, sed facti tantùm, aut iuris positiui exstiterit, vel in ipsius noui Doctoris opinione vincibilis esse debuit, vt à peccato non redderet immunem. Et verò eiusmodi fuit. quia ille & prædicantes Apostolos, & morientem pro Christo Stephanum audiuerat. vnde S. Thomas 1. 2. quæst. 76. artic. 4. ignorantiam quæ indirectè voluntaria est, atque adeo vincibilis, peccatum extenuare inde conficit, quòd Apostolus dicat: *Misericordiam consecutus sum quia ignorans feci.* Quem S. Doctoris locum ita Conradus illustrat: *Patet quòd verbum Apostoli*

intelligitur de ignorantia, quæ fuit causa peccati, non tamen fuit inuincibilis, sed vincibilis.

Eandem fuisse sancti Bernardi mentem planè conuincunt, quæ in eadem Epistola scribit: *Multa,* inquit, *scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi: Et quidem eiusmodi ignorantia non habet excusationem.* Tum asserit aliam esse ignorantiæ inuincibilis rationem, probátque ex his Christi verbis: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* quæ sic enarrat: *Non dicis simpliciter, & locutus non fuissem, sed interserens, eis, & locutus eis, inquit, non fuissem, ostendens sine dubio non antè censeri inexcusabiles de contemptu, quàm ad ipsorum vsque notitiam iussio perueniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis; inobedientiæ culpam ignorantia nihilominus excusaret.*

Occurrit 3. quod libro de Gestis Pelagij cap. 18. scribitur ad Celestium refellendum asserentem: *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato.* Illud est: *Cùm in lege sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur.* Quod S. Hieronymus libro 1. aduersùs Pelagianos fusiùs disputat. Nam singula ferè ignorantiæ peccata, pro quibus sacrificium imperabatur in lege, recenset. Cuiusmodi est illud, de quo Leuitici cap. 5. *Si tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, & feceris per ignorantiam,* &c. Item & istud cap. 22. *Si comederit homo de sanctificatis per ignorantiam, imputatur ei iniquitas atque delictum,* &c. Velit nolit Aduersarius rursus hac in parte nobis assentiatur oportet. Nam cùm illa ignorantia, quæ in lege sacrificiis purgabatur, facti esset vt plurimùm, aut iuris positiui, vincibilis esse debuit, vt peccato subiaceret. Quam in rem clara est S. Augustini sententia libro de natura & gratia cap. 17. *Aliud est,* inquit, *non curasse scire, quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari,* &c.

Occurrit quartò illorum exemplum qui, vt ait Hieronymus libro 1. aduersus Pelagianos: *Non sponte, sed*

per ignorantiam, vel iactu lapidis, vel impulsione manus, vel ioco, vel lasciuiâ, infelicitate magis, quàm voluntate peccauerunt, aliquem interficiendo. At ne ipse quidem Aduersarius affirmat eiusmodi homines verè peccare, nisi hæc illorum ignorantia, propter inquirendi negligentiam, indirectè saltem voluntaria extiterit. Qua de re ex communi Theologorum sententia ita decernit Henricus à Gandauo quodlibeto 12. quæst. 25. *Ignorantia facti duplex est: quædam cum exhibitione debita diligentiæ ad sciendum illa: quædam verò sine illa diligentia. Prima excusat à peccato omnino, &c. Secunda autem non excusat pro quanto quis non adhibet diligentiam, quam debet, ad sciendum ea quæ consistunt in facto: ita quòd si nullam diligentiam adhibeat, in nullo excusat: sicut forte non est excusatus Lamech occidendo Caim, putando ipsum esse feram. Si autem aliquam diligentiam adhibeat, pro tanto excusatur, & pro residuo inculpatur.*

Occurrit 5. illud Dauidis: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ ne memineris Domine.* Quod S. Augustinus semper vsurpat, cùm de ignorantiæ peccatis disputationem instituit. Hîc à nobis Aduersarius apertè dissidet, qui hactenus, licèt repugnans, nostræ coactus est assentiri sententiæ. Ait S. Augustinum ea mente hæc Dauidis verba adhibere, vt quæ ex ignorantia inuincibili iuris naturalis committuntur, peccata propriè dicta esse conuincat. Sed istud refellere promptum est, ex iis ipsis S. Augustini locis, in quibus illo Dauidis testimonio vtitur. Præcipui sunt libro 3. de libero arbitrio cap. 18. & libro 1. retractationum cap. 9. in vtroque sic habet: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in Diuinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris.* Vnde sic disputo: S. Augustinus de eadem ignorantia Prophetam interpretatur, de qua Apostolum:

At fateri coguntur Aduersarij S. Augustinum interpretari Apostolum de sola vincibili ignorantia; Ergo & Prophetam interpretatur de ignorantia vincibili. Eundem Dauidis locum S. Augustinus producit libro de Gestis Pelagij cap. 18. Nam cùm hanc Celestij propositionem recitasset: *Obliuionem & ignorantiam, non subiacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* ad eam confutandam siue ex sua, siue ex Palestinorum Episcoporum sententia, hæc subdit: *Cùm Dauid dicat: Delicta iuuentutis meæ ne memineris, & ignorantias; Et cùm in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato, offerantur.* Vnde rursus ita argumentor: Eodem sensu ignorantiam sumit in illo Dauidis loco, quo in posteriori, cùm ait in lege sacrificia offerri pro ignorantia: At in illo posteriori ignorantiam vincibilem intelligit, vt iam extorsi; Ergo & in priori. Et sanè vix probare Aduersarij possent, Dauidem virili in ætate ex ignorantia inuincibili iuris naturalis peccauisse, cùm eiusmodi ignorantiam ne in barbaros quidem & infideles cadere doctissimi Theologi defendant, atque in primis Alexander, Gratianus, Durandus, Almainus, Alphonsus à Castro, aliíque complures.

Pertinax sit oportet, cuí ista non persuadeant, SS. Patres de vincibilis ignorantiæ peccatis cum Pelagio, eiúsque fautoribus pugnasse. Si quis tamen tam apertæ veritati obluctetur, hac frangi ratione poterit. S. Augustinus, S. Hieronymus, & Palæstini Episcopi de illius ignorantiæ peccatis cum Pelagio agebant, quæ & ipsa peccatum est: Atqui ex ipsius Aduersarij consensu sola ignorantia vincibilis peccatum est: ergo de solius vincibilis ignorantiæ peccatis agebant. Maiorem, quæ negari sola potest, probaui superiùs ex Palæstina synodo, quæ non tam de peccatis ex ignorantia commissis, quàm de ipsa ignorantia agit. Nam huic Celestij sententiæ: *Obliuionem & ignorantiam non sub-*

iacere peccato. Istud opponit: *cùm in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato, offerantur.* Vnde & S. Hieronymus libro 1. contra Pelagianos ait, sibi aduersùs illos esse demonstrandum, *Errorem & ignorantiam esse peccatum*. Et paulò pòst: *volunt etiam eloquia scripturarum ignorantiam habere peccatum.*

Possunt & ista plurimùm confirmari ex obliuionis natura, cuius eandem cum ignorantia rationem esse Palestina synodus testatur. vnde & illud S. Hieronymi libro 2. aduersùs Pelagianos: *Pro obliuione, errore & ignorantia, quasi pro peccato, offeruntur sacrificia.* Quo posito liceat mihi ab Aduersariis percontari: quam tandem obliuionem peccato subiiciant. Fatentur certè nobiscum, omnem prorsus obliuionem, quæ culpâ nostrâ obrepit peccato tribui. Sed quæro an aliquam etiam inculpabilem, vt ita loquar, à peccato non excusare arbitrentur. Aiunt sic habere. Rursus interrogo, quæ sit illa obliuio inculpabilis, quæ à peccato non excusat: iurísne tantùm naturalis, an facti etiam & iuris positiui? Si constare sibi volunt, & suis de ignorantia inuincibili principiis hærere, solius iuris naturalis obliuionem inculpabilem à peccato excusare contendent. Sed istud perspicuè falsum est. Primò, quia fieri non potest, vt qui præcepta iuris naturalis semel nouit, ea inculpabiliter obliuiscatur, cùm ipsa quoque obliuio præcepti positiui, quod tamen multo faciliùs excidere animo potest, vix ac ne vix quidem sine culpa contingere possit: vt S. Augustinus his verbis innuit libro 11. de Genesi ad litteram cap. 29. *Neque vllo modo dici posset, id quod præceperat Deus oblitam fuisse mulierem: quanquam & obliuio præcepti, maximè vnius, & tam necessarij ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret.* Secundò, quia de illa obliuione Palęstinum Concilium & S. Augustinus loquuntur, pro qua in lege sacrificia offerebantur: At illa non erat obliuio iuris naturalis, vt constat ex Leuitici cap.

5. quem locum S. Augustinus sic enarrat libro 3. quæst. super Leuiticum cap. 5. *Quod autem ait: Anima si latuerit eum, cùm obliuio est ei, id est, si obliuione factum fuerit vt lateat eum,* &c. *Ibi enim intelligitur hoc esse à sanctis obliuione peccare, aliquid per obliuionem vsurpare quod debetur sanctis, siue sacerdotibus, siue oblationibus vel primitiarum, vel quidquid huiusmodi.*

Duplex restat eximendus scrupulus. Primus ex hac Celestij propositione emergit: *Obliuionem, & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* Nam hæc posteriora verba ignorantiam vincibilem videntur excludere. Respondeo, excludi quidem his verbis illam ignorantiam, cuius voluntas ipsa causa est, quæque directè voluntaria appellatur; quia secundùm voluntatem euenit, voluntate nimirum illam procurante, & affectante. At non eam quæ ex voluntate originem non trahit, quæque idcircò tantùm indirectè volita nuncupatur, quòd voluntas ad eam depellendam non adhibeat diligentiam omnem, quam potest, & debet. Quamobrem SS. Augustinus & Hieronymus, qui Pelagiani illius dogmatis mysteria nouerant, ea ex sanctis scripturis ad illud opprimendum exempla congerunt, in quibus de hac tantùm posteriori ignorantia indirectè volita sermo est. vt patet in Abimelech ex eiusmodi ignorantia alienam vxorem ducente: in Apostolo Paulo ex eadem Christum persequente: & in iis omnibus quibus pro ignorantia, tanquam pro peccato, sacrificia imperabantur in lege.

Scrupulus alter ex iis locis oritur, quibus testatur S. Augustinus, fateri Pelagianos etiam hanc posteriorem ignorantiam esse culpabilem, quod disertissimè facit libro 6. contra Iulian. cap. 1. Et libro de natura & gratia cap. 17. quæ loca retuli paragrapho tertio. Respondeo, inde tantùm colligi Pelagianos in posteriori cum Catholicis certamine istud fuisse con-

fessos, quod in priori pertinaciter negabant. Patet enim ex superioribus SS. Augustini, & Hieronymi locis Pelagianos primùm negasse, ignorantiam S. Pauli, Regis Abimelech, & illorum quibus sacrificia pro ignorantiis imperabantur in lege, peccato subiacere: At illorum omnium ignorantia ex ipsius Aduersarij confessione vincibilis est, aliàs enim culpam omnem abstergeret, cùm non sit iuris naturalis: Ergo fateri Aduersarius cogitur Pelagianos primùm negasse, ignorantiam vincibilem peccato subiacere.

Solemne verò ac familiare Pelagianis fuit, vt Catholicorum argumentis oppressi cederent nonnihil, atque vt dogmatis sui caput tuerentur, alia quædam remitterent. Sic ab illis tandem S. Augustinus extorsit, vt faterentur fieri in baptismo remissionem peccatorum. Extorsit quoque vt concederent, ignorantiam in paruulis peccati esse supplicium. Hæc duo concedere non curabant Pelagiani, teste S. Augustino libro 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 34. 35. 36. modò illud retinerent, peccatum eiusmodi non ab Adamo fuisse transfusum: sed propria cuiusque infantis voluntate contractum. Pariter quoque eo loco, quem Aduersarius appellat ex libro de natura & gratia cap. 17. libenter Pelagius concedit, quod tam præfractè antè negauerat: nimirum, ignorantiam illam, pro qua sacrificia offerebantur in lege, esse culpabilem. Id, inquam, Catholicis libenter indulget, dummodo retineat, quod opinionis suæ caput est, hominem ad depellendam ignorantiam diuinæ lucis radio non indigere. Quapropter cùm S. Augustinus eius verba recitasset, quibus concesserat: *Esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset.* sic ea castigat: *Dum tamen omnia potiùs disputes, quàm vt ores & dicat: Da mihi intellectum vt discam mandata tua.* Quæ verba satis innuunt, id priori quidem Pelagij sententiæ aduersari, at eum libenter

& istud, & quidlibet aliud de suo circa ignorantiam dogmate remissurum, dummodo fateri non cogatur, implorandum esse Diuinum lumen ad ignorantiæ tenebras propulsandas.

Et verò, quoties S. Augustinus Pelagianorum verba recitat affirmantium, ignorantiam, atque adeo quod ex illa committitur, ex discendi negligentia culpam contrahere, toties aliud nihil ab iis postulat, quàm vt fateantur, ignorantiam in peccati pœnam vel ipsis paruulis infligi, & diuina luce purgari. Quod argumento est, nihil S. Augustino cum Pelagianis de ignorantia fore controuersiæ, si quemadmodum ab illis expressit, ignorantiam ratione negligentiæ crimini dari, ac proinde S. Paulum, Abimelech, & alios omnes quibus in lege pro ignorantia, sic tanquam pro peccato, sacrificia imperabantur, verè peccasse: ita quoque ab illis extorqueret, ignorantiam in qua nascimur, peccati originalis pœnam esse Diuinæ lucis radio purgandam. Sed illud fusiùs disputaui huius sectionis paragrapho 3.

Licebit opinor ex superioribus concludere, nihil à S. Augustini, S. Hieronymi, & Palestinæ Synodi mente discrepare communem Theologorum sententiam, quâ asserunt, quidquid ex ignorantia perperam committitur, tunc tantùm culpę tribui, cùm ipsa ignorantia peccatum est: ignorantiam verò tunc esse peccatum, cùm præcessit negligentia, aut aliquid aliud commissum à nobis, à quo vt voluntarij, ita & culpæ rationem trahat. Sic prorsus vt formalis voluntarij, & peccati ratio primariò & per se negligentiæ competat, tum ex ea refluat in ignorantiam, ac postremò in illud quod ex ignorantia fit deriuetur.

PARAGRAPHVS VII.

Quo sensu S. Augustinus affirmet, ignorantiæ peccata non esse peccata tantummodò, sed peccata simul & pœna peccati.

SVPEREST vt ostendam nihil à S. Augustino de ignorantiæ peccatis traditum fuisse, quod, vel ex ipsius Aduersarij confessione, in ea bellè non conueniat, quæ ex ignorantia vincibili committuntur. Ac primò disquirendum quo sensu non sint peccata tantummodo, sed peccata simul & pœnæ peccati. Cui dissoluendæ quæstioni copiosam nobis lucem suppeditabunt, quæ hîc paucis obseruanda perstringo.

Obseruandum primò, peccatum illud quod peccatum tantummodo dicitur, non ex aliquo alio peccato, sed ex se ipso voluntarij rationem habere, ita vt illi præcisè secundùm se spectato, hæc definitio conueniat: *Peccatum est id vnde liberum est abstinere.* Hæc mihi Aduersarius concedit. At negat esse vllum eiusmodi in statu naturæ vitiatæ peccatum: contrà quàm S. Augustinus disertè affirmat libro 1. Operis imperfecti pag. 40. & 41. MVLTA SVNT QVÆ AGVNT HOMINES MALA, A QVIBVS EIS LIBERVM EST ABSTINERE. Et pag. 157. FATEMVR IN HOMINIBVS ESSE PECCATA, QVÆ COMMITTVNTVR NON NECESSITATE, SED VOLVNTATE; QVÆ TANTVMMODO PECCATA SVNT, VNDE AB EIS LIBERVM EST ABSTINERE.

Libro 4. de statu nat. lapsæ cap. 21. Et libro 2. capite 4.

Obseruandum 2. S. Augustinum nomine peccati, quod peccatum simul est & pœna peccati, ea complecti omnia, quæ voluntarij rationem se ipsis non habent, sed ab alio quodam peccato mutuantur. Sic originalis macula peccatum est simul & pœna peccati;

quia, vt S. Augustinus docet libro 1. Retractationum cap. 13. ex Adami peccato voluntarij rationem ducit. Homicidium quoque ab ebrio commissum, peccatum est & pœna peccati; quia non est in se voluntarium, sed in causa tantùm, nempe in ebrietate libera. Docet enim S. Thomas quæst. 3. de malo art. 10. *Homicidium per ebrietatem commissum imputari homini ad culpam; quia principium ebrietatis fuit voluntarium.*

Obseruandum 3. S. Augustinum etiam ad hoc peccati genus nonnulla reuocare, quæ non sunt propriè peccata. Sic libro 1. Operis imperfecti pag. 41. concupiscentiam eiúsque motus indeliberatos eò reducit. *Tertium genus*, inquit, *vbi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum hoc ago.* Quibus verbis inuoluntarij tantùm concupiscentiæ motus designantur, vt vox illa, *nolo*, & plurima S. Augustini testimonia conuincunt: ac præcipuè insignis ille ex libro 1. Retract. cap. 15. *Hoc peccatum*, inquit, *vsque adeo non est in voluntate, vt dicat: Quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo sic locutus est Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.* Duo porrò requirit, vt quod impropriè tantùm peccatum est, ad hoc genus reuocetur. Primò vt materialiter peccatum sit. Secundò vt in peccati pœnam inferatur. Ita loquitur de concupiscentia libro 5. contra Iulianum cap. 3. *Concupiscentia carnis, aduersùs quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis.*

Hinc statuere facillimum est quo sensu ignorantiæ vincibilis peccata non sint peccata tantummodo, sed peccata simul & pœnæ peccatorum. Indidem quoque plurimæ quæstiones enodari possunt, quæ ex variis S. Augustini locis enascuntur. Quas vt ordine expediam,

placet ex his ignorantiæ peccatis, quæ SS. Augustinus & Hieronymus commemorant, vnum seligere, putà Apostoli ignorantiam, & quid in singulis eius gradibus peccati hæreat adnotare.

Dico igitur primò, peccasse Apostolum cùm neglexit quærere quod ignorabat. Nam vt ait S. Augustinus libro 3. de Libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras;* SED QVÒD NEGLIGIS QVÆRERE QVOD IGNORAS. Atque illud Apostoli peccatum, fuit peccatum tantummodo, quia non aliunde, sed à se ipso libertatis rationem habuit. Negari istud ab eo non potest, qui concesserit quod conceptis verbis S. Augustinus toties affirmat, ac præcipuè libro 1. Operis imperfecti pag. 157. *In hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate sed voluntate: quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere.*

Dico secundò, Apostoli quoque ignorantiam culpabilem fuisse: non tamen peccatum tantummodo, sed peccatum simul & pœnam peccati. Culpæ rationem traxit ex negligentia, cùm in se pœnalis tantùm esset. Nam vt ex S. Augustino pluribus efficit Henricus à Gandauo quodlibet. 1. quæst. 17. *Pœnalis in nobis est illa ignorantia, quam habemus inflictam à primo peccato.* Sed fit *culpabilis discendi negligentiâ.* Eadem Apostoli ignorantia non erat peccatum tantummodo, quia in se non fuit voluntaria, sed tantùm ratione negligentiæ: siquidem vt ex S. Augustino S. Thomas docet quæst. 3. de malo art. 7. ad 7. *Ignorantia habet quòd sit peccatum ex negligentia præcedente.* Et paulò pòst ad 11. *Dicendum, quòd peccatum ignorantiæ non consistit in sola priuatione scientiæ, sed in ea simul cum causa præcedente, quæ est negligentia addiscendi.* Fuit tamen eadem Apostoli cæcitas peccatum simul & pœna peccati; quia vt ait S. Augustinus libro 1. Operis imperfecti pag. 41. *Cæcitas cordis si peccatum non esset, iniustè argueretur: arguitur autem iustè*

vbi dicitur: Pharisae caece, & aliis diuinorum eloquiorum locis. Eadémque caecitas si peccati pœna non esset, non diceretur: Excaecauit enim illos malitia illorum.

Dico tertiò, quidquid ex illa ignorantia Apostolus perpetrauit mali, peccatum fuisse. Siquidem, vt ait S. Bernardus Epistola 77. *Peccauit Saulus quòd persecutus est Ecclesiam Dei, &c. quòd erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Hæc, inquam, omnia verè peccata fuerunt, non tamen peccata tantummodo; quia in se libera non erant: sed ab ignorantia libertatem, seu vt loquitur Ægidius Cardinalis in 2. dist. 22. q. 2. artic. 2. *culpæ complementum* acceperunt. Quò pertinet illud S. Thomæ quæstione 3. de malo art. 8. *Actus sequens ex hoc ipso quod procedit ex ignorantia, quæ est voluntaria, est quodammodo voluntarius.* Eadem Apostoli ignorantis crimina idcirco peccata erant & pœnæ peccati; quia ipsa Apostoli ignorantia peccatum erat & pœna peccati. Hæc ratio quæ nouæ de ignorantia opinionis caput petit, sumpta est ex S. Augustino, qui libro 1. Operis imperfecti pag. 41. cùm dixisset: *Tertium verò genus vbi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum hoc ago. Ad hoc etiam pertinent omnia quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona.* hanc secundam partem vt confirmet, aliud nihil probat, quàm ipsam ignorantiam esse peccatum simul & pœnam peccati. CÆCITAS ENIM CORDIS, SI PECCATVM NON ESSET, *iniustè argueretur: arguitur autem iustè vbi dicitur: Pharisæe, caece & aliis Diuinorum eloquiorum locis.* EADEMQVE RVRSVS CÆCITAS SI PECCATI POENA NON ESSET, *non diceretur: Excaecauit enim illos malitia illorum.* vnde colligo ex S. Augustini mente quidquid per ignorantiam mali perpetratur, idcirco peccatum esse & pœnam peccati; quia ipsa ignorantia peccatum est & pœna peccati. adeóque hallucinari Aduersarium, cùm asserit conuenire peccatis,

ex ignorantia inuincibili commissis, vt sint verè peccata & pœnæ peccati, licèt ipsa ignorantia inuincibilis non sit verè peccatum, sed tantùm pœna peccati.

Quæres 1. an inuincibilis ignorantia sit peccatum simul & pœna peccati. Respondeo, eodem planè modo de ignorantia, quo de concupiscentia, altero peccati vulnere, statuendum esse. Nam primò, quemadmodum concupiscentia ante baptismum est verè peccatum, & pœna peccati: ita & ignorantia. Nam vtraque est materiale peccati originalis, vt S. Thomas docet quæst. 3. de malo art. 7. *Ignorantia, & fomes sunt materialia in peccato originali, sicut & conuersio ad bonum commutabile in peccato actuali.* Secundò, concupiscentia in baptizatis non est verè peccatum, dicitur tamen alio sensu peccatum simul & pœna peccati. quòd materialiter peccatum sit, & in peccati pœnam inflicta. Pariter quoque ignorantia inuincibilis in baptizato non est verè peccatum, appellatur tamen hoc sensu peccatum simul & pœna peccati, quòd materialiter mala sit, & in peccati pœnam irrogata. Nihil mihi hac in parte cum Aduersariis controuersiæ: nisi quatenus affirmant, solam ignorantiam inuincibilem iuris naturalis esse peccati pœnam, quod pluribus à me paragrapho primo confutatum est.

Quæres 2. an quidquid ex ignorantia inuincibili perperam fit, sit peccatum simul & pœna peccati. Respondeo, esse tantùm impropriè peccatum, propriè autem pœnam peccati. Probatur: Ex S. Augustino libro 1. Operis imperfecti pag. 41. quod ex ignorantia perperam committitur, idcirco peccatum est & pœna peccati, quia ipsa ignorantia peccatum est & pœna peccati. Ergo si ignorantia impropriè tantùm peccatum est, & propriè pœna peccati (cuiusmodi esse ignorantiam inuincibilem Aduersarius fatetur) quod ex illa fit, erit tantùm impropriè peccatum, & propriè pœna peccati. Confirmatur 1. Ex Palestina sy-

vbi dicitur: Pharisæe cæce, & aliis diuinorum eloquiorum locis. Eadémque cæcitas si peccati pœna non esset, non diceretur: Excæcauit enim illos malitia illorum.

Dico tertiò, quidquid ex illa ignorantia Apostolus perpetrauit mali, peccatum fuisse. Siquidem, vt ait S. Bernardus Epistola 77. *Peccauit Saulus quòd persecutus est Ecclesiam Dei, &c. quòd erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Hæc, inquam, omnia verè peccata fuerunt, non tamen peccata tantummodo; quia in se libera non erant: sed ab ignorantia libertatem, seu vt loquitur Ægidius Cardinalis in 2. dist. 22. q. 2. artic. 2. *culpæ complementum* acceperunt. Quò pertinet illud S. Thomæ quæstione 3. de malo art. 8. *Actus sequens ex hoc ipso quod procedit ex ignorantia, quæ est voluntaria, est quodammodo voluntarius.* Eadem Apostoli ignorantis crimina idcirco peccata erant & pœnæ peccati; quia ipsa Apostoli ignorantia peccatum erat & pœna peccati. Hæc ratio quæ nouæ de ignorantia opinionis caput petit, sumpta est ex S. Augustino, qui libro 1. Operis imperfecti pag. 41. cùm dixisset: *Tertium verò genus vbi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum hoc ago. Ad hoc etiam pertinent omnia quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona.* hanc secundam partem vt confirmet, aliud nihil probat, quàm ipsam ignorantiam esse peccatum simul & pœnam peccati. CÆCITAS ENIM CORDIS, SI PECCATVM NON ESSET, *iniustè argueretur: arguitur autem iustè vbi dicitur: Pharisæe, cæce & aliis Diuinorum eloquiorum locis.* EADEMQVE RVRSVS CÆCITAS SI PECCATI POENA NON ESSET, *non diceretur: Excæcauit enim illos malitia illorum.* vnde colligo ex S. Augustini mente quidquid per ignorantiam mali perpetratur, idcirco peccatum esse & pœnam peccati; quia ipsa ignorantia peccatum est & pœna peccati. adeóque hallucinari Aduersarium, cùm asserit conuenire peccatis,

ex ignorantia inuincibili commiſſis, vt ſint verè peccata & pœnæ peccati, licèt ipſa ignorantia inuincibilis non ſit verè peccatum, ſed tantùm pœna peccati.

Quæres 1. an inuincibilis ignorantia ſit peccatum ſimul & pœna peccati. Reſpondeo, eodem planè modo de ignorantia, quo de concupiſcentia, altero peccati vulnere, ſtatuendum eſſe. Nam primò, quemadmodum concupiſcentia ante baptiſmum eſt verè peccatum, & pœna peccati: ita & ignorantia. Nam vtraque eſt materiale peccati originalis, vt S. Thomas docet quæſt. 3. de malo art. 7. *Ignorantia, & fomes ſunt materialia in peccato originali, ſicut & conuerſio ad bonum commutabile in peccato actuali.* Secundò, concupiſcentia in baptizatis non eſt verè peccatum, dicitur tamen alio ſenſu peccatum ſimul & pœna peccati. quòd materialiter peccatum ſit, & in peccati pœnam inflicta. Pariter quoque ignorantia inuincibilis in baptizato non eſt verè peccatum, appellatur tamen hoc ſenſu peccatum ſimul & pœna peccati, quòd materialiter mala ſit, & in peccati pœnam irrogata. Nihil mihi hac in parte cum Aduerſariis controuerſiæ: niſi quatenus affirmant, ſolam ignorantiam inuincibilem iuris naturalis eſſe peccati pœnam, quod pluribus à me paragrapho primo confutatum eſt.

Quæres 2. an quidquid ex ignorantia inuincibili perperam fit, ſit peccatum ſimul & pœna peccati. Reſpondeo, eſſe tantùm impropriè peccatum, propriè autem pœnam peccati. Probatur: Ex S. Auguſtino libro 1. Operis imperfecti pag. 41. quod ex ignorantia perperam committitur, idcirco peccatum eſt & pœna peccati, quia ipſa ignorantia peccatum eſt & pœna peccati; Ergo ſi ignorantia impropriè tantùm peccatum eſt, & propriè pœna peccati (cuiuſmodi eſſe ignorantiam inuincibilem Aduerſarius fatetur) quod ex illa fit, erit tantùm impropriè peccatum, & propriè pœna peccati. Confirmatur 1. Ex Paleſtina ſy-

nodo & SS. Augustino ac Hieronymo idem est prorsus ignorantiam esse peccatum, & quod fit ex ignorantia esse peccatum; At fatetur Aduersarius ignorantiam inuincibilem non esse propriè peccatum; Ergo fateri debet, quod ex illa fit non esse propriè peccatum. Confirmatur 2. Quæ ex ignorantia inuincibili iuris positiui perperam fiunt, non sunt verè peccata, vt nouus Theologus contendit; Ergo neque illa, quæ ex ignorantia inuincibili iuris naturalis committuntur. Nam vt suprà demonstraui, nec ratione vlla, nec vllo S. Augustini, aut S. Hieronymi testimonio probari potest, aliter de ignorantia iuris naturalis esse statuendum.

Illud ipsum validè confirmat nobilis ille locus ex libro 3. de Libero arbitrio c. 19. vbi cùm S. Augustinus dixisset: *Non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras, &c. Ista tua propria peccata sunt*, subdit: NAM ILLVD QVOD IGNORANS QVISQVE NON RECTE FACIT, ET QVOD RECTE VOLENS FACERE NON POTEST, IDEO DICVNTVR PECCATA, QVIA DE PECCATO ILLO LIBERÆ VOLVNTATIS ORIGINEM DVCVNT. *Illud enim præcedens meruit ista sequentia.* NAM SICVT LINGVAM DICIMVS NON SOLVM MEMBRVM, QVOD MOVEMVS IN ORE DVM LOQVIMVR, SED ETIAM ILLVD QVOD HVIVS MEMBRI MOTVM CONSEQVITVR, *id est formam tenorémque verborum, secundùm quem modum alia dicitur lingua Græca, lingua Latina: Sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur: sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.* Rem planè conficit illa linguæ comparatio, quâ S. Augustinus vtitur; nam omnino persuadet de peccato tantùm impropriè dicto sermonem esse. Vnde libro 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 23. eodem exemplo ostendit concupiscentiam in renatis non esse propriè peccatum.

VOCATVR PECCATVM, QVIA PECCATO FACTA EST, CVM IAM IN REGENERATIS NON SIT IPSA PECCATVM: SICVT VOCATVR LINGVA LOCVTIO, QVAM FECIT LINGVA. Quamobrem vt ex hoc posteriori loco manifestè reuincitur quod Caluinus docet, concupiscentiam in renatis, esse verè peccatum, licèt minùs propriè quàm primum Adami peccatum: ita ex superiori apertè confutatur quod ait Aduersarius, quidquid ex ignorantia inuincibili iuris naturalis perperam committitur, esse verè peccatum, quamuis minùs propriè, quàm primum Adami peccatum: neque se Aduersarius hinc extricare potest, quin Caluinum quoque expediat.

PARAGRAPHVS VIII.

Quid sit ignorantiæ peccata non voluntate, sed necessitate committi.

PARVM abest à superiori hæc quæstio, placuit nihilominus eam tractare separatim, nequid ex vtriusque coniunctione obscuritatis nasceretur.

Notandum primò, apud S. Augustinum peccare voluntate, idem esse, atque ita peccare, vt possis non peccare. Habemus hac in parte consentientem Aduersarium, qui propterea pugnat, primos quidem parentes voluntate peccasse: reliquos verò homines necessitate. Quod à S. Augustini mente mirum quantum abhorret; nam & vniuersim asserit libro 1. Operis imperfecti pag. 157. *In hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate: quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere.* Et alibi sæpe ac præcipuè libro 1. Retractationum cap. 15. docet, *peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committi.*

Notandum 2. ignorantiæ peccata quæ contra præ-

cepta negatiua committuntur, ſemper eſſe voluntaria ſeu libera, voluntate facti. Diſertè illud tradit S. Auguſtinus libro 1. Retractationum cap. 15. *Qui neſciens peccauit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt. Quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum. &c. Quia voluit ergo fecit, etiamſi non quia voluit peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit; ſed voluntate facti, non voluntate peccati.* Non ita habet in iis ignorantiæ peccatis, quibus præcepta affirmatiua violantur. Nam cùm illa contrahantur omittendo, non verò agendo, ſecundùm ſe neque voluntate facti, neque voluntate peccati libera ſunt. Hîc rurſus nouum doctorem habemus non repugnantem.

Inde verò facilè colligitur quid ſit ignorantiæ peccata non voluntate, ſed neceſſitate committi: nimirum, aliud eſt nihil, quàm ea ſecundùm ſe non eſſe voluntaria ſaltem voluntate peccati. S. Paulus verbi gratiâ cùm ex ignorantia fureret in Chriſtum, non voluntate, ſed neceſſitate peccabat: quia hæc eius peccata ſecundùm ſe non erant voluntaria voluntate peccati. Nam tantùm abeſt vt peccare vellet, quin potiùs arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo. Vnde *ſi ſciuiſſet quòd Chriſtus eſſet filius Dei, hoc non feciſſet.* Verba ſunt S. Thomæ lect. 3. in cap. 1. Epiſt. 1. ad Timoth. Fallor, aut iſtud Aduerſarij mihi concedent, neque enim alio ſenſu eam neceſſitatem, quæ ignorantiæ peccatis ineſt, interpretantur. Illud ipſum perſuadent clariſſima S. Auguſtini verba libro 1. Operis imperfecti pag. 155. *Neceſſe eſt vt peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit.* Non ait: Neceſſe eſt vt peccet qui ignorat; poteſt enim ille nihil committere contra legem. Sed dixit, neceſſariò eum peccare quando facit quæ facere non debet. Sic prorſus, vt illa ignorantiæ peccata neceſſitate non con-

tin-

tingant, nisi positâ duplici hypothesi non necessaria. Prima est, vt quis nesciat quæ facere debet. Secunda, vt nesciendo quæ facere debet, quæ non debet facere, faciat.

Hæc est illa necessitas, quam ignorantiæ peccatis S. Augustinus attribuit: quámque fateri coguntur Aduersarij iis etiam peccatis conuenire, quæ ex ignorantia vincibili committuntur. Et verò nullum S. Augustini de peccandi necessitate ex ignorantia profluente testimonium proferre possunt, quod Apostolo ex ignorantia vincibili peccanti non congruat. Cui enim potiùs quàm Apostolo istud competat, quod sæpe nobis ingerunt ex libro 1. Operis imperfecti pag. 159. *Necesse est vt peccet, à quo ignoratur iustitia: nunquid ideo cùm iustitiam cognouerit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit?* Aliud verò quod nihilo leuius putant ex eodem libro pag. 155. quàm bellè in Apostolum cadit! *Necesse est vt peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, vbi dicitur: Delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum, si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Facescant ergo qui hæc ad ignorantiam inuincibilem, eámque iuris tantùm naturalis pertrahere moliuntur.

Non est quòd moneam, hæc cum superioribus planè consentire, nam quilibet satis intelligit, idem esse prorsus, ignorantiæ peccata secundùm se non voluntate committi, &, eadem non esse peccata tantummodo, sed peccata simul & pœnæ peccati alterius, à quo vt libertatem, ita & formalem peccati rationem accersant. Hinc verò nuperi Theologi argutandi ansam arripiunt. Quod enim ex S. Thoma & conspiranti Theologorum omnium opinione de peccatis ex ignorantia simplici seu neglecta commissis docuimus, ad ignorantiam quoque inuincibilem trans-

ferunt: pugnántque quidquid ex illa ignorantia perpetratur mali ex Adami peccato (cuius illa pœna est) voluntarij, atque adeo peccati rationem ducere: quemadmodum Apostoli ignorantis crimina ex antegressa eius negligentia peccati rationem traxisse dicuntur.

Effugium illud ex Caluino, Beza, Zanchio, & Petro Martyre depromptum, sectione sequenti paragrapho 3. & 4. pluribus refellam: hîc in antecessum moneo longè disparem vtriusque esse rationem: quòd homo nullum possit actuale peccatum nisi propria voluntate contrahere. Quamobrem licèt hominis vnius actuale peccatum, ex altero eiusdem hominis peccato culpæ rationem trahere possit, vt de ebrio S. Thomas docet quæst. 3. de malo art. 10. *Homicidium*, inquit, *per ebrietatem commissum, imputatur homini ad culpam: quia principium ebrietatis fuit voluntarium.* Fieri tamen non potest, vt actuale hominis vnius peccatum, ex alterius, etiam primi hominis peccato voluntarij rationem accersat. Et sanè aliàs sequeretur ipsam quoque ignorantiam inuincibilem ex Adami peccato veram culpæ rationem ducere: quemadmodum ignorantia simplex ex antecedenti negligentia veri peccati rationem trahit. Sequeretur quoque motus inuoluntarios concupiscentiæ esse verè peccata, quia ex Adami peccato voluntarij rationem repeterent. Sequeretur rursus Aduersarij opinionem saltem in baptizatis falsam esse, neque enim potest Adami peccatum, quod illis prorsus remissum est, vlli eorum actioni culpam allinere. Alia denique sequerentur absurda, quæ paulò pòst fusiùs expendam.

CAPVT TERTIVM.

Pracipua noua opinionis placita ex S. Augustini contra Pelagianos operibus confutantur, atque illud in primis quod tuetur acriùs , Deum homini lapso impossibilia præcipere , *& ad iustum bonorum præmium , ac malorum supplicium satis esse, vt sponte agant.*



ANC ego quæstionem illa parte aggredior, quâ superiori adhæret, atque connectitur; vt mutuam sibi opem ac subsidium præbeant.

Ostendam igitur primò ex S. Augustini contra Pelagianos operibus, Diuina præcepta, & iustum peccatorum supplicium, libertatem à necessitate in hominibus lapsis exigere.

Ostendam secundò, satis non esse libertatem à coactione, vt quis mereri, & iustè præmio donari possit.

Ostendam tertiò ex S. Augustini contra Pelagianos conflictu, libertatem ad meritum, aut demeritum necessariam simplici necessitate violari.

SECTIO PRIMA.

Demonstratur ex S. Augustino contra Pelagianos scribente, Deum homini lapso impossibilia non præcipere, *nec iustè peccatorem puniri posse, si solam à coactione libertatem habeat.*

QVÆ S. Augustinus aduersùs Pelagianam hæresim opera exarauit, duas in classes tribui solent. Prima libros omnes complectitur, quibus cum Pelagio, Celestio, Iuliano illius factionis proceribus decertauit. Secunda eos comprehendit, quibus eandem hæresim in suis ducibus tam sæpe deuictam, validiore rursus impetu profligauit. Quos inter ille præcipuè eminet, quem de gratia & libero arbitrio hac occasione conscripsit. Increbuerat apud Monachos Adrumetinos illa opinio, vinci Pelagium non posse, quin homini lapso liberum arbitrium eriperetur. Hanc S. Augustinus antequam serperet latiùs, maturè elidendam putauit. Scripsit ergo ad Valentinum aliósque Monachos Adrumetinos eruditum illum de gratia & libero arbitrio librum. in quo Pelagij errorem ita debellat, vt retinendam hominis corrupti libertatem pluribus atque inuictis rationibus probet. Hoc præcipuè libro ad quem nouus Theologus sæpe nos reuocat, vtar hac sectione aliáque consequenti: reliquos verò, in quibus cum Pelagio, Celestio, atque Iuliano S. Augustinus conflixit, sectione tertia percurram.

PARAGRAPHVS I.

Argumentum ex Diuinis præceptis , & suppliciis peccatorum desumptum , quo S. Augustinus euincit inesse homini corrupto liberum arbitrium, nouam opinionem prorsus labefactat.

TRIVMPHALE illud argumentum aggredior, quo fracti sunt omnes, & oppressi, qui hominem nobiliori diuinitatis imagine , hoc est natiua libertate, spoliatum ad brutarum animantium ordinem atque societatem redegerunt. Clementem Romanum, Tertullianum, Irenæum, Origenem, Eusebium, Clementem Alexandrinum , Basilium , Damascenum, Nemesium aliósque non commemoro, qui hoc telo acerrimos liberi arbitrij hostes peremerunt. Vnum ego S. Augustinum moror , vni adhæreo. Nemo eius ætate libertati humanæ bellum intulit, quem hac machinâ non profligarit.

Manichæos quidem qui primi omnium liberum hominis arbitrium demoliri conati sunt, sic premit l. de fide cap. 9. *Aduersus hæc solita cæcitate Manichæi latrant, & cùm conuincuntur naturam non esse malam, sed in potestate esse hominis facere bene , & malè , dicunt non esse animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem suam.* QVIS ENIM NON CLAMET STVLTVM ESSE PRÆCEPTA DARE EI , CVI LIBERVM NON EST QVOD PRÆCIPITVR FACERE : ET INIQVVM ESSE EVM DAMNARE, CVI NON FVIT POTESTAS IVSTA COMPLERE ? *Et has iniustitias, & iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere. Sed quid verum est, nisi & Dominum dare præcepta , & animas liberæ esse voluntatis, & malam naturam non esse, sed esse auersionem à Dei præceptis, & esse iustum Dei iudicium,*

quo damnet peccantes. Eadem ferè repetit eodem libro cap. 44. Et disputatione 2. contra Fortunatum: *Liberum arbitrium si non dedisset Deus, iudicium puniendi nullum esse posset.*

Eodem argumento Adrumetinos debellat l. de gratia & libero arbitrio c. 2. *Reuelauit autem nobis per scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem reuelauerit commemoro* (id est commonefacio) *vos, non humano eloquio, sed diuino. Primum quia ipsa* DIVINA PRÆCEPTA HOMINI NON PRODESSENT, NISI HABERET LIBERVM VOLVNTATIS ARBITRIVM. Quod subinde repetit, & quasi validissimum argumentum sæpius ingeminat. Sic eodem càpite: *Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus?* QVOMODO IVBET SI NON EST LIBERVM ARBITRIVM! Mox: *Deinde tam multa mandata quæ ipsam quodammodo nominatim conueniunt voluntatem: sicut est, noli vinci à malo, &c. quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ?* & cap. 18. *Hæc ergo præcepta charitatis inaniter darentur hominibus non habentibus liberum voluntatis arbitrium.* Quod & significantiùs ait Epistola 1. ad Valentinum alióſque Monachos Adrumetinos. *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis præciperetur dicente scriptura: Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe, quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus,* OBEDIENTIAM NOSTRAM REQVIRIT, QVÆ NVLLA POTEST ESSE SINE LIBERO ARBITRIO. Et Epistola 2. ad eundem. *In his verbis sanctæ scripturæ considerate fratres, quia si non esset liberum arbitrium non diceretur: Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, &c.*

Quibus ex locis ita licet argumentum texere: Libertas quam S. Augustinus aduersùs Monachos Adrumetinos homini lapso defendit, illa est quæ ex Di-

uinis præceptis certò colligitur: Atqui non sola libertas à coactione, sed etiam libertas à necessitate ex Diuinis præceptis certò colligitur; Ergo libertas quam S. Augustinus aduersùs Monachos Adrumetinos homini lapso defendit, non est solùm à coactione, sed etiam à necessitate. Maiorem conficiunt superiora S. Augustini testimonia. Minor inde probatur, quòd creaturæ ea dumtaxat libertate præditæ, quæ coactionem excludit, legibus nullis ac præceptis astringi possint. Hinc est quòd pueri, furiosi, & amentes legibus non tenentur; quia etsi operentur sponte, non ita tamen suis actionibus dominantur, vt naturæ ac perturbationum impetus coërcere, & se ad obsequium flectere possint. Ac ne quis causetur desiderari in illis perfectam cognitionem, finge veritatem habere quod Astrologi fabulantur. Suæ sint singulis hominibus fatales stellæ, quæ illos secretis quibusdam impressionibus, ac veluti catenis alligatos certis ac destinatis rebus addicant, eósque ad virtutem, aut ad vitia sponte quidem, sed necessariò pelliciant. Vel si placet, malum aliquod principium, aut Diuina præscientia fatalem voluntatibus nostris necessitatem imponat, non illam quidem, quam cogentem, ac prementem noua factio nuncupauit, quæque voluntarij rationem omnem oblitterat: sed notiorem aliam, eíque persimilem, quam visio beatifica ad amandum Deum Beatis imponit. Hoc posito: Peto an homines eiusmodi necessitate constricti legibus vllis possint, aut præceptis teneri? Quidquid respondebit Aduersarius, se in difficultates inenodabiles induet. Si asserat posse: Patres omnes ac Philosophos mendacij insimulat, qui id constanter docent, posita fatali necessitate nullum præceptis, ac legibus locum relinqui. Ita Clemens Romanus l. 3. recognitionum. Tertullianus l. 2. contra Marcionem. Irenæus l. 4. c. 72. Clemens Alexandrinus l. 2. 5. & 7. Stromat. Iustinus

orat. 2. ad senat. Augustinus l. de fide c. 9. & alibi persæpe. Iam verò si affirmet, homines inexorabili fatorum necessitati subiectos legibus obstringi non posse: concludam illico, ad præcepta non sufficere, libertatem à coactione; siquidem homines fatalibus stellis alligati, etsi physicæ coactionis expertes sint, legibus tamen teneri non possunt.

Confirmatur 1. S. Augustinus vtitur argumento ex præceptis petito ad eam libertatem homini vindicandam, quam aduersùs Manichæos defendit: Atquì ex ipsius Aduersarij confessione S. Augustinus non solam à coactione libertatem, sed eam quoque quæ necessitatem arcet, aduersùs Manichæos defendit; Ergo S. Augustinus vtitur argumento ex præceptis petito ad libertatem à necessitate homini vindicandam. Ergo argumentum ex præceptis petitum libertatem à necessitate probat.

Confirmatur 2. S. Thomas aliíque Theologi ex præceptis probant hominem non à coactione tantùm, sed à simplici quoque necessitate esse liberum; Ergo argumentum ex præceptis petitum libertatem à necessitate confirmat. Notus est celebris ille D. Thomæ locus q. 6. de malo art. vnico. *Dicendum*, inquit, *quod quidam posuerunt quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur*, &c. *Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis artibus*, &c. *Si ex necessitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio.* Eadem ratione libertatem à necessitate homini lapso asserunt Guillelmus Estius l. 2. dist. 24. §. 1. Puteanus 1. 2. q. 10. dub. 2. Franciscus Horantius l. 1. c. 32. & 49. Aliique lib. 1. cap. 3. sect. 3. magno numero citati.

Confirmatur 3. Sancti Patres, qui ex Diuinis præceptis colligunt liberum hominis arbitrium, iis vtuntur verbis quæ euidentissimè libertatem à necessitate postulant.

ſtulant. Ita Tertullianus libro 2. contra Marcionem: *Hunc ſtatum* (nempe liberi arbitrij) *confirmauit etiam ipſa lex tunc homini poſita, non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate: nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic in poſteris legibus Creatoris inuenias proponentis ante hominem bonum, & malum: vitam, & mortem.* Exigit ad præceptum, vt qui illo tenetur, habeat obſequium debitum legi in ſua poteſtate. Ergo non tenetur præcepto non peccandi, qui ineluctabili peccandi neceſſitate conſtringitur.

Confirmatur 4. leges humanæ non ſolam exigunt neceſſitatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate; Ergo & iſtam quoque exigunt leges Diuinæ. Conſequentia videtur clara. Antecedens inde probatur, quòd nemo ſit inter humanos iudices tam ſeuerus, qui hominem illum ſupplicio afficiendum putet, quem ſciat ſponte quidem, ſed ineluctabili neceſſitate, ab aſtris aut à Diuina præſcientia profecta, in ſcelus ruere. Sæpe id teſtantur SS. Patres, cùm pugnant periiſſe humana iudicia, ſi voluntates hominum ſimplex aliqua neceſſitas afflauerit, quæ illas vna re circumſcribat, alterius partis adempta facultate. Hac ratione Clemens Romanus Simonem Magum premit l. 3. recognit. *Sed dic quomodo Deus iudicat ſecundùm veritatem vnumquemque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? Hoc ſi teneatur conuerſa ſunt omnia, fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in ſua poteſtate habuerunt vt non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas ſtatuunt.*

PARAGRAPHVS II.

Præcluduntur aliquot Effugia, quibus Aduersarius superioris argumenti vim conatur eludere.

QVAM grauem nouæ opinioni plagam hoc argumentum infligat, vel inde potest intelligi, quòd Aduersarius nunquam ad illud soluendum accedit, accedit autem sæpissime, quin nouam aliquam responsionem comminiscatur, quæ adeo difficultatem non expedit, vt intricet magis, & nouo vulnere priorem plagam exulceret.

Libro 3. de grat. Christi cap. 17. Primò, sæpe argumentum illud ex præceptis petitum Pelagianismi criminatur, quod Caluini exemplo facit, qui eâdem arte hoc argumentum eleuat libro 2. Institutionum cap. 2. Verùm vterque insigniter calumniatur. Neque enim Pelagiani ex Diuinis præceptis colligebant inesse homini libertatem à necessitate: sed ex iis consequens esse arbitrabantur, vt voluntas natiuis viribus, sine vllo gratiæ præsidio, præceptis obsequi posset. Nam vt S. Augustinus tradit l. de prædestinatione Sanctorum cap. 19. *Ipsi putant acceptis præceptis iam per nosmetipsos fieri libera voluntatis arbitrio sanctos, & immaculatos.* Quamobrem, teste S. Prospero Epistola ad S. Augustinum, ex Diuinis præceptis *consequens putant, vt quia præuaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit: fidelis quoque ob hoc non dubitetur fidelis fuisse, quia voluit: & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum: paríque momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere.* A quâ impietate plurimum absunt Catholici, qui cum S. Augustino ex præceptis inferunt libertatem ad vtrumlibet: docéntque Deum, cùm aliquid imperat, si illud propriis implere viribus non possumus, gratiam largiri quâ possimus: secundùm illud Concilij Tridentini decretum Ses. 6. cap.

11. ex S. Augustino expressum: DEVS IMPOSSIBILIA NON IVBET, SED IVBENDO MONET, ET FACERE QVOD POSSIS, ET PETERE QVOD NON POSSIS, ET ADIVVAT VT POSSIS.

Secundò, vniuersim de hoc argumento ita pronuntiat: *Respondetur, aduersùs Manichæos hoc argumentum frequenter Augustinus premit. Conficit enim inuictißimè esse in omnibus hominibus liberum voluntatis arbitrium, & nihil ampliùs.* Quæro 1. cur hîc Manichæorum tantùm meminerit, non verò Adrumetinorum, quos hoc etiam argumento S. Augustinus premit, vt superiori paragrapho ostendimus. Nimirum fateri noluit Adrumetinos, à quibus segregare se non potest, hoc telo confici. Quæro 2. quam tandem libertatem hoc argumentum inuictissimè probet. Illámne tantùm, quæ coactionem: an etiam quæ simplicem necessitatem excludit? Si primam tantùm, nihil aduersùs Manichæos conficit. siquidem vt ex ipso Aduersario constat eodem libro cap. 22. Augustinus & Manichæi non de libertate à coactione interna, sed de illa quæ quamlibet necessitatem abigit, litigabant. Si verò asserat, hoc argumentum libertatem à necessitate inuictissimè probare, ruit noua opinio. nam S. Augustinus libertatem à necessitate homini lapso vindicabit, cùm hoc argumento liberum hominis corrupti arbitrium aduersùs Monachos Adrumetinos defendit. Libro 4. de statu nat. lapsæ cap. 24.

Tertiò, vt aliquam huius argumenti dissoluendi viam exploret, quærit: *quænam impoßibilitas excuset peccantem, & quæ non?* Qua de re sic statuit: *Itaque*, inquit, *respondetur duplicem esse præcepti faciendi impotentiam. vna est ex defectu alicuius, quod non potest quantumlibet magna voluntate suppleri. Talis est impotentia illius, qui caret breuiario ad horas, quas ignorat, recitandas*, &c. *De tali impotentia verum est quod Deus non iubet impoßibilia. Nam hoc ipso quo talis oritur impoßibilitas, vel præceptum extinguitur, vel certè ad illud implendum, is, cui præcipitur,* Libro 3 de grat. Christi cap. 15.

non amplius obligatus est. Alteram sic describit: *Altera impotentia est, quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, quæ si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillimè impleretur. Tantummodo enim fortiter volendo impletur. vnde si fortiter vult, hoc ipso iam impletum est, & non impletum esse non potest.* Qua ex duplicis impotentiæ distinctione: *Facilè apparet*, inquit, *quid ad obiectionem istam, quam diu voluimus, respondendum sit. Nimirum, impotentiam Diuina mandata faciendi, quæ in peccatoribus reperitur*, (quos ad malum summa necessitate abripi contendit) *esse talem, vt non desinant ea implere posse, si voluerint. velint enim, plenéque velint; mox vt voluerint, implebuntur.* Vnde concludit eos teneri Diuinis præceptis, quia, vt paulo antè statuerat, *hæc impotentia non faciendi nullo modo excusat eum, qui non implet, quod præcipitur: posset enim implere, si vellet.*

Quis ferat tam futili argutia sibi fucum fieri? Certum est illum non excusari à seruando præcepto, qui idcirco non potest obedire, quia non vult: modò tamen id possit velle. Nam si non potest id velle, præcepto non tenetur. Quamobrem in Aduersarij sententia peccatores omnes à peccato excusantur; quia licèt verum sit eos posse seruare præcepta, si id plenè, perfectéque velint; tamen id plenè perfectéque velle non possunt. Et verò, si ad hominem præcepto adstringendum sufficeret, vt posset obedire, si vellet, nec requireretur vt posset velle, sequeretur 1. homines in Manichæorum opinione iustè puniri, quod Diuina præcepta violassent; nam licèt ad malè agendum naturali necessitate traherentur, atque adeo Diuinis obsequi præceptis non possent: verè tamen de illis diceretur quidquid de homine lapso Aduersarius asserit: nimirum, *Impotentiam Diuina mandata faciendi, quæ in peccatoribus*, in illa hypothesi, *reperiretur, esse talem, vt non desinerent ea implere posse, si vellent. Velint enim, & plenè velint, mox vt voluerint mandata implebuntur.* Quam re-

ſponſionem ſi ſuperioribus S. Auguſtini argumentis Manichæi adhibuerint, frangi illa ab Aduerſario non poterit, quin ſuam quoque labefactet. Aliud enim illis non opponet, quàm ad præceptum ſatis non eſſe, vt homo poſſit obſequi, ſi velit; ſed etiam requiri, vt id poſſit velle.

Sequeretur ampliùs ruere omnia, quæ operosè Aduerſarius diſputat toto paſſim l. 2. de ſtatu naturæ puræ, & l. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 25. vt probet hominem Diuinis præceptis teneri non poſſe, ſi inſitam habeat à natura peccandi neceſſitatem. Sequeretur etiam hallucinari SS. Patres & Chriſtianos Philoſophos, cùm aiunt hominem à peccato excuſatum iri, ſi à fatalibus ſtellis ad malè agendum ſponte quidem, ſed neceſſariò inclinetur. Duplicis huiuſce conſectarij eadem eſt ratio, quæ primi. Siquidem in vtraque hypotheſi impotentia bene agendi poſterioris tantùm generis eſſet, agerent enim bene, ſi vellent. Sequeretur denique infantes ipſos, & amentes Diuinis præceptis teneri: nam certum eſt eos poſſe mandata Dei implere, ſi id plenè perfectéque velint. Neque vnquam hoc ſe argumento extricabit noua ſecta, niſi affirmet ad præceptum ſatis non eſſe, vt qui illo obſtringitur, poſſit parere ſi velit, ſed ampliùs requiri, vt poſſit id velle. Quod vbi affirmauerit, peccatores omnes à culpa excuſabit: nam licèt fateatur poſſe illos abſtinere à peccato, ſi velint, pugnat tamen id eos velle non poſſe.

Quàm imperitè verò ad huius argumenti confirmationem, ea S. Auguſtini teſtimonia adhibeat, quibus S. Doctor abſolutè pronuntiat, eum alicuius rei faciendæ habere poteſtatem, qui poteſt, ſi velit: cognoſcere poteris ex cap. 1. huius libri ſect. 4. vbi ex pluribus & euidentiſſimis S. Auguſtini teſtimoniis demonſtraui, de illo tantùm dici: *Poteſt, ſi velit*, qui poteſt velle.

PARAGRAPHVS III.

Præcipua Aduersarij responsio frangitur, simúlque plurima nouæ opinionis placita, quæ illi incumbunt, euertuntur.

NON potuit hactenus nouæ libertatis propugnator superioris argumenti vim exire: non potuit hoc telum opinioni suæ altiùs infixum reuellere. Quamuis noua subinde effugia captet, atque *fugâ syluas saltúsque peragret*, adhuc tamen *hæret lateri lethalis arundo*. Manet enim inconcussa veritas illa, quam ex S. Augustino stabiliuimus, nimirum: STVLTVM ESSE PRÆCEPTA DARE EI, CVI LIBERVM NON EST QVOD PRÆCIPITVR FACERE: ET INIQVVM ESSE EVM DAMNARE, CVI NON FVIT POTESTAS IVSSA COMPLERE. Vnde liquidò constat eos omnes, qui præceptis obstringuntur, libertate ad vtrumlibet, seu agendi, & non agendi facultate præditos esse. Sed grauior est hæc plaga, & maiorem nouo dogmati perniciem importat, quàm vt ab eius auctore diutius ferri possit. Neruos omnes ingenij, robúrque contendit, vt extremum conatum adhibeat: ac tandem responsionem aliam superioribus nihilo commodiorem profert. Quæ cùm bifida sit, & duplicem quodammodo vultum habeat, quorum alter tenebrosus est, & densa perfusus caligine: alter paulò minùs obscurus, hâc illam parte priùs aggrediar, vt nobis ad alterius mysteria peruadenda, gradum sternat.

Libro 2. de statu nat. lapsæ cap. 4. 5. 6. & toto passim libro 3. & 4.

Docet duplicem fingi posse peccandi necessitatem: quarum altera ex libera, & ad vtrumlibet indifferenti voluntatis determinatione profecta sit: altera vel à natura sit indita, vel aliunde profusa. Primam negat excusare à peccato: de altera nobiscum sentit. Atque

hinc argumentum ex præceptis petitum labefactari putat. Nam homines lapsos ait teneri præcepto non peccandi, licèt necessariò peccent, quia impotentia huic præcepto obsequendi non est illis à natura insita, sed ex primi parentis peccato deriuata. Indidem accersit rationem arcanæ illius doctrinæ, quâ cum Luthero, & Hieronymo Zanchio statuit, peccandi necessitatem, quæ ex ignorantia inuincibili iuris naturalis oritur, non excusare à peccato: excusare verò illam, quæ ex ignorantia inuincibili facti, aut iuris positiui nascitur. quia prima ex Adami peccato manauit, secunda non item. Nititur hac responsione quidquid Aduersarius de impossibilitate mandatorum Dei, de peccandi necessitate, déque ignorantia inuincibili contra communem doctorum sententiam disputat. Quamobrem si illam euertero, reliqua eodem impulsa motu collabentur. Paucis obseruationibus rem conficiam.

Obserua 1. solertem & ingeniosam esse responsionem illam, adeóque eius auctorem laudis aliquid mereri. si quæ tamen ingeniosis erroribus laus debetur. Sed hoc in loco, vt in aliis ferè omnibus, nimis ambitiosè Aduersarius fecit, qui cùm ex Caluino hanc solutionem sumpsisset, illum ne appellauit quidem; sed ex alienis laboribus laudem nomini suo quærens, se ipsum eius instauratorem venditauit. Modestiùs sanè Theodorus Beza, Hieronymus Zanchius, Ioannes Scarpius, Dauid Pareus, Daniel Chamierus, & Petrus Martyr, qui cùm eandem responsionem Catholicis opponunt, illam Caluino acceptam ferunt, fatentúrque ab eo excogitatam primùm, & pluribus S. Augustini testimoniis firmatam, ad Concilij Tridentini, & Catholicorum Doctorum opinionem debellandam. Quod disertissimè omnium, & magis grato in Patriarcham suum animo fecerunt Beza libro de æterna Dei prædestinatione pag. 415. Chamierus tomo 3. l. 3. c. 2. Et Pareus l. 5. c. 27. Caluini locos ex quibus hæc est expressa re-

sponsio indicaui l. 1. c. 1. sect. 5. §. 4.

Obserua 2. eandem responsionem erroris esse suspectam: quia cùm illam eodem, quo Aduersarius, sensu Caluinus eiúsque asseclæ vsurpassent, statuissentque Deum posse impossibilia præcipere, si illa impotentia Diuinis præceptis obsequendi, ex primi parentis peccato nata sit: damnati sunt nihilominus ab Tridentinis Patribus, & Catholicis Doctoribus, qui aduersùs hanc illorum opinionem vniuersim docuerunt, Deum nihil impossibile præcipere. Primò quidem Tridentini Patres sic statuunt sess. 6. cap. 11. DEVS IMPOSSIBILIA NON IVBET, SED IVBENDO MONET, ET FACERE QVOD POSSIS; ET PETERE QVOD NON POSSIS, ET ADIVVAT VT POSSIS. Secundò, Pontifices duo, Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baij propositionem eodem pertinentem damnant: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Cui etiam Sorbonica censura hanc notam inurit: HÆC PROPOSITIO EST HÆRETICA. Tertiò, Doctores Catholici Caluinum asserentem Dei præcepta, ob deriuatam ex Adami culpa peccandi necessitatem, nobis esse impossibilia, acerrimè castigant, & erroris ac blasphemiæ arguunt. Horantium consule vberrimè de ea re disputantem l. 1. c. 35. 36. 37. 38. Singula eius verba in nouum Doctorem conscripta putabis. Idem tractat Lindanus lib. 3. Panopliæ Euang. cap. 19. *Cauendum*, inquit, *ne in illam impingamus blasphemiam*, *vt Deum impossibile quippiam præcepisse dicamus.* Et Iacobus Latomus art. 1. Louan. *Nemo ligatur ad impossibile, & omnis lex ligans debet esse possibilis, si saltem qui transgreditur debeat vituperari, & ipsa transgressio peccatum vocari.*

Hæc omnia Concilij Tridentini, Summorum Pontificum, Doctorúmque fulmina abeunt in ventos, & *inania murmura miscent*: si vera est illa Aduersarij responsio. nam Caluinus aliique, quos petunt hæc anathemata, non aliam Diuinis præceptis obsequendi impoten-

potentiam admittebant, quàm quæ ex Adami peccato orta, in omnes homines cum originali peccato propagaretur.

Obserua 3. S. Augustinum toties hanc responsionem profligare, quoties de homine lapso pronuntiat: *Neminem peccare in eo, quod cauere non potest.* qua de re quàm certa sit & constans S. Augustini sententia vberrimè superiùs exposui. Quocirca placet Aduersarium imitari, qui cùm hanc responsionem suam iis tantùm S. Augustini locis suffulciat, quibus arbitratur S. Doctorem statuisse, hominem corruptum peccare necessariò, atque hanc definitionem: *Peccatum est id vnde liberum est abstinere:* hominis lapsi peccatis non conuenire, hîc Lectorem ad eum locum remittit, in quo ex professo quæstionem illam agitat. Quæso te pariter, candide Lector, vt ea consulas quæ superiori capite sectione 2. & 3. in eandem rem plurima scripsi: atque illud præsertim expendas, quod ibidem demonstraui, stare non posse Aduersarij opinionem, quin S. Augustini libri plus sexaginta collabantur.

Obserua 4. eandem solutionem manifestæ rationi aduersari. Sic enim omnes arbitrantur, etiam illam obsequendi impotentiam, quæ culpâ nostrâ contracta est, excusare à peccato, maximè si culpa, quâ illam incurrimus, nobis sit condonata. Patet illud exemplo serui, qui culpâ suâ manus sibi pedésque fregerit. Nam si herus hanc illi culpam ex animo remittat, imperare postea non potest, vt currat, vt deambulet; atque huic præcepto non obtemperantem seuerè castigare. quia quòd fractis pedibus currendi præcepto non obediat, vel nulla culpa est, vel distincta non est ab ea, quâ sibi pedes fregit, quámque herus illi ex animo remisit. Constat item exemplo hominis, qui acceptam à Deo volandi per aëra potestatem, suâ culpâ amisisset; nam si hanc illi culpam Deus remiserit, iubere postea non potest, vt volet per aëra, atque huic præcepto non obsequen-

tem grauiter plectere. Ergo neque etiam potest homini baptizato, cui peccatum originale, quo in peccandi necessitatem incidisse dicitur, remisit, imperare vt non peccet, atque huic præcepto non obedientem flammis æternis addicere.

Confirmatur 1. homines illos specta, qui pedibus, aut oculis, aut auribus capti hanc in lucem suscepti sunt, quique à pueritia sacro fonte tincti, virilem iam ætatem attigerunt. De illis peto, an Deus, nolens miraculo eos curare, imperare possit cæcis, vt solem intueantur: surdis, vt loquentem audiant: claudis, vt rectà ambulent, atque his præceptis non obsequentes, sempiternis cruciare suppliciis. Si asserat Aduersarius Deum id posse, quanto scelere se obligabit, qui Deum Tyrannis omnibus immaniorem finget? Si neget posse, Dogmatis sui fundamenta subruit. Nam in eius opinione cæcitas, surditas, & alia eiusmodi, tam sunt pœnæ peccati, quàm ipsa peccandi necessitas. Siquidem, vt docet toto ferè tractatu de statu naturæ puræ, ac præsertim l. 3. cap. 11. non minùs ad contradictionem implicatur, hominem in statu innocentiæ nasci cæcum, aut surdum, quàm nasci cum concupiscentia & ignorantia. Quapropter si impotentia Diuinis mandatis obsequendi, quæ ex concupiscentia, aut ignorantia emergit, ideo non excusat à mandatis seruandis; quia concupiscentia & ignorantia pœnæ peccati sunt: neque etiam impotentia superioribus præceptis obsequendi, quæ ex cæcitate, & surditate nascitur, ab iis præceptis seruandis excusabit; quia cæcitas & surditas etiam peccati pœnæ sunt. Laudabo Aduersariorum ingenium, si hoc se argumento exoluere possint.

Confirmatur 2. Sequitur ex eadem opinione, Deum iam posse homini baptizato, quem naturæ suæ permittere statuit, imperare vt nullo morbo tentetur, vt senescat nunquam, nunquam moriatur, vt filios sine libidine procreat, vt nulli perturbationum motus incau-

to obrepant: atque his præceptis, ob domesticam corporis animíque corruptelam, non obtemperantem æternis ignibus torquere. Consequutio clara est. quia etsi homo ille his obedire præceptis non possit, hæc tamen impotentia indidem orta est, vnde peccandi necessitas: nimirum, ex Adami peccato. Nam si ille non peccasset, fuisset in hominum potestate nunquam mori, nunquam senescere, nunquam ægrotare, &c. quod pluribus probat nouus Doctor libro de gratia primi hominis cap. 4. & 5. Quamobrem si impotentia obediendi præcepto non peccandi, non excusat ab illo præcepto seruando, quia ex Adami peccato nata est: neque etiam impotentia his præceptis obsequendi, ab illis seruandis excusabit. *Quod certè qui sapit*, S. Augustini verba sunt alia in quæstione, *non modò desipit, sed insanit.*

Confirmatur 3. efficacissimè: ex illa opinione rursus sequitur Christianos omnes, qui amentes nati sunt, aut ante vsum rationis in amentiam inciderunt, quique proinde nunquam suî compotes extitere, damnari nihilominùs ob naturæ præcepta nòn seruata. Item, sequitur eos omnes, qui post vitam sanctissimè traductam, póstque suscepta ritè Ecclesiæ sacramenta, paulò ante mortem in phrenesim incidunt, qua durante multas in Deum blasphemias euomunt, ob illas ipsas blasphemias sempiternis ignibus torqueri. Sequitur denique peccato non carere quidquid per amentiam furiosi, quidquid per morbum phrenetici committunt. Triplex illa consequentia in Aduersarij principiis manifesta est. Docet enim amentiam & phrenesim non minùs esse pœnas peccati, quàm necessitatem peccandi; Ergo fateri debet eas à peccato non excusare.

PARAGRAPHVS IV.

Eadem responsio aliis ab Aduersario verbis proposita refellitur.

QVID causæ est cur Aduersarius, cùm illud ex præceptis argumentum proponat sæpe, nunquam tamen eandem illi solutionem bis adhibuerit? An ingenij fœcunditatem experiri? An argumenti vim solutionum multitudine obruere? An latrunculos imitari voluit, qui subinde mutant latebras, vt insequentes ludant? Vt vt sit, tam altè illi insedit animo, eandem solutionem non iterare, vt cùm rursus ea de re disputandum esset l. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. & 25. nec noua occurreret responsio, superiorem interpolauit, eámque obscurioribus verbis, sic tanquam alia veste, ita inuoluit, vt cuilibet rem perfunctoriè consideranti noua videatur.

Contendit igitur eo loci, *Rationem præcepti non obstare peccandi necessitati, iuxta doctrinam Augustini.* Quod antequam ostendat, solutionem aliam præmittit, ex Scholasticorum sensu depromptam. Aiunt illi necessitatem bene agendi in genere libero arbitrio nihil officere. Inde concludit neque etiam necessitatem malè agendi in genere, quam solam in hominibus gratiâ efficaci destitutis ponit, libertati nocere. *Sed vt verè dicam*, inquit, *quamuis hæc omnia vera esse Augustinus facilè concederet, nunquam tamen ad inueniendam demonstrandámque arbitrij libertatem in peccatoribus, in has angustias sese coniecit. Nam siue talis peccandi libertas adsit, siue non adsit, nihil omnino curat.* Atque vt S. Augustinum ab hac solutione longissimè abfuisse demonstret, contendit in eius opinione eos etiam damnabiliter peccare, qui eandem à concupiscentia necessitatem ad malè agendum paterentur, quam Beati à visione

beatifica ad amandum Deum accipiunt : ſic planè vt ad malum non tantùm quoad ſpecificationem , ſed etiam quoad exercitium neceſſariò raperentur.

Quamobrem, vt quam adhibebit reſponſionem accuratiùs expendamus , finge homines gratiâ efficaci deſtitutos pari neceſſitate adigi ad peccandum actu, quâ Beati ad amandum actu Deum. Aio ego homines in illa hypotheſi teneri non poſſe præcepto non peccandi, nec ob peccata iuſtè à Deo plecti. Contrarium ſentit Aduerſarius, & verò rationem cur ita ſentiat, profert; ſed illam verbis tam obſcuris inuoluit, vt cuilibet non ſit peruia. Ne in tanta caligine cæcutias, facem tibi præferam, & antequam eius verba deſcribam, paucis ac dilucidè quid velit explicabo. Docet requiri ad peccatum libertatem à ſimplici neceſſitate, ſeu indifferentiam ad vtrumlibet. Quam in illo etiam actu, qui ex concupiſcentia tam neceſſariò oritur , quàm neceſſariò amor beatificus ex viſione Dei manat, ineſſe contendit. Quod ex duplici principio concludit. Primum eſt, ſatis eſſe ad hoc vt actus aliquis totus ſit liber à neceſſitate, vt cauſa illius cùm agere incipit indifferens ſit ad agendum , & non agendum. Secundum eſt , quodlibet peccatum impellente concupiſcentia commiſſum, eſſe quandam veluti continuationem peccati Adami, vnde colligit liberum eſſe libertate ad vtrumlibet: etiam ſi nunc neceſſariò fiat ; quia cùm in Adamo incepit, cauſa illius, nimirum Adami voluntas, non coactione tantùm, ſed etiam ſimplici neceſſitate fuit expedita.

Hæc eius ſententia. Verba accipe ex capite 25. in quo nititur opinionem ſuam ſecernere ab hac Baij propoſitione, à duobus Pontificibus damnata: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* Id vt præſtet, ita ratiocinatur: *Certum eſt*, inquit , *ſecundùm recentiorum etiam Theologorum ſententiam , actum aliquem bonum poſſe eſſe liberum libertate , de qua ipſi loquuntur.*

quamuis ex aliqua suppositione iam fiat necessariò, & voluntas quæ illum producit, ab eo producendo abstinere non possit. Quod probat exemplo ex Diuina voluntate petito. *Sic enim videmus actum Diuinæ voluntatis, ex hypothesi quòd ad eum se liberè determinauerit, non ampliùs posse retractari. Sufficit enim ad eius libertatem, vt liberrimè se ad eum Deus ab æterno determinauerit, ratione cuius liberrimæ determinationis semper adhuc actus liber est, & semper erit.* Tum ad rem propiùs accedens: *Hanc electionis liberæ constantiam si creatura rationalis imitetur, vt pari modo immobiliter in amore creatoris, vel creaturæ, ad quem se se summa libertate flexerit, non solùm quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitium perseuerat, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit.* Qua ex doctrina colligit primùm: *Si ergo necessitas ex hypothesi non repugnat actibus laudabilibus, nec libertati voluntatis, ex qua fluunt; non est ratio cur similis necessitas ex hypothesi damnabilium actuum libertati aduersetur. Talis enim necessitas non nisi ex hypothesi præcedentis liberæ determinationis nascitur: nec aliud reuera est nisi primæ liberæ voluntatis perpetuitas & immutabilitas.* Tum opinionem suam à damnata Baij propositione ita secernit: *Non loquitur ergo illa proscripta propositio de tali necessitate malæ voluntatis ex hypothesi, sed de necessitate potiùs absoluta, quâ voluntas ad malum appetendum, aut agendum, non solùm specificatione, sed etiam exercitio, nullâ prauiâ liberæ determinationis hypothesi, sed absolutè necessitata est.* Eadem tradiderat capite 24. in hæc verba: *Etiamsi ille peruersus amor sui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapsa est, & in quo ex iustissima Dei damnatione perseuerat, & ex quo omnis actus vel omissio damnatæ voluntatis fluit, firmissimè adhæreat voluntati, imò etiamsi non solùm specificatione, vt nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus, esset necessarius, non tamen ex Augustini mente desineret esse liber. Nam*

illa firmitas ex indifferenti Adami *electione nata est.*

Discute verborum caliginem, & intelliges nihil hanc responsionem à superiori discrepare, nec iisdem tantùm difficultatibus premi, sed nouas sibi, eásque grauissimas accersere. quas ego paucis obseruationibus perstringo.

Animaduerte 1. quâ fide Aduersarius agat, qui magnificè præfatus probaturum se ex S. Augustini mente, actus illos qui impellente concupiscentia necessariò, etiam quoad exercitium, erumperent, non ea tantùm libertate præditos esse, quæ coactionem arcet, sed etiam libertatem ad vtrumlibet ex Adami peccato trahere, sicut continuatio, vt ita dicam, Diuinæ volitionis liberæ indifferentiam ad vtrumlibet ducit ex prima Diuinæ voluntatis determinatione: huic tamen tam insolenti doctrinæ confirmandæ vnum tantùm S. Augustini testimonium adhibet, quo ex nouæ opinionis decretis contrarium prorsus efficitur. Insignis est planéque stupenda hæc eius cæcitas: quam vt notes, relege illius verba, quæ paulò antè descripsi ex cap. 25. vbi loquens de actu, quem voluntas cum perfecta ad vtrumlibet indifferentia primò producit, quémque postea necessariò continuat, ait: *Nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, quâ ab initio liberæ determinationis liber fuit.* Quod vt euincat, subdit: *Talis enim voluntas iuxta principia S. Augustini est in nostra potestate, quia volentibus adest, porro quia in potestate est, libera est nobis.* Quid cogitabat cùm hæc scriberet? Probat actum illum habere libertatem ad vtrumlibet: & id probat iis S. Augustini verbis, quæ ipse toto libro 6. de Gratia Christi acriter negat exprimere libertatem ad vtrumlibet: quæque proinde conuenire contendit productioni Spiritus sancti, nullam prorsus libertatis ad vtrumlibet vmbram habenti. Quæso te, candide Lector, integrum illud caput attentè perlege; & ista duo, si potes, concilia. Primum, hîc

vſurpari iſtud S. Auguſtini teſtimonium, vt actui, qui iam fit neceſſariò ex hypotheſi determinationis non neceſſariæ, libertas aliqua vindicetur, quæ non conueniat actui, ad quem *voluntas nullâ præuiâ liberæ determinationis hypotheſi abſolutè neceßitata eſt*. Secundum, ex eius opinione eodem S. Auguſtini teſtimonio illam tantùm libertatem exprimi, quæ conuenit actui, ad quem voluntas abſolutè neceſſitata eſt: cuiuſmodi eſt productio Spiritus ſancti, aut amor ſui ipſius in Deo. Priùs diem nocti, quàm iſta duo coniunxeris.

Animaduerte 2. ruinoſum eſſe primum huiuſce reſponſionis fundamentum, quo ait, actum aliquem hoc ipſo ſemper eſſe liberum libertate ad vtrumlibet, quo eius cauſa, cùm illum primò produxit, indifferens fuit ad agendum, & non agendum. Nam etſi illud veritatem habeat in actibus inſtantaneis, & in liberis Dei volitionibus indiuiſibili æternitate menſuratis: falſum eſt tamen in iis actibus, qui durationem ſucceſſiuam ex pluribus momentis conflatam habent. Debet enim horum libertas pro ſingulis inſtantibus, ex priori naturæ ſingulorum inſtantium æſtimari. Hinc eſt, quòd volitio deambulandi ab homine ſano, ſuìque compote liberè ſuſcepta, ſi ab eodem in phreneſim ſubitò incidente continuetur, partim ſit libera, partim non libera. Libera eſt quando primò producitur, quia in priori naturæ illius inſtantis, voluntas eſt indifferens ad agendum & non agendum. non eſt libera quando à phrenetico fit, quia in priori naturæ illius inſtantis voluntas non eſt indifferens. Qua de re pluribus diſputabo cap. 5. ſect. 2. vbi & illud oſtendam, quàm ineptè faciat Aduerſarius, qui hanc opinionem ſuam ex liberis Dei volitionibus comprobare nititur.

Animaduerte 3. multò infirmius eſſe eiuſdem reſponſionis fundamentum aliud, quo ait, peccatum à nobis propria voluntate commiſſum, eſſe continuationem peccati Adami, atque ex vtroque vnum veluti actum

conflari,

conflari, qui hoc ipso totus sit liber libertate ad vtrumlibet, quo in Adamo liberè incepit. Nam primò quid absurdius dici potest, quàm actus specie, causâ, subiecto, motiuo discrepantes in vnum coalescere? Si dicat hoc tantùm sensu illos esse vnum, quòd hic noster ex concupiscentia, ab Adami peccato profectâ, necessariò existat: nihil à superiori responsione diuersum dicet, & insuper argumenti sui vim infringet. Esto enim, verum sit actum aliquem, qui absque vlla necessitate producitur, totum esse liberum, licèt necessariò continuetur. An inde consequens erit peccata duo diuersissima, quorum alterum ab Adamo ante sex ferè annorum millia, alterum hodie ab homine quopiam propria voluntate commissum est, ea re præcisè ambo esse libera, quòd primum sine vlla necessitate productum est? Secundò, quid ineptius cogitari potest, quàm peccatum hominis personale alterius tantùm libertate liberum esse? Tradunt quidem Catholici Doctores, atque inprimis S. Augustinus peccatum originale, quo inficimur, ex Adami peccato ita fluere, vt ex illo suam omnem libertatem accipiat: sed de peccato personali nullus vnquam Catholicus id affirmauit. Magni mihi ponderis videtur hæc ratio. Nam si S. Augustinus in Aduersariorum opinione fuisset, quod de peccato originali plus centies inculcat, nobis esse liberum libertate Adami, illud ipsum de peccatis personalibus sæpius asseruisset. Quod tamen ne semel quidem fecit. Tertiò, pariter dici posset de peccato personali, quod vulgò de originali dicitur: nimirum, non requiri vt qui illo obstringitur, rationis vsum habeat. Neque enim absurdius est dicere, homicidium ab amente commissum cum Adami peccato vnum actum componere, qui hoc ipso totus cum ratione fieri dicatur, quo in Adamo cum ratione incepit: quàm dicere peccatum, ab homine sui compote necessariò perpetratum, cum Adami peccato vnum actum conflare, qui hoc ipso

totus sit liber libertate ad vtrumlibet, quo in Adamo sine vlla necessitate incepit.

Animaduerte 4. nihil ex ista responsione exsculpi posse, quod nouum dogma seiungat ab ista Baij propositione damnata: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Nam quod ait Aduersarius, *non loqui istam proscriptam propositionem de tali necessitate malæ voluntatis ex hypothesi* alterius voluntatis liberæ; *sed de necessitate potiùs absoluta, quâ voluntas ad malum appetendum aut agendum, non solùm specificatione, sed etiam exercitio, nullâ prauâ liberæ determinationis hypothesi, sed absolutè necessitata est.* tam falsum est, quàm quod maximè. Neque enim Baius aliam peccandi necessitatem in nobis admisit, quàm quæ ex Adami peccato ortum duxisset. Hinc est quòd propositione 55. negat *Deum potuisse ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Quia contendit peccandi necessitatem, quâ in eius opinione obstringimur, non aliunde posse, quàm ex Adami peccato, proficisci. Eodem spectant propositiones 22. 24. 25. 27. in quibus disertè profitetur naturale esse homini vt in gratia producatur, atque adeo cum peccandi necessitate nasci non posse, quin præcesserit peccatum aliquod, à quo natura vitiata sit. Et propositione 46. negat quidem de ratione peccati esse vt formaliter sit liberum, libertate nimirum à necessitate: asserit tamen debere hanc libertatem habere in causa sua & origine. Ergo non admittit necessitatem peccandi, nisi ex hypothesi liberæ determinationis Adami. Ergo anathema, quod in illum SS. Pontifices iaculantur, in Aduersarium eadem dicentem recidit.

Animaduerte 5. ex eadem responsione consequi, quod ex superiori deduxeram: scilicet, personalia hominis baptizati peccata omni prorsus culpâ carere. Clarissima est ista consequutio in hypothesi ab Aduersario posita, in qua nimirum, peccata actualia ex concupiscentia necessariò, etiam quoad exercitium, erum-

perent. Nam cùm illa peccata formalem malitiam ac libertatem non habeant, nisi coniuncta cum Adami peccato, ex quo libertatem trahunt, remisso nobis penitúsque deleto peccato Adami, formalem retinere malitiam non possunt. Sicut concupiscentia, quæ in homine non renato, cum Adami peccato coniuncta peccatum est, eo per baptismum condonato, peccatum esse desinit. Et quemadmodum homini baptizato sub grauissimis pœnis imperare Deus non potest, vt concupiscentiâ careat, quamuis liberum illi in Adamo fuerit eâ carere: ita nec etiam illi sub iisdem pœnis imperare posset, vt ab iis peccatis abstineat, quæ ex concupiscentia necessariò prosiliunt.

Reliqua non persequar, quæ in eandem responsionem militant. Vnum id monebo, vt quoties aliquem è recenti secta affirmantem audis impotentiam Diuinis mandatis obsequendi, quæ ex Adami peccato nata est, ab iis seruandis non excusare, toties illud tibi veniat in mentem: Deum in Aduersariorum opinione perinde agere, quando baptizatis hominibus, quibus nullam gratiam impartit, imperat vt non peccent, & peccantes damnat: ac si Christianis, qui in pœnam peccati originalis cæci nati sunt, imperaret vt solem intuerentur, atque huic præcepto non obtemperantes flammis æternis addiceret. Quod tam atrox est, vt mihi hîc liceat Aduersario sua hæc verba refundere ex libro 3. de statu puræ naturæ c. 1. *Quid immanius & horribilius de Diuina iustitia dici posset, fateor, non intelligo. Hoc tamen mihi videtur veraciter posse dici, quòd* SI ISTA DOCTRINA DE DEO VERA EST, ALIVS AB AVGVSTINO, ET ANTIQVITATE CVLTVS EST DEVS, QVAM ISTE COLIT: SIN FALSA, MISERABILI ERRORE, VT NIHIL DETERIVS DICAM, POPVLVS CHRISTIANVS PER ISTA SENTENTIARVM PORTENTA DELVDITVR.

SECTIO II.

Noua opinio ex bonorum præmiis, aliisque S. Augustini contra Monachos Adrumetinos argumentis oppugnatur.

Libro 5. de Hæresi Pelagiana cap. 14.

LEPIDVS est noui dogmatis fabricator, qui Adrumetinos Monachos ait in id cum Pelagianis consensisse, quòd vtrique diuinâ gratiâ humanam violari libertatem arbitrarentur: *illud tamen inter vtrosque discrimen extitisse, quòd Pelagiani ne libertas tolleretur, talem gratiam sustulere: Adrumetini, vt salua maneret talis gratia, libertatem. Nempe*, inquit, *quia illi Hæretici erant, inimici crucis Christi, hi Catholici, qui quidlibet sibi tolli mallent, quàm gratiam Dei.* Quasi verò perinde Catholicam fidem non lædant, qui, vt gratiam tueantur, liberum arbitrium repudiant: quàm qui, vt liberum arbitrium retineant, gratiam excludunt. Quis Caluinum Catholicum putet, & crucis amicum, quòd ita Christi gratiam prædicat, vt natiuam hominis libertatem enecet? Aliter sanè S. Augustinus, qui Epistola 47. Adrumetinos ait, *nihilominus in errore esse*, quàm Pelagianos.

Quis Aduersarij sensus fuerit in hac tam insolita Adrumetinorum commendatione, facilè intelliget qui nouæ opinionis cum Adrumetinorum errore consensum, atque germanitatem cognoscet. Adrumetini teste S. Augustino libro de gratia & libero arbitrio cap. 1. *sic gratiam Dei defendunt vt negent hominis liberum arbitrium.* Sed quam tandem libertatem Dei gratiâ extingui putabant Adrumetini? Eam sanè quæ simplici necessitate violatur. Nam vt rectè Tapperus notat artic. 7. *Quando apud Augustinum disputatur an gratia tollat liberum arbitrium, quod credebant Monachi Adrumetini (propter quos scripsit librum de gratia & libero arbitrio) non agitur de arbitrio libero à coactione, qua natura*

voluntatis repugnat, non enim ignorare poterant quòd voluntas externo motu inuita non cogitur: nec inuitam velle ex doctrina B. Augustini Monachi illi credebant. Eadem scribunt Cunerus Petri Episcopus Leouardiensis l. 5 de libero arbitrio, & Guillelmus Estius in 2. distinct. 7. §. 7. Atque hinc est, quòd Catholici omnes qui aduersùs Caluinum probauerunt libertatem à necessitate gratiæ efficaciâ non eripi, Caluinum in eodem cum Adrumetinis errore versari dixerint, & præcipua ad eius hæresim obterendam argumenta, ex iis maximè libris sumpserint, quos S. Augustinus contra Adrumetinorum errorem conscripsit.

PARAGRAPHVS I.

Sancti Augustini argumentum ex bonorum præmiis accersitum, nouam opinionem cum Adrumetinorum errore inuictissimè profligat.

VRGET hoc argumentum S. Doctor libro de gratia & libero arbitrio cap. 2. *Reuelauit*, inquit, *per scripturas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem reuelauit commemoro vos, non humano eloquio, sed diuino. Primùm, quia ipsa* DIVINA PRÆCEPTA HOMINI NON PRODESSENT, NISI HABERET LIBERVM VOLVNTATIS ARBITRIVM, QVO EA FACIENS AD PROMISSA PRÆMIA PERVENIRET. Quod vbi pluribus confirmauit, ita concludit: *Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat: neque cùm aliquid secundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum*, TVNC SPERANDA EST BONI OPERIS MERCES *ab eo, de quo dictum: qui reddet vnicuique secundùm opera sua.* Atque hoc argumento ex præmiis, Deique iustitia re-

petito persæpe probat liberum hominis arbitrium. Ita l. 2. de libero arbitrio cap. 1. *Deinde illud bonum quo commendatur ipsa iustitia, in damnandis peccatis, rectéque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio?* NON ENIM AVT PECCATVM ESSET, AVT RECTE FACTVM, QVOD NON FIERET VOLVNTATE. AC PER HOC ET POENA INIVSTA ESSET, ET PRÆMIVM, SI HOMO VOLVNTATEM NON HABERET LIBERAM. *Debuit autem & in præmio, & in pœna esse iustitia.* Et libro 83. quæstionum quæst. 24. *Iustus, regens, & gubernans vniuersa nullam pœnam cuiquam sinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari:* NEC PECCATVM AVTEM, NEC RECTE FACTVM IMPVTARI CVIQVAM IVSTE POTEST, QVI NIHIL FECERIT PROPRIA VOLVNTATE. *Est igitur peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.*

Quibus ex locis validissimum argumentum peto. sic formatur: Libertas quam S. Augustinus contra Monachos Adrumetinos homini lapso asserit, illa est quæ ad meritum requiritur: Atqui non sola libertas à coactione, sed etiam libertas à necessitate simplici ad meritum requiritur; Ergo libertas quam S. Augustinus contra Monachos Adrumetinos homini lapso asserit, non est sola libertas à coactione, sed etiam à necessitate. Maior ex superioribus S. Augustini testimoniis manifesta est. minor sumitur ex Ecclesiastici cap. 31. vbi ait, illum esse laudandum, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Quò spectabat S. Irenæus l. 4. cap. 71. *Qui operantur bonum gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud.* Nam inde colligitur eum, qui ita bonum operatur, vt non possit non operari, qui ita non transgreditur, vt non possit non transgredi, licèt vtrumque sponte, ac voluntariè faciat, nihil mereri.

Probatur tamen efficaciùs eadem minor. Non sufficit ad peccatum sola libertas à coactione; Ergo neque ad meritum. Patet consequentia ex superioribus S. Augustini testimoniis, quæ eandem ad meritum & ad peccatum libertatem requirunt. Patet item ex aliis SS. PP. Clemente Romano libro 3. Recognit. Iustino oratione 2. ad senat. Tertulliano l. 2. contra Marc. Clemente Alexandrino l. 1. Stromat, qui omnes disertè tradunt tantùm ad meritum libertatis requiri, quantùm ad demeritum. Patet denique ex communi Theologorum, Philosophorúmque consensu: neque enim hactenus inuentus est aliquis, qui istud in dubium reuocaret. Antecedens verò ex ipsis Aduersariorum placitis conficitur. Statuunt enim illi, vt paulò antè vidimus, satis non esse ad peccatum vt homo sponte malè agat, sed requiri ampliùs, vt in ortu, libertatem à necessitate acceperit, eámque suâ culpâ amiserit. Hinc est quòd tantopere se fatigat nouus Doctor, vt ex Adami peccato libertatem ad vtrumlibet in nostra peccata deriuet. Quæ omnia etsi ludicra sint, & ad fucum imperitis faciendum artificiosè fabricata; habent tamen nescio quam probabilitatis laruam, nec facilè possunt à rudioribus confutari. Sed quæ iam de præmiis oppono, eiusmodi sunt, vt nullis possint præstigiis eludi. Quid enim? An ad meritum requiri asseret, vt homo in ortu libertatem ad vtrumlibet acceperit, eáque per peccatum exciderit? An, quemadmodum ad peccati libertatem postulat, vt peccatum ab homine lapso necessariò commissum, cum Adami peccato actum vnum componat, qui hoc ipso totus sit liber libertate ad vtrumlibet, quo in Adamo liberè incepit. An, inquam, ad meriti libertatem pariter requiret, vt bonum opus à gratia medicinali necessariò expressum, cum aliqua Adami volitione actum vnum conflet, qui hoc ipso totus sit liber libertate ad vtrumlibet, quo in Adamo liberè incepit?

Libro de grat. primi hominis cap. 14. 15. 16.

Hanc vt rationem, quam ego firmissimam puto, meliori in luce collocem, obseruandum est, bonis operibus, quibus in hoc vitiatæ naturæ statu vitam æternam adipiscimur, meritum aliquod inesse, non *humanum* quidem illud, *nostrum*, aut libero arbitrio in solidum adscribendum, quale integræ naturæ noua opinio concedit: sed aliud quoddam Diuinâ gratiâ comparatum, atque eiusmodi quod sufficiat, vt Deus non immeritò sua nobis largiri præmia dicatur. verbo dicam, meritum illud operibus nostris inest, quod hæc Concilij Tridentini verba postulant sess. 6. Can. 32. OPERA BONA SVNT ITA DEI DONA, VT ETIAM BONA SINT IVSTIFICATI MERITA. Quæ ex pluribus S. Augustini locis videntur expressa. Nam Epistola 105. ad Sixtum ita loquitur: NVLLANE SVNT MERITA IVSTORVM? *sunt planè quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.* Et infrà: *Sicut merito peccati, tanquam stipendium, redditur mors: ita* MERITO IVSTITIÆ, *tanquam stipendium vita æterna.* Item Epistola 46. ad Valentinum: SI NON SVNT MERITA QVOMODO IVDICABIT DEVS HVNC MVNDVM? Et disputatione 2. contra Fortunat. *Liberum arbitrium si non dedisset Deus, iudicium puniendi nullum esse posset*, NEC MERITVM RECTE FACIENDI. Inest ergo iustorum operibus meritum aliquod Diuinâ gratiâ comparatum.

Illud verò sine libertate ad vtrumlibet stare non posse contendo. quod vt euincam, peto ab Aduersariis, an quemadmodum aiunt hominem, qui cum peccandi necessitate crearetur, non peccaturum, nec iustè ab ea, quæ sponte quidem at necessariò committeret, puniendum: sic etiam affirment, hominem qui in statu innocentiæ gratiam bene agendi necessitatem inferentem acciperet, meritum illud qualecumque, quod iam operibus nostris inest, non habiturum. Quidquid dicant Aduersarij suis verbis implicati tenebuntur.

tur. Si asserant in illa hypothesi hominem nihil habiturum meriti, nec iustè eius operibus tali gratiâ expressis æternam beatitudinem rependi posse. Contendam ego pariter, nihil nos mereri, cùm eiusmodi gratiâ præuenimur. quia status ille naturæ corruptæ, in quem prolapsi sumus, efficere non potest, vt actio quæ in statu naturæ integræ nihil laudis ac meriti haberet, iam laudabilis sit & meritoria. Si verò affirment etiam in illa hypothesi habiturum hominem meritum illud, quod huiusce status proprium est, maiori difficultatum mole opprimentur. Nam inde illud existet, non aliam omnino ad meritum, quale iam habemus, libertatem requiri, quàm quæ coactionem excludit. Quod solidè falsum esse, & sancto Augustino capitaliter infensum

Probatur 1. Ex sanctis Patribus eadem libertas requiritur ad meritum, quod iam operibus nostris inest, quæ ad demeritum: Atqui ex ipsius Aduersarij confessione, non sufficit ad demeritum sola libertas à coactione; Ergo neque ad meritum, quod iam operibus nostris inest. Maiorem pluribus sancti Augustini testimoniis paulò antè probaui, vnum hîc tantùm auctarij loco adiiciam, ex disp. 1. contra Fortunatum: *Ego dico*, inquit, *peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur:* HINC ESSE ET PRÆMIVM, QVIA PROPRIA VOLVNTATE RECTE FACIMVS. Tum: QVIS AVTEM DVBITET NON DEFERRI PRÆMIVM, NISI EI QVI BONA VOLVNTATE ALIQVID FECERIT? *Ex quo intelligimus & pœnam inferri ei, qui voluntate mala aliquid fecerit.* Cui loco auctoritas inuicta constabit, si obserues ex nouo Dogmatista S. Augustinum contra Manichæos de peccati libertate disputantem, *libertatis* ac *voluntatis* nomine, eam tantùm comprehendisse, quæ omni soluta necessitate in vtrumuis suopte nutu propendere potest. quia cum illis de primi peccati origine dimi-

Libro 4. de statu nat. lapsæ cap. 21.

cabat, quod formalem ad vtrumlibet libertatem habere debuit. vnde colligo S. Augustinum hoc loco, ex disputatione contra Fortunatum Manichæum excerpto, cùm ait ad peccatum requiri, vt fiat *propria voluntate*, hac voce facultatem ad vtrumlibet expeditam designare, propterèaque cùm subdit: *Hinc esse & præmium, quia propria voluntate rectè facimus*, libertatem ad vtrumlibet ad meritum exigere. Ex eadem obseruatione multum roboris accedit alteri loco ex l. 2. de libero arbitrio contra Manich. cap. 1. *Illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis rectéque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? non enim aut peccatum esset, aut rectè factum quod non fieret voluntate. Ac per hoc &* POENA INIVSTA ESSET, ET PRÆMIVM, SI HOMO VOLVNTATEM NON HABERET LIBERAM. Libertas sine qua ait nec *peccatum esse, nec rectè factum, & pœnam iniustam esse, & præmium*, illa ipsa est, quam contra Manichæos defendit: Atqui contra Manichæos libertatem ad vtrumlibet defendit; Ergo libertas sine qua ait nec peccatum esse, nec rectè factum, est libertas ad vtrumlibet.

Probatur 2. Si homo sponte quidem, at naturali necessitate bene ageret, nihil laudis ac meriti inde colligeret; Ergo non sufficit ad laudem ac meritum sola libertas à coactione. Patet consequentia. Antecedens probatur ex innumeris S. Augustini locis, in quibus contra Manichæos euincit, bonas animas non agere naturali necessitate; quia aliàs laudis nihil ac meriti ex opere bono consequerentur. Cuiusmodi sunt loci proximè citati ex l. 2. de libero arb. & disputatione contra Fortunatum. Quibus addi potest insignis alter ex l. 3. de libero arbitrio c. 1. vbi probat aduersùs Manichæos voluntatem nostram non agere naturali necessitate: *Qui motus*, inquit, *si culpæ deputatur, non est vtique naturalis, sed voluntarius*. Paulò pòst subdit: *Motus quo huc*

atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.

Confirmatur 1. ex Tertulliano l. 4. contra Marcionem cap. 72. *Si autem*, inquit, *naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuissent, neque laudabiles essent, quia boni sunt, tales enim facti fuerant*, &c. Confirmatur 2. ex Clemente Romano, qui l. 3. Recognitionũ obiicienti Simoni mago: *Nonne poterat nos omnes facere tales, vt essemus boni, & aliud esse non possemus?* Respondentem Petrum inducit: *Et hoc absurdè interrogas, si enim nos inconuertibilis naturæ fecisset, & immobiles à bono: non essemus verè boni, quia aliud esse non possemus. Et non esset nostri propositi, quòd essemus boni, nec nostrum esset, quòd ageremus, sed necessitatis naturæ.* Et libro 9. *Nihil laudis est*, inquit, *id esse, à quo te mutari naturæ necessitas non sinit.* Confirmatur 3. ex aliis Patribus, qui hoc argumento illos reuincunt, qui Deum aiebant homines virtutis tantùm capaces condere debuisse. Quam rationem copiosè, & eruditè tractant Procopius in Genesim, Titus Bostrensis lib. 2. aduersùs Manichæos, Iustinus oratione 2. ad senat. & Athenagoras oratione pro Christianis.

Ne quis hîc scrupulus emergat, nota S. Augustinum, alióѕque Patres cùm aiunt animam, quæ naturali necessitate bene ageret, non modò nihil meriti, sed nec aliquid laudis habituram, laudis nomen non vsurpare in ampliori illa significatione, quæ laudanda cum honorandis confundit, sed in strictiori alia, quæ illud tantùm decus complectitur, quod ex bonitate morali efflorescit. Quo sensu, ex Aristotele l. 1. Rhetoric. c. 6. & l. 1. Nicom. c. 12. laudabilia ab honorandis ita seiunguntur, vt laus morali tantùm actioni tribuatur: honor verò iis omnibus, quæ cùm à natura, vel aliunde nullo labore aut industria consecuti simus, præ-

dicari tamen vulgò, celebrarique ab hominibus solent. Sic homini honos debetur, quòd illustri ex loco originem duxerit, quòd ingenij acumine, quòd facili indole, aliisque naturæ dotibus præditus sit. At laudari propter ea tantùm debet, quæ ex eius libertate nata sunt. Deo quoque laus strictè sumpta non debetur, nisi propter ea quæ extra se liberè, & pro arbitrio facit. Nam quæ illi naturaliter competunt, honorem, venerationem, prædicationem: non laudem propriè dictam exigunt. Quanquam sæpe apud scriptores sacros in ampliori significatione laus vsurpatur, Deóque tribuitur ob eas dotes, quas à natura habet. Quo etiam modo dici posset animas, quæ naturali necessitate bene agerent, laudis aliquid habituras.

Probatur 3. Si vera esset Astrologorum sententia: si astra necessitatem eiusmodi voluntatibus nostris imprimerent, quæ *irresistibilis* instar gratiæ illæsa libertate à coactione, solam ad vtrumuis libertatem violaret: nihil ex bonis operibus laudis, meriti nihil haberemus: Ergo sola libertas à coactione non sufficit ad meritum. Probatur antecedens ex S. Augustino, qui hoc argumento Astrologos impetit l. 2. contra Faustum c. 5. *Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Quem in sensum Iustinus orat 5. *si fatale sit hunc quidem esse bonum, illum verò malum, neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus.* Et Origenes ab Eusebio relatus l. 6. de præparatione Euangelica cap. 9. *Non solùm gentiles stellarum ex coniunctione atque aspectu, quæ in terris sunt necessariò accidere credunt: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes, quàm stellarum cursus effecerit. Vnde sequitur nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari, aut vituperari iustè posse.* Ex quibus ita ratiocinare: Qui natalitij alicuius sideris impressione

ſponte quidem, at neceſſariò bene ageret, non haberet libertatem requiſitam ad laudem, & ad meritum; Ergo qui gratia *irreſiſtibili* præuentus ſponte quidem, at neceſſariò bene agit, non habet libertatem requiſitam ad laudem, & ad meritum.

Probatur 4. à priori. Idcirco libertas ad meritum requiritur, vt id, quo meremur, noſtrum ſit, daríque poſſit à nobis, *quaſi pretium pro præmio:* Atqui ad illud non ſufficit ſola libertas à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate; Ergo ad meritum requiritur libertas à neceſſitate. Maior clara eſt, nam vt ait D. Thomas in quæſtionibus diſputatis quæſt. 19. de gratia Chriſti art. 6. in corp. *Per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit dominus ſui actus. Sic enim ſuum actum quaſi pretium pro præmio dare poteſt.* Item S. Hilarius canone 6. in Matthæum: *De noſtro eſt beata æternitas promerenda, præſtandúmque eſt aliquid ex proprio.* Et S. Paulinus in Epiſtola 2. ad Seuerum: *Quæ nobis eſt gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus, id eſt de libero voluntatis arbitrio?* Et verò fingi alia ratio non poteſt, cur ad meritum libertas requiratur, niſi vt id quo meremur noſtrum ſit, noſtræque poteſtatis ac dominij. Sola igitur probanda minor, quam etſi inuictè conficiunt, quæ cap. 1. fusè diſputaui, vt vincerem actus ſponte quidem, at neceſſariò à voluntate elicitos, non eſſe in poteſtate, ac dominio voluntatis, nec fieri cùm volumus: probatur tamen ampliùs ex iis, quæ proximè diſſerui. Si voluntariè quidem, at naturali neceſſitate bene ageremus, quemadmodum Manichæi bonam animam agere fingebant, *quòd eſſemus boni, quódque ageremus, noſtrum non eſſet, ſed neceſſitatis naturæ*, vt aiunt SS. PP. ſuprà citati. Item, ſi vi quadam natalitij ſideris afflati, ſponte quidem, at neceſſariò bene & laudabiliter viueremus, quòd operaremur bene, noſtrum non eſſet, ſed fatalis neceſſitatis, vt iidem Patres teſtantur; Igitur ſola libertas à coactione ſatis non

eſt, vt id quod agimus noſtrum eſſe dicatur.

Quæſo te, Erudite Lector, ſi quem ex nouæ opinionis conſecraneis familiarem habes, atque ex iis maximè qui penitioribus eius myſteriis initiati ſunt, hoc illum argumento pertenta. Sciſcitare ab eo, an quemadmodum ait, peccata hominis lapſi, etſi neceſſariò fiant, culpæ tamen tribui, quòd ex Adami peccato, in quo omnes peccauimus, libertatem quandam ad vtrumlibet aſciſcant: ita quoque affirmet, bona eiuſdem hominis lapſi opera, quamuis neceſſitate elicita, laudi tamen tribui, quòd ab Adamo, aut aliquo homine alio, in quo omnes bene egerimus, libertatem aliquam ad vtrumlibet accerſant. Hoc ſi argumentum premas vehementiùs, eò hominem adiges, vt vel cum Caluino nullum prorſus bonis operibus noſtris meritum ineſſe dicat, nec magis hominem lapſum mereri, cùm ex gratia neceſſitatem inferente bene agit; quàm mereretur anima, ſi naturali, aut fatali neceſſitate bene ageret: vel ſaltem, vt pugnet ex Chriſto aliquam in opera noſtra bona libertatem ad vtrumlibet deriuari: quemadmodum ex Adamo parem libertatem in peccata noſtra refundi docet. Vtrumque porrò ſimili abſurditate laborat. Siquidem vt hæreticum eſt, Concilio Tridentino, S. Auguſtino, Patribus omnibus & manifeſtæ rationi aduerſum, omne prorſus meritum bonis hominum operibus adimere: ita inſigniter abſurdum eſt, aliquam illis ex Chriſti voluntate libertatem ad vtrumlibet euocare. Nam eſto, peccata noſtra ex Adamo libertatem trahant, quòd eius peccatum noſtrum fuerit, veréque nos infecerit. At iſtud de Chriſto dici poteſt: cùm eius opera hoc modo noſtra non fuerint: niſi forte in Zanchij Luthérano-Caluiniſtæ ſententia, qui docet infantes non aliter peccati reos eſſe, quàm imputatione externa peccati Adami: nec aliter homines iuſtos aliquid mereri, quàm imputatione iuſtitiæ Chriſti. Accedit quòd Aduerſarius libertatem

ad vtrumlibet Christo ad meritum necessariam fuisse neget; Ergo quemadmodum ex Adami peccato, si necessitate fuisset expressum, libertas nulla in posterorum peccata deriuari posset: ita neque ex Christi actionibus libertas vlla in bona iustorum opera refundi potest.

Constat igitur libertatem à necessitate ad meritum & laudem requiri. quam cùm nouelli Dogmatis patroni nec ex Adamo, nec ex Christo repetere possint, fateri debent eam inesse formaliter bonis operibus, quibus vitam æternam promeremur. ac proinde illum tantùm esse laudandum, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Quod eleganter S. Bernardus Sermone 81. in Cantica his verbis expressit: *Vnde liberum arbitrium nominatur, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potest.* OMNE ETENIM, QVOD FECERIS BONVM, MALVMVE, QVOD QVIDEM NON FACERE LIBERVM SIT, MERITO AD MERITVM DEPVTATVR: *Et vt meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit; sed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. vbi autem non est libertas, nec meritum.*

PARAGRAPHVS II.

Alterum S. Augustini argumentum ex capite 15. Ecclesiastici petitum, nouum dogma manifestè configit.

NIHIL ad hominis corrupti libertatem defendendam validius putauit S. Augustinus, celebri illo Ecclesiastici loco, quem ita proponit libro de gratia & libero arbitrio cap. 2. *Reuelauit autem nobis per scripturas suas*

est, vt id quod agimus nostrum esse dicatur.

Quæso te, Erudite Lector, si quem ex nouæ opinionis consecraneis familiarem habes, atque ex iis maximè qui penitioribus eius mysteriis initiati sunt, hoc illum argumento pertenta. Sciscitare ab eo, an quemadmodum ait, peccata hominis lapsi, etsi necessariò fiant, culpæ tamen tribui, quòd ex Adami peccato, in quo omnes peccauimus, libertatem quandam ad vtrumlibet asciscant: ita quoque affirmet, bona eiusdem hominis lapsi opera, quamuis necessitate elicita, laudi tamen tribui, quòd ab Adamo, aut aliquo homine alio, in quo omnes bene egerimus, libertatem aliquam ad vtrumlibet accersant. Hoc si argumentum premas vehementiùs, eò hominem adiges, vt vel cum Caluino nullum prorsus bonis operibus nostris meritum inesse dicat, nec magis hominem lapsum mereri, cùm ex gratia necessitatem inferente bene agit; quàm mereretur anima, si naturali, aut fatali necessitate bene ageret: vel saltem, vt pugnet ex Christo aliquam in opera nostra bona libertatem ad vtrumlibet deriuari: quemadmodum ex Adamo parem libertatem in peccata nostra refundi docet. Vtrumque porrò simili absurditate laborat. Siquidem vt hæreticum est, Concilio Tridentino, S. Augustino, Patribus omnibus & manifestæ rationi aduersum, omne prorsus meritum bonis hominum operibus adimere: ita insigniter absurdum est, aliquam illis ex Christi voluntate libertatem ad vtrumlibet euocare. Nam esto, peccata nostra ex Adamo libertatem trahant, quòd eius peccatum nostrum fuerit, veréque nos infecerit. At istud de Christo dici potest: cùm eius opera hoc modo nostra non fuerint: nisi forte in Zanchij Luthero-Caluinistæ sententia, qui docet infantes non aliter peccati reos esse, quàm imputatione externa peccati Adami: nec aliter homines iustos aliquid mereri, quàm imputatione iustitiæ Christi. Accedit quòd Aduersarius libertatem

ad vtrumlibet Christo ad meritum necessariam fuisse neget; Ergo quemadmodum ex Adami peccato, si necessitate fuisset expressum, libertas nulla in posterorum peccata deriuari posset: ita neque ex Christi actionibus libertas vlla in bona iustorum opera refundi potest.

Constat igitur libertatem à necessitate ad meritum & laudem requiri. quam cùm nouelli Dogmatis patroni nec ex Adamo, nec ex Christo repetere possint, fateri debent eam inesse formaliter bonis operibus, quibus vitam æternam promeremur. ac proinde illum tantùm esse laudandum, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Quod eleganter S. Bernardus Sermone 81. in Cantica his verbis expressit: *Vnde liberum arbitrium nominatur, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potes.* OMNE ETENIM, QVOD FECERIS BONVM, MALVMVE, QVOD QVIDEM NON FACERE LIBERVM SIT, MERITO AD MERITVM DEPVTATVR: *Et vt meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit; sed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. vbi autem non est libertas, nec meritum.*

PARAGRAPHVS II.

Alterum S. Augustini argumentum ex capite 15. Ecclesiastici petitum, nouum dogma manifestè configit.

NIHIL ad hominis corrupti libertatem defendendam validius putauit S. Augustinus, celebri illo Ecclesiastici loco, quem ita proponit libro de gratia & libero arbitrio cap. 2. *Reuelauit autem nobis per scripturas suas*

sanctus esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Tum paulò pòst: *Liber Ecclesiasticus dicit, Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij. Si volueris conseruabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei.* Tum subdit: *Ecce apertissimè videmus expressum humanæ voluntatis arbitrium.*

Ex quibus S. Augustini verbis, ita colligo: Libertas quam S. Augustinus contra Monachos Adrumetinos homini lapso defendit, illa est quæ hoc Ecclesiastici loco exprimitur: Atqui hoc Ecclesiastici loco non exprimitur libertas à coactione interna, sed à simplici necessitate; Ergo libertas quam S. Augustinus contra Monachos Adrumetinos homini lapso defendit, non est libertas à coactione, sed à simplici necessitate. Clara est maior. Minor probatur 1. quia hoc Ecclesiastici loco primi hominis libertas præcipuè explicatur, quam Aduersarius in indifferentia ad vtrumlibet positam fuisse fatetur. Probatur 2. ex his verbis: *Reliquit eum in manu consilij sui*, quæ manifestè exprimunt pendentem & ad vtrumlibet indifferentem voluntatis statum. Nam ex Aristotele l. 6. Ethic. cap. 1. Damasceno l. 2. de fide cap. 26. Nemesio l. de natura hominis cap. 34. Eusebio de præparatione Euangelica l. 6. cap. 7. S. Thom. 1. 2. q. 14. art. 3. *Consilium de eo tantùm est, quod idem possumus, & eius oppositum.* vnde Irenæus l. 4. cap. 72. *Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam haberet Apostolus, & multò priùs ipse dominus consilium dare, quædam quidem facere, à quibusdam verò abstinere.* Probatur 3. ex posteriori sententia: *Apponet tibi aquam, & ignem, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, quodcumque placuerit, dabitur ei.* Quis enim putet vtriusque partis optionem illi concedi, qui vni necessariò sit adstrictus? Quis homini ex altissima turri demisso in præ-

præcepi, sobriè dicat: *Ante te vita, & mors, quod placuerit dabitur tibi.* Probatur 4. ex S. Thoma, qui de malo q. 6. ex hoc loco conficit homines in electionibus suis non modò coactione, sed & simplici necessitate vacare.

Denique, his Ecclesiastici verbis tam manifestè voluntatis ad vtrumlibet indifferentia exprimitur, vt nec ipsi Aduersarij id negare sint ausi. Caluinus l. 2. Instit. cap. 5. fatetur ingenuè adumbrari hoc loco mediam illam, & vtriusque partis capacem voluntatis facultatem, atque idcirco negat ad vitiatam hominis naturam ista pertinere. Verùm superiori S. Augustini testimonio apertè reuincitur, qui inde hominis lapsi libertatem probat. Nouus verò Dogmatistes ab hoc loco, aliísque simillimis ita se expedire nititur: *Respondeo, argumentum esse verissimum, quod ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & cæteris, non solùm admittitur, sed velut Catholicæ fidei immobilis basis, aduersùs Manichæos, aliásque pestes libertatis, & veritatis inimicas, inuictissimè defenditur, ac defendi debet. verùm ad propositum nostrum nihil pertinere facilè videt, quisquis oculos habet, quibus apertas veritates videat. Quis enim nesciat scripturas istas ac similes de viatorum hominum libertate loqui?* Quorum libertatem, *non solùm coactionis expertem esse, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est ad vtrumque indifferentem esse perlibenter* fatetur. Negat autem *in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatem*, aut illam pertinere ad naturam libertatis. Nam & liber est, inquit, Deus; & liberi Beati, qui eiusmodi carent indifferentiâ.

Ludicra est & subdola hæc Aduersarij confessio, neque enim cùm hominis lapsi libertatem ad vtrumlibet indifferentem esse fatetur, hoc nomine facultatem intelligit simplici necessitate expeditam, quæ in vtrumuis suopte nutu vergere possit. Hoc enim si diceret, dogmatum suorum substructiones omnes hoc

verbo vno dirueret. Sed illam voluntatis mobilitatem designat, quâ pro innata sibi leuitate quod semel arripuit, paulò pòst fastidiosè auersatur: atque ita, vt versatilis est ac volatica, modò vni, modò alteri se addicit. Ita mentem suam interpretatur toto illo capite 34. Et rursus l. 7. cap. 13. suam illam indifferentiam in eo positam dicit, quòd *animus imbecille, solubiliter & inconstanter rebus adhæreat; ita vt ab ea, quam velut vltimum finem diligit, in alteram: à bono in malum, à malo in bonum poßit transilire.*

Veteratoriæ huic tergiuersationi oppono 1. illam indifferentiam, quam corrupti hominis voluntati Aduersarius concedit, nihil aliud esse quàm Lutheranam *vertibilitatem*. Lutherus enim in libro de seruo arbitrio, *Rectiùs*, inquit, *vertibile arbitrium, vel mutabile arbitrium dicetur quàm liberum.* Quam mutabilitatem arbitrij humani sic eodem in libro explicat: *Humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum. Si insederit Satan, vult & vadit quò vult Satan: Si insederit Deus, vult & vadit quò vult Deus.* Non est ouum ouo similius, quàm sunt Aduersarij pronuntiatis hæc verba. Quare si ageret sincerè, liberi quoque arbitrij nomen cum Luthero exterminaret, & vertibile tantùm, seu mutabile arbitrium retineret. Secundò, abire non debet impunè quod ait, hoc indifferentiæ genus proprium esse hominum viatorum, & *certißimum libertatis indicium*. Nam & belluis quoque commune est, quæ cibum modò appetunt, modò respuunt: & amentibus ac pueris, quorum voluntates quotidie in contraria mutantur. Quam brutorum animantium, & furiosorum hominum mutationem, quis *certißimum libertatis indicium* esse, & sufficere ad superiora Ecclesiastici verba illis tribuenda asserat, nisi qui sit iis ipsis vel efferatior vel amentior?

Tertiò, certum est his Ecclesiastici verbis non eam tantùm indifferentiam, seu mutabilitatem exprimi, sed

& illam, quæ ad alterutrum eligendum neutiquam definita, in vtrumuis nutu suo inclinare potest. Quod cuilibet minimè peruicaci facilè persuadebunt, quæ paulò antè adnotaui. Persuadebunt quoque ipsa Ecclesiastici verba, quæ manifestè non mutabilitatem tantùm illam, sed potentiam simul, & eodem tempore ad vtrumlibet expeditam significant. Quid enim aliud innuunt hæ voces? *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Possúntne ad eum hæc verba prudenter & sincerè fieri, qui eodem tempore ad vnum sit affixus, alterius erepta potestate? Diceret ille, ac meritò diceret: Quid me frustra iubes eligere, vbi non datur optioni locus? non possum ego manum porrigere, nisi ad vnum amborum: non possum nisi amborum alterum velle. Quartò, non arbitrabantur Monachi Adrumetini viatorum hominum voluntatem iis rebus, quas semel asciuerit, tam immobiliter adhærescere, vt contrariam deuolare in partem non posset. Quis enim illos tam imperitè delirasse vel tradidit vnquam, vel audiuit? Vnde ego sic concludo: S. Augustinus hunc Ecclesiastici locum adhibet ad eam libertatis indifferentiam probandam, quam Adrumetini Diuinâ gratiâ extingui putabant: Atqui Adrumetini non putabant Diuinâ gratiâ extingui illam mutabilitatem voluntatis, sed indifferentiam ad vtrumlibet; Ergo S. Augustinus hunc Ecclesiastici locum non adhibet ad probandam mutabilitatem voluntatis, sed ad eiusdem indifferentiam ad vtrumlibet adstruendam. Ita quocumque se vertet S. Augustini interpolator implicatus hærebit, & suapte oratione constrictus.

PARAGRAPHVS III.

Quod S. Augustinus ait, gratiæ cum libero arbitrio consensum esse explicatu difficillimum, manifestè indicat, eum non agere de libertate à coactione.

VNO hoc argumento tota hæc decidi quæstio posset, adeò insigne est illud, & ad omnium intelligentiam accommodatum. Sic habet: Libertas quam homini lapso S. Augustinus asserit, illa ipsa est, cuius concordia cum gratia efficaci vix ac ne vix quidem intelligi potest: Atqui non libertas à coactione, sed sola libertas à necessitate est eiusmodi; Ergo non libertas à coactione, sed sola libertas à necessitate ea est, quam homini lapso S Augustinus asserit. Vtramque propositionem sigillatim demonstro.

Ac prima quidem nec in dubium vocari ab illo potest, qui primoribus, vt aiunt, labris S. Augustinum libarit. Nam sæpius ingeminat libertatis cum gratia concordiam vix ab homine intelligi, nedum explicari posse. Libro de prædest. Sanctorum cap. 14. ait esse DIFFICILEM *ad soluendum quæstionem.* Epistola 2. ad Valent. DIFFICILLIMAM vocat. Epistola 1. DIFFICILLIMAM, ET PAVCIS INTELLIGIBILEM. Et in libro de gratia Christi cap. 47. *Ista quæstio vbi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum* DIFFICILIS, *vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri* Vnde graui difficultate premi se fatetur l. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 18. ne liberum arbitrium gratiâ, aut gratiam libero arbitrio excludat. *Ipsa etiam ratio*, inquit, *quemlibet no-*

strûm quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratia iudicemur.

Atque hinc calumniandi occasionem Iulianus sumpserat, quasi sanctus Augustinus dixisset gratiam non posse cum libero arbitrio cohærere. Quam Iuliani calumniam ita proponit S. Augustinus l. 4. in Iulianum cap. 8. *Asseris me in alio libro meo dixisse, negari liberum arbitrium, si gratia commendetur: Et iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.* Tum respondet. *Calumniaris. Non hoc à me dictum est, sed propter ipsius quæstionis* DIFFICVLTATEM, *videri hoc potest dictum esse, & putari.* Mox vbi recitata paulò antè verba ex l. de Gratia Christi cap. 47. retulit, ita prosequitur: *Tu autem vir honestus & verax, abstulisti verba quæ dixi, & dixisti quod ipse finxisti. Ego enim dixi istam quæstionem ad discernendum esse* DIFFICILEM. *non autem dixi non posse discerni. Multò minùs ego dicerem, quod me dixisse mentiris: Negari liberum arbitrium si gratia commendetur, & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. Redde verba mea, & vanescet calumnia tua. Repone suis locis vbi dixi, videatur: vbi dixi, putetur: vt appareat de re tanta quibus à te fraudibus disputetur. Non dixi, negari gratiam, sed, vt negari gratia videatur. Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri; sed dixi, vt putetur auferri.* Quod se S. Augustinus dixisse negat, liberum arbitrium gratiâ extingui, dixerunt Adrumetini Monachi, ad quos librum de gratia & libero arbitrio conscripsit, vt ab hoc errore eos deduceret. Nam sic ab ipso libri ingressu monet: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & cæteri qui simul Deo seruitis, compellente mutua charitate curaui.* Quæ omnia apertè

ſatis conuincunt S. Auguſtinum cum Pelagianis, & Adrumetinis Monachis de illa libertate contendiſſe, cuius cum gratia conſenſio *difficillima eſſet, & à paucis intelligibilis.*

Iam verò quod ſecundo loco poſueram non libertatis à coactione, ſed ſolius libertatis à neceſſitate cum Diuina gratia conſenſum eſſe intellectu difficillimum, vel me tacente quilibet agnoſcit. Nam quis vnquam ſuſpicatus eſt gratiam Dei, eam voluntati coactionem imprimere, quam impoſſibilem fatentur omnes, quámque nec ipſis brutorum appetitionibus inferri poſſe, Philoſophi pariter ac Theologi pronuntiant? Quis vel hac tempeſtate, in qua leuiſſimæ difficultates excutiuntur operosè, & altercantium Theologorum argumentis in abditiſſima plerumque myſteria abeunt: quis, inquam, hac tempeſtate, vel quærendum putauit, an gratia Dei tollat libertatem à coactione? Tam certum eſt illud, támque perſpicuum, vt ipſi etiam Philoſophiæ tyrones, in hac libertate cum Dei gratia componenda ne leuem difficultatis vmbram ſuſpicentur. Et perſuadebunt Aduerſarij S. Auguſtinum Doctorum omnium aquilam in hac difficultate caligaſſe, eámque *difficillimam,* & *à paucis intelligibilem* appellaſſe, quam nec Theologi vocant in quæſtionem, quámque vel vnius diei philoſophi nullo negotio diſſoluunt.

Confirmatur 1. Nemo dixerit intelligi vix poſſe quomodo viſio beatifica cum voluntario Beatorum amore, quem neceſſariò infert, conſentiat; Ergo nec aliquis prudenter dixerit gratiæ efficaciam cum libertate à coactione vix poſſe componi.

Confirmatur 2. Intelligunt omnes brutorum appetitum, cum naturali illo inſtinctu, à quo vnam in partem neceſſariò rapiuntur, ita conciliari, vt bruta licèt neceſſariò, ſponte tamen appetant; Id, inquam, omnes intelligunt, nec hactenus inuentus eſt aliquis, qui id vix explicari poſſe diceret. Nimis ergo illiberaliter de

S. Augustino sentiunt, qui illum in explicanda gratiæ cum libertate à coactione concordia laborasse multum contendunt.

Confirmatur 3. Quis theologiâ leuiter aspersus affirmauit vnquam, vix intelligi posse, quomodo Spiritus S. necessariò simul ac voluntariè procederet? Et se torquebit S. Augustinus, vt exponat quomodo homines aspirante medicinali gratia necessariò simul ac sponte operentur?

Confirmatur 4. Libertas quæ cum gratiæ efficacia vix componi potest, illa ipsa est, quæ cum Diuina præscientia pugnare videtur: Atqui non libertas à coactione, sed sola libertas à necessitate cum Diuina præscientia pugnare videtur; Ergo non libertas à coactione, sed sola libertas à necessitate cum gratiæ efficacia vix componi potest.

Verùm vt vno verbo rem conficiam, cogita quàm facilè S. Augustinus graui se extricasset, ac molesta difficultate, si in ea, quam Aduersarij illi affingunt, opinione extitisset. Nimirum, id affirmasset vnum, nihil esse facilius quàm gratiam, quantumuis efficacem, voluntati vim propriè dictam, quæ voluntarium omne perimat, imponere non posse. Atque istud iisdem exemplis confirmasset, quæ Aduersarius passim iactat, quæque omnibus occurrunt, amoris nempe beatifici, & productionis Spiritus S. in quibus summa necessitas cum libertate à coactione, nullo reclamante copulâtur. Quæ tamen omnia ad illustrandam gratiæ cum libero arbitrio consensionem nusquam adhibuit.

Huius argumenti vim infringere Aduersarij non possunt, eleuare fortè conabuntur. Proferent ex Doctore suo rationes aliquot, quibus toto ferè libro 8. de Gratia Christi contendit, S. Augustinum de ea tantùm libertate, quæ coactionem excludit, cum gratia efficaci consocianda sollicitum fuisse. Sed tam fluxæ sunt rationes illæ, tam debiles ac propè nullæ, vt vel

iis refellendis extremam huius paragraphi partem impendere pigeat. Eas omnes ad tria capita reuocabo, & singulas clarissimis S. Augustini, atque ipsius etiam Aduersarij testimoniis dissoluam.

Libro 8. de grat. Christi cap. 5.

Opponunt primò: Cùm Pelagiani S. Augustino extinctam libertatem exprobrant, aiunt illum docere, voluntatem gratiâ *cogi*: Et S. Augustinus cùm negat se liberum arbitrium enecare, hoc vnum ait, voluntatem gratiâ non *cogi*; Ergo solam à coactione libertatem cum gratia componere satagit. Nouus Doctor antecedens probat insigni, atque, vt videtur, manifesto S. Augustini testimonio, ex lib. 1. Operis imperfecti pag. 151. vbi percontanti Iuliano: *Interrogo ad quem modum liberatur voluntas. An vt bonum semper* VELLE COGATVR, *& malum velle non posit? An vt vtrumque posit appetere*: respondet S. Augustinus: *Absit vt dicatur à nobis:* SI ENIM COGITVR, NON VVLT.

O fluxam Aduersarij memoriam! Itáne verò tam breui illi excidit, quod libro 2. de Hæresi Pelagiana cap. 1. scripserat, Pelagianos atque in primis Iulianum, cùm alibi sæpe, tum hoc præcipuè loco, nomine coactionis simplicem necessitatem, quæ vni parti voluntatem affigat, designasse. Quanquam quid Aduersarij memoriam accuso? Contingere facilè potuit, vt qui in hoc parturiendo opere annos plus viginti posuisse dicitur, primæ partis non recordaretur, cùm extremam elaborauit. Non est igitur quòd illi obliuionem exprobrem, hinc tamen expeditam superioris argumenti solutionem repero, quam ipsius Aduersarij contextam verbis hîc subiicio. De Pelagianis, ac præcipuè de Iuliano sic loquitur: *Hanc autem necessitatem subinde coactionem vocat.* NON ENIM TAM INTELLIGIT COACTIONEM PROPRIE DICTAM, QVÆ FIT RENITENTE VOLVNTATE, QVAM ILLAM AD VNAM PARTEM ADDICTIONEM, *quâ liberum arbitrium non nisi bonum, vel non nisi malum velle posse diceretur.*

ceretur, siue voluntate sua reniteretur, siue non. Cùmque huic coactionis significationi probandæ Pelagij locum adduxit, addit: *Satis supérque docet hoc se vocare coactionem, quæ ad vnam siue boni, siue mali partem affigit, ita vt ad contrarium, vt ipse latiùs diducit, transire non possit.* Tum ait Iulianum in eadem huius vocis intelligentia Pelagio consentire: quod probat ex eo ipso loco Operis imperfecti pag. 151. docétque, ibi Iulianum pro iisdem habere, *cogi*, &, *vtrumque non posse. Vnde*, inquit, *ipse Iulianus interpres sui factus coactionem necessitatémque coniunxit, cùm dixit: Esse possibilitatem illam expertem cogentis necessitatis, vt pote quæ in suopte iure habet, vtram suggerentiæ partem sequatur.*

Multum debeo nouo Doctori, quòd tam copiosè ostenderit, Iulianum cùm alibi sæpè, tum eò præsertim loci, coactionis nomine *non coactionem propriè dictam, quæ fit renitente voluntate*, sed necessitatem, quæ voluntatem nec repugnantem vni parti affigit, expressisse. Nam inde clara est illius argumenti solutio, quod libro 8. de Gratia Christi cap. 5. indidem repetit, vt probet libertatem illam, quam cum gratia pugnare Iulianus putat, & negat S. Augustinus, non esse libertatem à necessitate, sed à coactione propriè dicta. Cui responsioni multum inde roboris accedet, quòd S. Augustinus, aliíque illius æui scriptores hoc sensu coactionis nomen vsurpent. Ita Manichæi affirmabant, vt docet S. Augustinus Disputatione 2. contra Fortunatum, & libro de duabus animabus cap. 12. *animam à contraria natura cogi delinquere*, id est, ex ipsius S. Augustini interpretatione, ita pellici ad peccandum, *vt resistendi potestas nulla sit.* Eandem huic voci notionem S. Augustinus subiicit, cùm Fortunatum Manichæum sic affatur Disputatione 1. *Quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere quod facimus? qui enim cogitur necessitate aliquid facere non peccat,* Et libro contra Secundinum Manichæum cap. 19. *Si*

cogitur consentire, ita vt non sit in eius potestate aliter facere, &c. *non voluntate consentit.* Negare Aduersarij non possunt, his omnibus in locis non propriè dictam coactionem, quæ voluntarium omne perimat, sed simplicem tantùm necessitatem exprimi: nam de Manichæorum opinione agitur, qui non aliam ex bono, seu malo principio necessitatem oriri fingebant. Cùm ergo apud S. Augustinum cum Pelagianis atque Manichæis deprælιantem constans sit illa coactionis notio, cur Aduersarij hac in voce nobis insidias moliuntur?

Libro 8. de gratia Christi cap. 5. 6. & 8.

Opponunt secundò, S. Augustinum ad copulandam cum gratia arbitrij libertatem id vnum demonstrare, hominem, etsi gratiâ præueniatur, agere nihilominus voluntate; Ergo, inquiunt, eam tantùm libertatem, quæ in voluntarium incidit, cum gratia conciliat. Obtrita est à nobis isthæc obiectio, dum cap. 1. sect. 2. pluribus ostendimus S. Augustinum voluntatis nomine eam tantùm designasse, quæ omni prorsus necessitatis vinculo est expedita. Quod cùm Aduersarius ipse non agnouerit modò, sed etiam probauerit libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 21. intelligere profectò non possum, quo pudore hîc supponat, voluntatis nomine apud S. Augustinum volitionem quamlibet, etiam necessitate profusam censeri. Probare saltem debuit iis in locis, quæ hîc allegat, voluntatis nomen in ampliori illa significatione vsurpari. Nam hic difficultatis nodus & cardo, qui his Aduersarij intercalaribus glossis (*id est volitio*) quas hîc quoque passim inserit, firmari non potest.

Respondeo igitur paucis ac dilucidè, idem esse apud S. Augustinum bene agere voluntate, & bene agere absque vlla necessitate. Vnde colligo S. Augustinum toties agere de libertate ad vtrumlibet, quoties docet hominem voluntate bene agere. Argumentis omnibus quibus illud superiùs euici, vnum hîc addo validum in primis & efficax: Idem est apud S. Augustinum

voluntate peccare, & absque vlla necessitate peccare; Ergo idem quoque est voluntate bene agere, & absque vlla necessitate bene agere. Antecedens sumitur ex nupero Theologo, qui idcirco docet primum tantùm hominem peccâsse voluntate, alios verò omnes necessitate. Consequentia clara est, quia vtrobique voluntas eodem explicari sensu debet. Confirmatur, Ex S. Augustino libro contra Secundinum Manichæum cap. 19. si anima bona malæ illecebris ita ad voluntarium consensum cogitur, *vt non sit in eius potestate aliter facere, non voluntate consentit.* Ergo à pari, anima quæ gratiæ illecebris ita ad voluntarium consensum impellitur, *vt non sit in eius potestate aliter facere, non volantate consentit.*

Libro 4. de statu nat. lapsæ cap. 21.

Opponunt tertiò, S. Augustinum libro de Gratia & libero arbit. & alibi sæpe ex his sacræ scripturæ locis liberum arbitrium probare, quibus homo dicitur *velle*, aut *nolle*; Ergo homo hoc ipso liber est quo vult, aut non vult; ac proinde gratia eatenus libertati non repugnat, quatenus non impedit, quo minus homo velit, aut nolit. Respondeo, apud S. Augustinum illum tantùm velle, qui absque necessitate vult, aut non vult. Fusissimè illud demonstraui cap. 1. sect. 2. & 3. pauca tantùm auctarij loco adiiciam. S. Augustinus libro 1. Operis imperfecti pagina 151. Iulianum sic affatur: *Quomodo autem dicas eum cuius voluntatem nos dicimus à Domino præparari, ita fieri bonæ voluntatis, vt bonum velle cogatur, (quod absit vt dicatur à nobis) viderit præclara intelligentia tua:* SI ENIM COGITVR, NON VVLT. Contendit Aduersarius libro 2. de Hæresi Pelagiana cap. 1. hîc coactionis nomine, *non coactionem propriè dictam, sed addictionem ad vnam partem*, seu necessitatem exprimi. vnde sic disputo: Docet S. Augustinus, eum qui ad volendum cogitur ea coactione, quam Iulianus à gratia inferri putabat, non velle: At coactio illa non erat coactio propriè dicta, sed necessitas tantùm ad vnum affigens; Ergo docet S. Augustinus eum

Libro 8. de grat. Christi cap. 5.

qui ad volendum cogitur non coactione propriè dicta, sed necessitate ad vnum affigente, non velle. Quapropter libro contra Secundinum cap. 19. negat bonam animam velle & consentire, si malæ blanditiis ad consensum necessariò impellitur. *Si cogitur*, inquit, *consentire, ita vt non sit in eius potestate aliter facere*, &c. *non voluntate consentit*. Quid ita? Quia *si cogitur*, inquit, *cedere potiùs, quàm consentire dicenda est*.

Ratio à priori est, quòd voluntas tunc tantùm dicatur velle, aut nolle cùm agit vt voluntas: Atqui tunc tantùm agit vt voluntas, cùm agit absque vlla necessitate; Ergo tunc tantùm dicitur velle aut nolle, cùm absque vlla necessitate agit. Sed istud capite primo fusiùs à nobis disputatum est. Indidem solui potest quod hîc quoque Aduersarius opponit: S. Augustinum, vt ostendat gratiam cohærere cum libero arbitrio, id vnum probare, voluntatem agere, & cooperari gratiæ: Nam voluntas tunc tantùm agere, & cooperari dicitur, cùm agit vt voluntas, id est liberè. Vnde respectu gratiæ præuenientis, quæ est actus quidam voluntatis indeliberatus, agere voluntas & cooperari Deo non dicitur; quia licèt illum actum vitaliter, ac proinde sine physica coactione producat, liberè tamen non producit, prout liberum à spontaneo distinguitur. Quâ de re dicam paulò fusiùs sectione sequenti paragrapho 3.

SECTIO III.

S. Augustinus cum Pelagianis dimicans manifestè docet, hominem lapsum non à coactione tantùm, sed etiam à necessitate liberum esse.

HIc clypeo, hîc telis opus est. Nam & propulsanda Aduersariorum calumnia, & eorum opinio impugnanda. Calumnia est quod docet Caluinus li-

bro 2. Institutionum cap. 3. libertatem à necessitate non posse homini lapso, sine Pelagiano errore, vindicari. Illud ipsum Tridentinis Patribus maiori proteruia Chemnicius obiicit in examine Concilij Tridentini ad sessionem 6. vbi & Tridentinos ait, *non seriò, sed pro forma tantùm Pelagium damnasse*, quòd aliquot eius errores ita proscripserint, vt libertatem à necessitate, quæ omnium fons est & origo, retineant. Dordrechtana quoque Synodus Pontificios Pelagio accenset pag. 730. quòd eandem homini lapso libertatem adscribant. Reliquos non commemoro Caluinianæ nationis principes, quorum in libris tam frequens est illa calumnia, vt singulas ferè paginas impleat.

Horum vestigiis ingressus nouæ opinionis faber toto passim opere contendit, Pelagianæ hæresis fontem, atque vt loquitur, *nidum*, libertatis indifferentiâ contineri. Quamobrem quod de Concilio Tridentino Chemnicius dixit, Scholasticis Doctoribus accommodat: nimirum, illos non seriò, sed pro forma tantùm Pelagium damnare, cùm ita asserunt gratiam ad bene agendum necessariam esse, vt voluntati gratiâ instructæ libertatem à necessitate concedant.

Libro 1. de Hæresi Pelagiana cap 1. libro 7. de gratia Christi cap. 11. & alibi passim.

Hanc ego calumniam à Tridentinis Patribus, & Doctoribus Scholasticis depellere conabor, & ex iisdem S. Augustini locis, quibus illa fulcitur nouum dogma impugnabo.

PARAGRAPHVS I.

Libertas à necessitate hominibus lapsis ex eo vindicatur, quòd S. Augustinus in eandem humanæ libertatis notionem cum Pelagianis consentiat.

PRÆMITTENDVM est, liberum arbitrium in genere, facultatem esse nulla obstrictam necessitate, sed

ad vtrumuis è duobus propositis eligendum expeditam. Hæc propria libertatis illius notio, quæ Deo, Angelis & hominibus communis est. Alia est libertatis ratio, soli creaturæ rationali, atque eo duntaxat tempore, quo meriti & demeriti capax est, conueniens, quæ his Ecclesiastici verbis adumbratur: *Ante hominem bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Errauerunt Pelagiani cùm hanc bene & malè agendi indifferentiam ad liberum arbitrium in genere postularunt: quod eos fecisse ex pluribus S. Augustini testimoniis Aduersarius demonstrat. *Principium*, inquit, *apud ipsos primo-verum & indubitatum fuit, non esse liberum cui non in vtrumque contrariorum, bonum videlicet & malum, par potestas esset*, &c. Inepta est & sacrilega hæc eorum opinio, cùm Deo liberum arbitrium abiudicet, vt S. Augustinus Iuliano exprobrat libro 1. Operis imperfecti pag. 150. At eadem libertatis notio viatori homini, quatenus meriti & demeriti capax est, rectè ab illis tribuitur.

Libro 2. de Hæresi Pelagiana cap. 1 & lib. de gratia Christi cap. 12.

Quapropter nunquam S. Augustino de humanæ libertatis notione cum Pelagianis certamen fuit, sed in eandem vtrique conuenerunt. Demonstrari illud facilè potest ex libro 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. vbi Iuliano ita expostulanti: *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit: Celestianus & Pelagianus vocatur:* sanctus Augustinus respondet: *Non est ita vt loqueris, quicumque ista dixisti, non est ita: multùm falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium*, &c. *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus, non hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei, & non erui paruulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen,*

vnde vobis inditum est nomen? Communis igitur Catholicis atque Pelagianis fuit humanæ libertatis notio. Nam si in voce tantùm conueniunt, re autem ipsa & subiectâ verbo notione dissident, fallitur ipse S. Augustinus, cùm ait vtrisque commune esse liberi arbitrij dogma, siquidem solum nomen commune est: nec dicere debuit: *Liberum in hominibus esse arbitrium vtrique dicimus*: sed potiùs: Liberi arbitrij nomen vtrique retinemus: at vos liberi arbitrij nomine facultatem intelligitis simplici necessitate expeditam, hinc estis Celestiani, & Pelagiani: Nos verò eadem voce intelligimus facultatem quæ sine coactione operetur, hinc sumus Catholici.

Illustratur hæc ratio: Estne vnquam fassus, aut potuítne confiteri vnquam S. Augustinus, communem sibi de gratia cum Pelagianis doctrinam esse, neque hinc Celestianos esse, aut Pelagianos? Nemo id, opinor, dixerit. Quamobrem autem? quia quanquam illi necessariam esse ad honesta opera gratiam asserebant, aliud tamen gratiæ nomine intelligebant, quàm intelligi par erat. Similiter igitur, quamuis liberum arbitrium voce tenus agnoscerent; tamen si notionem huic vocabulo subiiciebant orthodoxæ contrariam, profiteri illud S. Augustinus non debuit: *Liberum in hominibus arbitrium vtrique dicimus*: Sed iam inde à principio disputationis exponere, quid liberi arbitrij vocabulo significarent Pelagiani, quid Catholici; quemadmodum, vbi de gratia disputatum est, primùm ostendit quàm in ipsa gratiæ notione grauiter errarent Pelagiani; neque priùs quidquam effecit, quàm statueret, quid esset hoc gratiæ nomine comprehensum.

Probatur ampliùs ex his S. Augustini locis, quibus traditam à Pelagianis humanæ libertatis definitionem refert. Primus petitur ex Opere imperfecto libro 1. pag. 118. vbi sic loquitur Iulianus; *Omnis, qua ratione susci-*

pitur de aliqua re, disputatio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit id de quo disputatur. Ita & nos, &c. *Nunc quoque videamus, quæ libertati arbitrij definitio competat, vt planum sit, quis nostrûm consentiat, quis repugnet.* Hac conditione acceptâ, æquissimâ certè, quámque recusare nemo prudens possit, debuit ante omnia conuenire inter eos de aliqua libertatis definitione; debuit S. Augustinus vel approbare eam, quam Iulianus continuò subiungit; vel aliam, hac reiectâ, proferre. Videamus porrò vtrum faciat. Sic pergit Iulianus: *Libertas arbitrij, quâ à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit.* Hîc, quod ad nos in præsenti nihil attinet, S. Augustinus obiter castigat has voces: *quâ emancipatus à Deo homo est.* Tum prosequitur Iulianus: *Factum est enim animal rationale mortale, capax virtutis & vitij,* &c. Sic Iulianus libertatem definit, sic allatam à se definitionem explicat, & confirmat. Hanc disputationis totius basim, hunc cardinem statuit, & approbante certè S. Augustino. Ostendatur enim hîc vocula vel vna, quâ libertas à necessitate tam disertè à Iuliano expressa perstringatur. Atqui & obsistere acriter & reclamare suo iure debuisset, id si putasset doctrinæ suæ, & gratiæ Christi capitaliter infensum, quod videbat sic tanquam caput constitui, ex quo tam grauis controuersiæ exitus penderet. Hoc vnum improbat, quòd dicant voluntatem, *de suo iustitiam concipere*: petitque tantùm vt intelligant, *non aliud esse arbitrium laudabiliter liberum, nisi quòd fuerit Dei gratia liberatum.* At de libertate à simplici necessitate querela nulla.

Eodem libro pag. 146. ita rursus loquitur Iulianus: *Voluntas eo ipso tempore quo peccat, potestatem habet recedere à malo, & facere bonum, vt constet ratio libertatis.* Hæc est illa humanæ libertatis definitio, quam Aduersarius tam hostiliter insectatur. An S. Augustinus eodem est in illam animo? Minimè verò. Neque enim

Aristo-

Aristoteleam, falsam, Hæreticam nuncupat: sed libenter amplectitur, modò gratiæ auxilium Iulianus non excludat. *Ex quo*, inquit, *homo incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit nisi adiutus ab eo, qui dixit: Sine me nihil potestis facere.* Quamobrem pag. 121. Iuliano rursus inculcanti: *Libertas arbitrij possibilitas est, vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in suo iure habet, vtram suggerentiæ partium sequatur*: id vnum opponit: *Homo non potest seruus esse iustitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum filius liberauerit.* Et pag. 122. hæc Iuliani verba: *Si ergo est, vt ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, vt nemo sit vel bonus, vel malus, cui non sit liberum esse contrarium*, &c. præterit intacta, ídque vnum monet: *Charitatem esse, quæ facit liberum ad ea quæ facienda sunt.*

Ex his omnibus ita colligo: Nihil haberet S. Augustinus quod in his liberi arbitrij definitionibus improbaret, si Pelagiani faterentur voluntatẽ non posse sine gratiæ auxilio concipere iustitiam, & bene agere: Atqui illas liberi arbitrij definitiones sic accipimus, vt fateamur voluntatem non posse sine gratiæ auxilio iustitiam concipere, & bene agere; Ergo nihil haberet S. Augustinus quod in his liberi arbitrij definitionibus, pro vt à nobis accipiuntur, improbaret. Quid hîc ergo tot tragœdias nouus doctor excitat? Quid S. Augustinum nobis opponit?

Dices, S. Augustinum satis innuere hanc sibi definitionem minùs probari, dum cap. 98. eiusdem libri pag. 150. Iuliano eandem perstringenti, sic respondet: *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum: liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest: siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Iocatur credo, qui istud obiicit. Nam quid nobis incommodat? Fateor definitiones illas libertatis, quibus peccandi & non

peccandi possibilitas esse dicitur, ad libertatem quamlibet non pertinere, atque adeo Iulianum hîc meritò vapulare, quòd eas ad omnem promiscuè libertatem extenderet. At iisdem contendo humanam libertatem, prout meriti, ac demeriti principium est, accuratè describi. Vnde cùm eas Iulianus soli humanæ libertati applicauit, nihil habuit S. Augustinus quod in eius oratione reprehenderet.

Confirmatur 1. ex his Pelagij verbis, quibus suam opinionem Innocentio Papæ probare nititur: *Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget: in qua purè, & simpliciter ad peccandum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus: quod in omnibus bonis operibus Diuino semper adiuuatur auxilio.* Hæc Pelagij verba S. Augustinus recitat l. de Gratia Christi c. 31. neque illam liberi arbitrij notionem repudiat, sed id tantùm monet, ne gratiæ nomine legem ac doctrinam obtrudat. *Quærimus*, inquit, *quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium: ne forte, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam.* Quæro ego an illa liberi arbitrij notio, quā Pelagius indifferenti ad peccandum, & non peccandum facultate definiebat, vera sit & Catholicæ fidei consentanea, an verò falsa, & Ecclesiæ doctrinæ capitaliter infensa? Si vera est: quid tumultuantur Aduersarij? Si falsa: cur de ea silet S. Augustinus? cur hâc reiectâ genuinam libertatis notionem non profert? Mirum id sinè si iam Theologus aliquis liberum arbitrium definiat facultatem quæ in vtrumuis propendere potest: si ad eam libertatem, quæ meriti & demeriti principium est, requiri dicat, vt peccare possimus, & non peccare, continuò vociferantur recentis sectæ emissarij: Falsa est illa definitio, Aristotelea, Hæretica, Pelagiana. At cùm eandem Pelagius ipse vsurpat, silet S. Augustinus, nec illam carpit, aut improbat. Sed eâ prætermissâ, de gratiæ ambiguitate quæritur.

Si Pelagius ita ad Innocentium ſcripſiſſet: Ecce ad beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in quâ nullum eſſe peccatum originale dicimus, & hominem in omnibus bonis operibus Diuino ſemper adiuuari auxilio: quis S. Auguſtinum non rideret, ſi prætermiſſâ priori parte, quæ manifeſtè hæretica eſt, in poſteriori, quæ Catholicum ſenſum præ ſe fert, excutienda tempus tereret? Non minùs abſurdè in Aduerſariorum opinione S. Auguſtinus reſpondet; ſi quidem priora Pelagij verba, quæ, vt aiunt, hæreticam liberi arbitrij notionem apertè continent, illibata tranſilit: de poſterioribus verò altercatur, quæ Catholicum facilè in ſenſum trahi poterant. Longè profectò efficaciùs Pelagium confutaſſet aliquis è recenti ſecta Theologaſter. Sic enim exclamaſſet: Non te illa purgat Epiſtola, tuam potiùs hæreſim prodit, cùm in ea liberi arbitrij indifferentiam prædices: hic erroris tui fons eſt & origo: quandiu hanc libertatis notionem retinebis, quamcunque illi demum gratiam adiungas, nunquam Hæretici nomen effugies. Si catholicus vis haberi libertatem definias oportet: facultatem phyſicæ coactionis expertem. Hæc catholica liberi arbitrij notio: hæc Eccleſiæ fides & ſententia. Hoc ſi dixiſſet S. Auguſtinus, longis, operoſiſque diſputationibus pepercisset, & hac vna ratione Pelagij præfocaſſet hæreſim.

Confirmatur 2. ex illa fidei profeſſione, quam Pelagius ab Innocentio damnatus, ad eundem cum ſuperiori Epiſtola miſit anno 417. Extat illa tomo 1. Concil. pag. 876. Extat & apud Baronium, qui ex Vaticano codice promptam Annalibus inſeruit ad annum 417. num. 36. Extat denique inter aliena Hieronymi, hoc titulo *Explanatio fidei ad Damaſum.* Sub finem Pelagius ita loquitur. *Liberum ſic eſſe confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt, hominem peccatum vitare non*

posse, quàm illos qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare: vterque enim tollit libertatem arbitrij. Nos verò dicimus hominem semper, & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur arbitrij. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus. Hanc Pelagij Epistolam Innocentio mortuo Zozimus accepit, eámque sic probauit, vt ad Africanos Episcopos, qui Pelagium damnauerant acerrimas litteras dederit, quibus & Pelagij fidem ornatissimè commendat, & Erotem, ac Lazarum eius accusatores vehementer carpit. Zozimum deceperant ficta illa Pelagij verba: *Liberum sic esse confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio.* Hinc ad Africanos Episcopos ita scribit: *Vtinam vllus vestrûm, Dilectissimi Fratres, recitatione litterarum interesse potuisset. Quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium? Quæ admiratio singulorum? vix fletu quidam se & lachrymis temperabant. Talem etiam absolutæ fidei infamari potuisse? Estne vllus locus in quo Dei gratia & adiutorium prætermissum sit?* S. Augustinus quoque libro de gratia Christi cap. 33. cùm eadem Pelagij verba retulisset, subdit: *Iterum quærimus quo auxilio nos indigere fateatur:* illum quippe cum Zozimo absoluturus, si internam Christi gratiam necessariam esse fateretur. Hinc ita disputo. Zozimus hanc professionē fidei à Pelagio oblatam probat: *Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij*, quia putabat illum fateri necessariam esse Christi gratiam ad non peccandum; Ergo qui illam liberi arbitrij definitionem sic accipiunt, vt fateantur necessariam esse ad non peccandum Christi gratiam, catholicè sentiunt.

Confirmatur 3. S. Augustinus l. de gratia Christi c. 33. cùm istud Pelagij: *Liberum sic esse confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio*, recitasset: id tantùm quærit, *quo auxilio nos indigere fateatur.* Quæro ego, cur Pelagio nihil negotij facit S. Augustinus de

libero arbitrio, cuius expressam mentionem hâc in propositione facit Hæreticus? Debuisset enim facere, si in eius notione inter se discrepassent. Nam quia de gratiæ natura dissentiebant, idcirco cùm fit à Pelagianis gratiæ mentio, non satis est S. Augustino agnosci ab iis gratiam: sed iubet Doctor vigilantissimus profiteri, quænam illa gratia sit. Sic lib. de grat. Christi c. 31. cùm Pelagius dixisset: *Liberum arbitriũ habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus Diuino semper adiuuatur auxilio.* S. Augustinus quærit: *Quo auxilio.* Et paulò pòst, asserente Pelagio *liberum arbitrium in Christianis iuuari à gratia,* vrget S. Augustinus: *Iterum quærimus quâ gratiâ?* Si ergo cum iis, vti de gratiæ, ita de liberi arbitrij acceptione pugnabat, cur non perinde ait: Quærimus quod liberum arbitrium? Nam in citatis locis omnibus, tam est diserta liberi arbitrij, quàm gratiæ facta mentio. Curà Pelagio toties iactante se liberum homini arbitrium tribuere, ne semel quærit, an liberum illud arbitrium, sit liberum à coactione interna, an à simplici necessitate. Nam hac vna interrogatione Pelagium implicasset, eiúsque hæresis iugulum petiisset.

PARAGRAPHVS II.

Idem efficitur ex Pelagianorum circa liberum arbitrium errore, & S. Augustini cum illis conflictu.

CLAMOSA rursus voce Aduersarius intonat, Pelagianos esse eos, qui liberum arbitrium ancipiti & ad vtrumlibet indifferenti facultate metiuntur. Quid ita? Quia Pelagiani, inquit, illam liberi arbitrij notionem ex prophana accersitam Philosophia ad extenuandam Christi gratiam inuexerunt. Ridiculè. Non errabant Pelagiani quòd illam liberi arbitrij notionem, non tam ex Philosophis, quàm ex ipsa haustam natura & sacra-

rum litterarum auctoritate comprobatam vsurparent. Sed quòd inde colligerent, voluntatem natiuis viribus, sine vllo gratiæ præsidio, ad virtutem eniti posse. Hic Pelagianorum error, hæc hæresis. Reclamat Aduersarius, acritérque contendit Pelagianæ hæresis virus hac voluntatis flexibilitate contineri: sic planè, vt qui semel liberum hominis lapsi arbitrium indifferentem ad vtrumlibet facultatem esse definierit, etsi postea gratiam ad bene agendum necessariam esse fateatur, abire tamen non possit, quin S. Augustino iudice in Pelagij hæresim incidat. Nimis proteruè calumniatur, qui ita pronuntiat: quod vt constet,

Obseruandum 1. liberum arbitrium duobus modis spectari posse. Primò, pro naturali facultate secundùm se sumpta, quæ pro libito potest alterutrum è duobus eligere, siue, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, & non agere. Secundò, pro facultate omnibus ad bene agendum viribus instructa. Quæ duo quantùm inter se distent, hoc exemplo intelligetur. Aliud est oculum posito lumine videre posse, aliud habere lumen ad videndum. Nam qui cæcus non est, etsi tenebroso claudatur specu, & nulla collustretur luce, oculos tamen habet, quibus cùm lux adfuerit, videre poterit. Ita aliud est, hominis voluntatem esse eiusmodi, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis agere possit & non agere: aliud, eam omnia ad bene agendum prærequisita habere. Primum ad libertatem naturæ spectat. Secundum ad libertatem gratiæ, siue ad laudabilem illum liberi arbitrij statum, ad quem Diuinâ gratiâ euehimur. Prima libertas deleri peccato non potest. Nam etsi voluntas necessariis ad bene agendum præsidiis spolietur, & infami Dæmonis seruituti mancipata, ne leuissimum quidem melioris vitæ votum de se concipere possit, talis est tamen semper, vt cùm aliunde necessaria ad bene agendum subsidia adfuerint, & cælestis gratiæ aura afflauerit, agere possit

& non agere. Secunda, primi parentis culpâ periit. Nam tum omnibus gratiæ præsidiis destituti, eam in miseriam incidimus, vt non *simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.*

Qui cum Caluino aliisque superioris æui Hæreticis congressi sunt Catholici, hanc vtriusque libertatis distinctionem diligenter obseruarunt; quòd ex illa totius de libero arbitrio controuersiæ disceptatio penderet. Hinc Bartholomæus Camerarius l. 1. de libero arbitrio contra Caluinum cap. 3. *Ignoras*, inquit, *aliud esse hominem libertatem arbitrij habere, hoc est potentiam consentiendi, vel dissentiendi, vt dixi: quod naturæ liberum dicitur arbitrium. Aliud verò libertatem meritoriè operandi iustitiam: quod liberatum liberum dicitur arbitrium.*

Obseruandum 2. S. Augustinum cùm aduersùs Manichæos ageret, primo sensu liberum arbitrium sumpsisse: pro illa scilicet facultate, quæ neutri parti necessariò affigitur, sed in vtrumuis nutu suo ac momento flecti potest. Quia cum illis ipsi res erat, qui hanc homini libertatem eripiebant. Hinc libro de duabus animabus capite 12. liberum illud arbitrium, quod aduersùs fanaticam Manichæorum hæresim tuebatur, definit *liberum animi motum ad faciendum, aut non faciendum.* Eodem quoque sensu liberum arbitrium accipit, cùm illud aduersùs Stoicos, & Astrologos defendit. Quamobrem eò semper disputationis suæ vim confert, vt probet hominis voluntatem nec à stellis, nec à malo aliquo principio ita vnam in partem inclinari, vt illi non sit integrum in alteram se reflectere. At cùm Pelagianos insectatur, sæpè altero sensu liberum arbitrium sumit: nimirum, pro facultate omnibus ad bene agendum viribus instructa. Quia sic Pelagiani liberum arbitrium interpretabantur, cùm illud homini lapso vegetum & integrum adscribebant. Atque hinc est quòd S. Augustinus cum Pelagianis disputans, aliquando præcisè negat, inesse homini lapso

liberum arbitrium. *Libero arbitrio*, inquit in Enchiridio ad Laurent. cap. 30. *malè vtens homo & se perdidit & ipsum.* Et l. de perfectione iustitiæ c. 4. *victâ vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* clarissimè in Epist. ad Vitalem, quæ est 107. *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Quæ omnia Caluinus auidè arripit ad natiuam hominis libertatem profligandam. Imperitè, & malitiosè. Neque enim his in locis S. Augustinus liberi arbitrij nomine natiuam hominis libertatem intelligit; sed facultatem omnibus ad bene agendum viribus præditam; siue possibilitatem completam bene agendi, quam nos Adami peccato amisisse testatur Celestinus in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 4.

Atque hanc mentem suam apertè satis explicat S. Augustinus, cùm à Pelagianis negati liberi arbitrij postulatur. Nam tum disertè pronuntiat, quo sensu libertatem asserat, quo sensu neget, vt in Epistola 47. ad Valentinum: *Fides*, ait, *Catholica neque liberum arbitrium negat: neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid.* Et l. 1. ad Bonifacium cap. 2. *Quis nostrûm dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana Diuinâ indiget gratiâ.* Et l. 2. ad eundem Bonif. cap. 15. *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cogitationis, sermonis adiuta.* Negabat igitur sanctus Augustinus inesse homini liberum arbitrium, quod propriis viribus, sine vllo Dei auxilio bene agere posset. At eidem homini illud arbitrium vindicabat, quod aduersùs Manichæos definierat, *liberum animi motum ad faciendum, aut non faciendum.*

Vna hac ferè prolusione confecta res est. Nam quilibet veritatis, quàm rixarum amantior, inde colliget, nunquam S. Augustinum cum Pelagianis de natiua illa hominis libertate, quæ potestas est ad vtrumlibet, decertasse. Atque adeo iniquè illos facere, qui hanc libertatis notionem, & Pelagianam esse, & à S. Augustino damnatam criminantur. Obstrepit adhuc Caluinus, aliíque omnes ab eo profecti Hæretici, docéntque errasse Pelagium, quòd primam illam libertatem hoc in statu retineret, pugnarétque, hominem non à coactione tantùm, sed etiam à simplici necessitate liberum esse. Sed hanc calumniam à Catholicorum opinione dudum repulerunt Scriptores Catholici: atque inprimis Ioannes Malderus Episcopus Antuerpiensis in eo libello, quo Dordrechtanæ Synodi decreta excutit, & confutat. Statuerant latrocinalis illius Synodi Patres proscripti, sine Pelagiano errore affirmari non posse, in hominis positum esse arbitrio gratiæ præuenienti assentiri, vel dissentiri, atque hoc nomine Concilium Tridentinum Pelagianismi insimularant pag. 730. Malderus hanc eorum calumniam, & argumenta aliquot, quibus illam firmant ita proponit pag. 253. *Quartò, si positis omnibus (inquit Synodus) quæ ad perseuerandum in fide necessaria sunt, dicatur pendere semper à voluntatis arbitrio, vt perseueret, vel non perseueret, recipitur manifestus Pelagianismus, & ponuntur homines sacrilegi, vt sint liberi*, &c. Hæc Dordrechtanæ Synodi obiectio, ex ipso Caluino petita, cui Malderus ita respondet: *Quis vnquam Pelagianum esse dixit, si Deus ita dicatur ad perseuerandum hominem dirigere, armare, & gratiâ suâ munire, vt interim sit in eius etiam sic muniti arbitrio non perseuerare?* QVANDIV NON DICIS, SVIS HOMINEM VIRIBVS PERSEVERARE SINE DIVINÆ GRATIÆ DONO, ETIAMSI DICAS IN ARBITRIO IPSIVS MANERE, VT GRATIA AD PERSEVERANDVM IAM SVFFI-

CIENTER INSTRVCTVS, PERSEVERET VEL NON PERSEVERET, NIHIL PELAGIANVM DICIS, SED OMNINO ILLVD IDEM QVOD CONTRA PELAGIANOS STRENVE AGENS AVGVSTINVS *in libro suo de dono perseuerantiæ, & alibi ostendit. Qui enim bene operatur, ex Dei gratia id habet, sed Dei donum est in potestate ipsius vtentis, vt eo vti desinere possit.* Hæc Malderi responsio ad Dordrechtanæ Synodi aduersus Tridentinos Patres calumniam frangendam. Similis est illa, quam Thomas Stapletonus adhibet, Tom. 2. l. 4. c. 8. vt Chemnitium eosdem Patres Pelagianismi criminantem retundat.

Nimius sim in re satis nota, si eos omnes appellare velim, qui huius temporis Hæreticos Concilio Tridentino Pelagianismum impingentes, eâdem, quâ Stapletonus Malderúsque, ratione confutarunt. Hoc tantùm moneo, ex iis omnibus qui cum Lutheranis atque Caluinistis iusto prælio conflixere, neminem prorsus esse, qui alio modo hanc Pelagianismi notam à Catholica opinione depulerit. Quod eos verè, & ex Catholicæ Ecclesiæ sensu fecisse demonstrabo, si vincam, nullum S. Augustino cum Pelagianis de illa libertatis indifferentia certamen extitisse: sed totius controuersiæ summam in eo verti, quòd Pelagius assereret, hominem insitis à natura viribus, tam bonum posse, quàm malum amplecti: S. Augustinus verò contenderet, hominis lapsi voluntatem ad malum quidem sibi sufficere: at ad bonum eniti non posse, nisi gratiæ præsidiis subleuaretur.

Probatur itaque 1. ex iis locis quibus S. Augustinus disertè exponit, quæ fuerit Pelagij Hæresis. Paucos ex infinitis seligam, ne Aduersarij more ambitiosa testimoniorum multitudine præliari videar. Primus sit ex l. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 2. *Sunt quidam tantùm præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitus*

opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Cui germanus est alter ex Epist. 94. *Noua quædam Hæresis inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere: sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est, hominum scilicet qui tantùm audent incolumitati humanæ tribuere potestatis, vt hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quòd cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus, & Dei mandata quæ à nobis implerentur accepimus. Cæterùm ad eadem mandata seruanda & implenda, nullo Diuino adiutorio nos egere.* En cur Pelagiani de libero arbitrio nimium præsumerent. Inditas voluntati à natura vires tantas esse arbitrabantur, vt ad rectè viuendum, Deíque mandata obseruanda sufficere iactarent. Quem errorem diris omnibus S. Augustinus deuouet Epistola 89. *Illud verò quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus S. dono ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.* Hæc sunt quæ in Pelagij de libero arbitrio doctrina S. Augustinus execratur. Hæc anathemate percussit primus, & ab reliqua posthæc Ecclesia proscribenda curauit. De naturali verò libertatis indifferentia non illi mouet litem. Quod hic fecisset haud dubiè, si existimasset falsam esse & hæreticam, quam ille proferebat, liberi arbitrij notionem. Nec dixisset tantùm Pelagianos *nimium præsumere de libero humanæ voluntatis arbitrio, cùm ad non peccandum nec adiuuandos nos diuinitus opinantur.* Sed istud adiecisset, præsumere quoque illos nimium de libera voluntate, cùm eam positis omnibus ad bene agendum prærequisitis, agere posse aut non agere decernunt. Nam hoc Pelagianæ Hæresis caput extitisset, quo stante, etsi alia eius placita, quæ illi reliqui instar corporis essent, amputarentur, manebat tamen pestiferæ Hæresis virus.

Probatur 2. ex iis S. Augustini locis, quibus expres-

sè profitetur, nihil sibi cum Pelagio negotij fore, si gratiam Dei ad bene agendum necessariam esse fateatur. Ex multis duos attingam. Primus sumitur ex libro de gratia Christi. Dixerat Pelagius cap. 7. subministrari à Deo gratiæ auxilia, *vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam:* S. Augustinus hoc ipsius dictum repetens cap. 29. *Tolle*, inquit, *faciliùs, & non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus*, &c. *Cùm autem, faciliùs, additur, adimpletio boni operis, etiam sine gratia Dei, posse fieri tacita significatione suggeritur.* Ergo sanus erat Pelagij sensus, modò agnosceret libero arbitrio, quale admittebat, gratiam non tantùm concedi, vt faciliùs impleri præcepta possint, sed omnino ad ea implenda esse necessariam. Quod capite 47. ita repetit: *Si consenserit* (Pelagius) *etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus*, &c. *nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.* Concedat ergo Pelagius gratiam Christi requiri ad omnes virtutum actus: iam nihil sanctus Augustinus in eius doctrina reprehendit, quantum ad adiutorium gratiæ, & de cæteris cum eo consentit.

Alter locus petitur ex libro de natura & gratia cap. 10. vbi cùm esset contentio S. Augustinum inter & Pelagium, posséτne homo sine peccato esse, & negaret S. Augustinus posse, nisi per gratiam Dei: Pelagius significat suâ nihil interesse, *Siue per gratiam, siue per adiutorium, siue per misericordiam, & quidquid illud est, per quod esse homo absque peccato potest.* S. Augustinus ait se cùm hæc Pelagij verba legisset, *lætitiâ repentè perfusum esse, quòd Dei gratiam non negaret:* sed pergentem legere cætera, agnouisse nullum à Pelagio nisi naturæ adiutorium admitti. Si ergo Pelagius ad possibilitatem illam adiunxisset veræ adiutorium gratiæ, perfecta fuisset consensio. vnde cap. 44. cùm dixisset

Pelagius possibilitatem non peccandi, *Deo tantùm debere reputari*: sic excipit S. Augustinus: *Quid dici brevius potuit, & verius, quàm possibilitatem non peccandi, quantacumque est, vel erit in homine, non nisi Deo debere reputari? Hoc & nos dicimus, iungamus dextras.* Tum capite sequenti confessionis istius malignitatem detegit, in eo positam, quòd gratiam non agnosceret nisi naturæ, docerétque, *ipsum posse arbitrij humani non esse, sed auctoris naturæ Dei.* Hinc collige S. Augustinum de libertatis notione consentire cum Pelagio, modò gratiam non excludat, cuius auxiliis abstinere à peccato, & bene agere possimus. Quò spectat illud Auctoris librorum Hypognosticon libro 3. *Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, quòd sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, nec perficere possit, Catholicus est.* An non istud defendunt, quos noua secta recentes Pelagianos per summam iniuriam atque calumniam appellat?

Probatur 3. ex Conciliis & Romanis Pontificibus, à quibus Pelagianorum hæresis damnata est. Hoc vnum proscribunt, vnum hoc feriunt Anathemate: Gratiam Dei ad bene agendum non esse necessariam. Ita Patres Concilij Carthaginensis in Epistola ad Innocentium, quæ est inter Augustinianas 90. *Quicumque dogmatizat, & affirmat, humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, Anathema sit.* Quod à Pelagianis affirmatum fuisse paulò antè tradiderant: *Isti asserunt, sicut à fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognouimus, in eo Dei gratiam deputandam, quòd talem hominis instituit, creauítque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in litteris datam.* Et paulò pòst: *Persuadere non cessant, ad operandam perficiendámque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam.* Cui Epistolæ ita respondet

Innocentius, vt hunc vnum errorem in Pelagianis condemnet. *Quisquis huic assentiens videtur esse sententiæ, quo dicat adiutorio nobis non opus esse Diuino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum.* Patres quoque Conc. Mileuitani in ea Epistola, quam ad eundem Innocentium scripsere, id vnum Pelagianis hæresi vertunt, quòd voluntatem sine gratiæ auxilio ad vitandas tentationes firmam, ac robustam dicerent. Nam vbi ita sunt auspicati: *Noua quippe hæresis, & nimium perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi:* illam in eo sitam esse aiunt, quòd dicat: *In nostra esse positum potestate, ne in peccatum tentati decidamus, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis.* Quibus consentanea scribunt Aurelius, aliíque Episcopi Epistola ad eundem Innocentium, quæ apud S. Augustinum legitur ordine 95. *Naturam humanam tantùm dicunt valentem, vt suis viribus in origine suæ creationis acceptis, possit per liberum arbitrium, nihil vlterius adiuuante illius gratiâ qui creauit, domare, & extinguere omnes cupiditates, tentationésque superare.* Non alio titulo Pelagiani, inimici gratiæ Christi, aut liberi arbitrij laudatores superbi, à Conciliis & Romanis Pontificibus appellantur: nec aliam ob causam pelluntur Ecclesia, & Apostolicis fulminibus percutiuntur, quàm quòd necessariam ad bene agendum Christi gratiam abnegarent. De illa verò voluntatis flexibilitate, quâ positis omnibus ad agendum prærequisitis agere possit, & non agere, nullum illis negotium aut à Conciliis, aut à Romanis Pontificibus exhibetur.

Probatur 4. ex aliis Patribus, qui de Pelagianorum hæresi scripserunt, quique omnes in id consentiunt, ideo Pelagianos liberum arbitrium nimio plus extulisse, quòd illud sine gratiæ præsidio & peccata vitare, & omnes capere posse virtutes prædicarent. Ita S. Hieronymus, qui in nascentem Pelagij hæresim primus omnium decertauit. *Ipsum*, inquit in Epistola ad Ctesi-

phontem, *liberum, vt diximus, arbitrium Dei nititur auxilio: Illiúsque per singula ope indiget. Quod vos non vultis, vt qui semel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat.* Quod superiùs sic exposuerat: *Ita Dei gratiam ponunt, vt non per singula opera eius nitamur, & regamur auxilio: sed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis, vt in eo Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio poßimus & eligere bona, & vitare mala: & non intelligunt ista dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet.* Tum paucis interpositis: *Asserunt se per arbitrij libertatem nequaquam vltra necessarium habere Deum, & ignorant scriptum: quid habes quod non accepisti?*

Non aliter Venerabilis Beda l. 1. in Cantic. cap. 1. Iuliani Pelagianorum disertissimi de libero arbitrio errorem exponit. *Docet*, inquit, *nos per arbitrium liberæ voluntatis, posse bona facere quæ volumus, quamuis per auxilium gratiæ Dei faciliùs ea perficere queamus. quo modo viantes iter & pedibus quidem peragere valemus, sed minore, absque dubio, labore cùm nobis equi quibus vehamur affuerint: immemor Apostolicæ admonitionis, quâ dicit, cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere. Et, quod est grauius, impugnator eius, qui non ait: sine me modicum quid potestis: sed, sine me nihil potestis facere.*

Accedit S. Thomas, qui cùm sæpissimè Pelagianorum meminerit, non alium circa liberum hominis arbitrium errorem illis tribuit, quàm quòd internam Christi gratiam, siue ad bene agendum, siue ad vitanda peccata necessariam non esse defenderent. Sic quæst. 24. de libero arbitr. art. 12. in corp. *E contrario surrexit Pelagius, qui volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei aduersatus est, dicens, absque Dei gratia hominem peccatum euitare.* Et l. 3. contra gentes cap. 155. *Per hoc autem excluditur error Pelagianorum, qui dixerunt, quòd ad perseuerandum in bono, sufficit homini liberum arbi-*

trium, nec ad hoc indiget auxilio gratia.

Qui attentè perpenderit, quæ hoc duplici paragrapho de Pelagiana hæresi disputaui, fatebitur profectò, Pelagianismi maculam, quam Concilio Tridentino & Pontificiis omnibus Caluinistæ asperserunt, superiori Ioannis Malderi, aliorúmque Catholicorum responsione egregiè fuisse detersam.

PARAGRAPHVS III.

Illud ipsum ampliùs probatur nobili S. Augustini loco, quem Aduersarij petita ex Martino Chemnicio ineptissima explicatione fœdè corrumpunt.

QVÆ sit Catholicorum de gratia & libero arbitrio sententia disertissimè S. Augustinus tradidit libro de spiritu & littera cap. 34. *Attendat,* inquit, *& videat non ideo tantùm istam voluntatem Diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus: siue extrinsecus per euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat: siue intrinsecus vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem,* SED CONSENTIRE VEL DISSENTIRE PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat: profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos.* CONSENTIRE AVTEM VOCATIONI DEI, VEL AB EA DISSENTIRE, *sicut dixi,* PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Tum occupat quod Aduersarij nobis tam sæpe ingerunt. *Quæ res,* inquit, *non solùm non infirmat,*

firmat, quod dictum est. Quid enim habes quod non accepisti: verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hæc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere vtique ACCIPIENTIS ET HABENTIS EST.

Hoc librorum omnium, quos S. Augustinus aduersùs gratiæ aut liberi arbitrij hostes exarauit, compendium: hæc Catholicæ veritatis de vtraque quæstione summa: hic aduersùs Pelagianos, Manichæos, Lutheranos, Caluinistas, aliásque eiusmodi pestes murus aheneus. Nam Pelagianam quidem hæresim hæc verba perimunt: *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & agamus*, &c. *Et in omnibus misericordia eius præuenit nos*. Manichæam verò, Lutheranam atque Caluinianam sequentia obterunt: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.*

Et verò ex hoc S. Augustini loco, sic tanquam ex Catholicæ veritatis armamentario, posteriora Concilia Tridentinum, Senonense, atque Coloniense illa tela deprompserunt, quibus recentes hæreses confixere. Nam inde expressus est ille Concilij Tridentini Canon, quo statuitur, hominem posse præuenienti gratiæ dissentiri. Indidem haustum est illud Concilij Senonensis decretum: *Non est tale trahentis Dei auxilium cui resisti non possit.* Item illud Concilij Coloniensis: *Septimò retinendum est*, SITVM ESSE IN HOMINIS VOLVNTATE, VT GRATIAM DEI OBLATAM VEL ACCIPIAT, VEL REPVDIET. Quemadmodum, *Sole lucente qui super omnes oritur, libera est intuitio, hominíque liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat; aut aperire, vt recipiat. Haud secus impio liberum est præueniente se Diuinæ illuminationis gratiâ à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere: Deo præuenienti & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti, dare vel negare consensum, velle vel nolle pœnitere.*

Nugatur hîc Censor Chemnitius apud Stapletonum Tomo 2. lib. 4. cap. 4. dum pugnat illam S. Augustini sententiam à Tridentinis Patribus fuisse deprauatam: nec aliud S. Augustinum voluisse, quàm consentire, & dissentire esse officia voluntatis. Quia, inquit, *Augustinus dicit consentire, & dissentire propriè esse voluntatis, sicut dicimus intelligere proprium esse mentis, velle voluntatis.* Quam à Chemnitio responsionem nouus Doctor mutuatus est, atq; his verbis expressit: *Non significatur aliud istis & similibus locis, quàm quod velle, & nolle, consentire & dissentire, credere vel non credere, officia sunt voluntatis. Sicut intelligere officium est mentis.*

Libro 2. de grat. Christi cap. 34.

Nusquam Chemnitius magis apertè indicauit, quàm esset in corrumpendis SS. Patrum sententiis temerarius, quàm cùm illud S. Augustini testimonium tam ineptâ glossâ lacerauit: nusquam opinionis nouæ Artifex clariùs prodidit manifestæ veritati obluctari se, quàm cùm stramineum illud Chemnitij aduersùs Tridentinos Patres dimicantis scutum arripere coactus est, vt quæ in illum ex S. Augustino tela vibramus propulsaret. Quid enim absurdius dici, aut cogitari potest, quàm S. Augustinum inculcare toties, & probare pluribus, *Propria esse voluntatis consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire*, si his verbis id vnum pugnat, consentire aut dissentire officia esse voluntatis? An timendum sancto Augustino fuit, ne quis arbitraretur, consentire, & dissentire, non voluntatis, sed intellectus aut phantasiæ munus esse? Quis vnquam negauit velle officium esse voluntatis, sicut intelligere officium est intellectus? Quid ergo S. Augustinus tot verbis id vnum contenderet, quod nemo inficiatur?

Confirmatur 1. S. Augustinus contra Manichæos disputans frequenter eadem verba vsurpat, docétque aduersùs fanatica illorum delitia, *propriè voluntatis esse consentire & dissentire:* At Manichæi non negabant consentire & dissentire esse officia voluntatis; sed

vtrumque affirmabant necessariò ab illa fieri. Ergo cùm ait sanctus Augustinus consentire vel dissentire propriç esse voluntatis, id maximè pugnat, non hæc ab ea necessariò fieri. Nititur hæc argumentatio iis omnibus quæ de Manichæorum opinione vberrimè disserui: atque hoc præcipuè loco ex disputatione contra Secundinum Manichæum cap. 19. quo S. Augustinus contendit animam non consentire voluntate, si carnis illecebris ita ad hunc consensum pellicitur, vt non sit in eius potestate aliter facere.

Confirmatur 2. ex particula, *vel*, quæ ancipitem, & ad vtrumlibet expeditam voluntatis facultatem non obscurè designat. Quis enim de intellectu omnibus ad operationem suam necessariis instructo sic affirmet: Proprij est intellectus intelligere vel non intelligere? Quis de oculis apertis & temperata luce collustratis ita pronuntiet: Oculorum est propositum sibi obiectum videre, vel non videre? Nemo Philosophus ita loquatur: quia his verbis non significatur tantùm, videre & non videre munera esse oculorum, non aurium; sed illud etiam innuitur, situm esse in oculorum potestate vt propositum sibi obiectum videant, aut non videant. Explicatur ampliùs: si valet Chemnitij interpretatio, quàm verè à S. Augustino dicitur, consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ esse voluntatis: tam verè de equo dici poterit, eius esse appetitus oblatum cibum appetere, vel respuere, quia appetere & respuere tam sunt officia appetitus equini, quàm consentire, & dissentire munera sint voluntatis humanæ.

Confirmatur 3. Fictitia hæc Chemnitij interpretatio, sic eius opinionem ex vna parte subleuat, vt eam aliunde grauiùs vulneret. Nam inde certò illud colligitur, dari modò ex S. Augustini mente gratiam aliquam internam, cui voluntas reipsa dissentiat. Neque enim verè dici potest, munera esse voluntatis consentire vocationi Dei internæ, vel ab ea dissentire, nisi aliqua sit

vocatio interna, cui voluntas dissentiat, quemadmodum alia est, cui consentit. Illustratur exemplo, nemo dixerit munera esse voluntatis amare bonum quà bonum, vel illud odisse; quia voluntas bonum quà bonum nunquam odit; Ergo à pari si voluntas nunquam dissentit vocationi Dei internæ, dici non potest: munera esse voluntatis vocationi Dei internæ consentire, vel ab ea dissentire.

Fractus est opinor imbellis ille Chemnitij clypeus, quem vnum opponit pluribus S. Augustini testimoniis, ex quibus Concilij Tridentini canon, quem hîc oppugnat, expressus videbatur. Placet tamen validiori telo illum perrumpere, vt Concilij Tridentini de Censore suo victoria sit illustrior, & noua opinio, quæ sub hoc Chemnitij scuto delitescit, extremo vulnere confodiatur. Quod vt præstem, pauca quædam obseruanda, quæ caliginem, quam Aduersarij huic quæstioni plurimam offudere, discutient.

Obseruandum 1. Caluinistas damnari, quòd in salutis negotio humanæ voluntati cooperationem adimant. Pestiferum illud dogma tuetur Caluinus libro 2. Inst. cap. 3. num. 11. & 12. vbi & Catholicos ridet, quòd liberi arbitrij cum gratia concurrentiam ex hoc S. Pauli loco confirment: *Plus omnibus iis laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* Quem in errorem inductos fuisse ait, ex præpostera versione, in qua Græci articuli vis omissa fuit, quæ, si exprimatur, hunc sensum efficiet: *Non ego, sed gratia Dei, quæ mihi aderat.* Qua de re pluribus agit in commentariis ad hunc S. Pauli locum, vt videre est apud Stapletonum in Antidotis Apostolicis in cap. 15. Epistolæ 1. ad Corinth. Eandem opinionem defendunt acriter Caluinistæ omnes, ac præcipuè Dordrechtanæ Synodi Proceres ad Articulum 3. & 4.

Obseruandum 2. Caluinum cùm illud cooperationis nomen tam seuerè abigit, non omnem voluntati

actionem adimere. Fatetur enim voluntatem physicè ac sponte motus illos producere quibus rectè, & ex virtute viuimus. Vnum hoc negat, voluntatem ad illos actus liberè concurrere, prout liberum à voluntario distinguitur. Quæ Caluini mens ex iis, quæ libro primo disputaui, adeo manifestè cernitur, vt opus non sit plura ad illam explicandam testimonia congerere. Neque verò aliter Caluini sententiam referunt, & confutant Catholici. Didacus Aluarez libro 3. de Auxiliis Disput. 22. num. 31. *Caluinus*, inquit, *confessus est nostrum arbitrium cooperari quidem efficienter Deo efficaciter mouenti ad consensum, non tamen cooperari liberè, sed spontaneè duntaxat.* Idem affirmant Pennottus libro 9 in Prooemio, & Stapletonus Tomo 2. libro 4. cap. 3. & sequentibus.

Obseruandum 3. in hominis conuersione duo esse distinguenda. Primum est, gratia præueniens, seu cælestis illa delectatio, quam Deus diffundit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, quámque Aduersarius libro 4. de gratia Christi cap. 10. demonstrat, *esse actum vitalem & indeliberatum animæ; & quidem amoris ac desiderij præcedentis consensum.* Secundum est, consensus ipse voluntatis, qui ex præuenientis illius gratiæ impulsu, & voluntatis cooperatione nascitur. Fatentur Doctores Catholici gratiam illam præuenientem *fieri in nobis sine nobis*, & liberum arbitrium ad illius productionem nihil cooperari; quia licèt illa sit actus voluntatis, adeóque efficienter, ac sponte à voluntate productus, non producitur tamen ab illa liberè, prout liberum à voluntario distinguitur. Ita Stapletonus libro 4. cap. 5. & 7. quod & vulgò tradunt Theologi, Doctorésque Catholici.

Ex quibus satis opinor innotescit quæ sit Catholicos inter atque Caluinum de voluntatis cooperatione disceptatio. Nimirum, pugnat Caluinus hominem nihilo plus conferre ad consensum voluntatis, quàm

ad præuenientis gratiæ productionem: ita vt ad vtrumque efficienter quidem ac sponte: at non liberè, prout liberum à voluntario secernitur, concurrat. Atque adeo quemadmodum Catholici asserunt gratiam præuenientem fieri in nobis sine nobis, neque voluntatem aliquid agere in eius productione, sic affirmat Caluinus voluntatis consensum, fieri in nobis sine nobis, nec voluntatem ad illius productionem aliquid conferre; quia illum consensum sponte quidem & efficienter producit: at non liberè, prout liberum à voluntario discrepat. Quam Caluini opinionem Doctores Catholici asserunt damnari his Concilij Tridentini verbis sessione 6. Can. 4. *Qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti*, &c. Hinc illa verba Didaci Aluarez disputatione 3. de Auxiliis num. 17. *Sexta* HÆRESIS *est, Deum ita inchoare & perficere in nobis bonum opus mouendo liberum arbitrium, vt nostra voluntas non liberè, sed solùm motu spontaneo motionem Diuinam subsequendo cooperetur. Ita Caluinus libro 2. Inst. cap. 3.* &c. Et numero sequenti: *Septima* HÆRESIS *Lutheranorum affirmat, Gratiam Dei ita esse efficacem ex se ipsa, vt nostra voluntas eidem non cooperetur liberè, sed solùm spontaneè, vltro, & non coactè: ita Caluinus libro 2. Institut. cap. 3. num. 11.* &c.

Nemo non videt nuperam opinionem cum hac Caluini sententia ita congruere, vt ouum ouo similius non sit: ac proinde vtramque Concilij Tridentini canone ex æquo percelli. Percellitur quoque superiori S. Augustini testimonio, & Chemnitiana glossa apertè reiicitur. *Nemo*, inquit, *habet in potestate quid ei veniat in mentem; Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Tum paulò pòst: *Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Quibus verbis manifestè distin-

guit gratiam præuenientem, & consensum voluntatis. Negat gratiam præuenientem, quæ ex eius opinione est actus voluntatis indeliberatus, esse in potestate voluntatis: asserit autem esse in potestate voluntatis consensum ipsum. Vnde sic disputo: Cùm S. Augustinus ait, *propria esse voluntatis consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire*, aliquid voluntati tribuit respectu consensus aut dissensus, quod illi non conuenit respectu volitionis indeliberatæ, quæ gratia præueniens est: At voluntati conuenit respectu volitionis indeliberatæ, quæ gratia præueniens est, vt voluntatis, non alterius facultatis, officium sit illam volitionem efficienter producere: Ergo cùm S. Augustinus ait, *propria esse voluntatis consentire, vel dissentire*, non id tantùm voluntati tribuit, vt illius, non alterius facultatis, officium sit consensum aut dissensum efficienter producere.

CAPVT QVARTVM.

Sancti Augustini doctrinam de gratia sanitatis, *&* gratia medicinali *à nouæ opinionis fautoribus deprauari.*



EXTORSIT Caluinus suâ in Tridentinos Patres maledicentiâ, vt hanc quæstionem, quam strictim tantùm & obiter libare decreueram, accuratiùs tractarem. Clamat ille in Antidoto ad sess. 6. gratiam medicinalem non esse eiusmodi, cui voluntas assentiatur aut dissentiatur, si velit; cùm τὸ, *si velit*, propria sit nota, ac veluti character gratiæ sanitatis, quæ citra Pelagianismum homini lapso tribui non possit. Quod vbi ex celebri S. Augustini loco libro de cor-

rept. & gratia cap. 11 & 12. probare conatus est, Tridentinis Patribus insultat, quasi illo canone, quo sanciuerunt hominem lapsum excitanti gratiæ *posse dissentiri, si velit*, gratiam sanitatis, cuius τὸ, *si velit*, nota est, homini lapso tribuerint. Atque hoc argumentum, quasi fatalem diruendæ Catholicorum opinioni machinam, non Tridentinis modò Patribus, sed etiam Alberto Pighio, Doctoribus Sorbonicis, aliísque Romanæ Ecclesiæ defensoribus passim, & importunè ingerit.

Cùm Gabriel Pennottus libro 9. Propugnaculi libertatis cap. 13. hanc Caluini rationem in hæc verba proposuisset: *Præter auctoritates Diuinæ scripturæ proferunt Hæretici auctoritatem S. Augustini*, &c. *Profert Caluinus lib. 2. Inst. cap. 3. testimonium Augustini in libro de corrept. & gratia dicentis, gratiam persistendi in bono Adæ fuisse datam, si vellet: nobis dari*, &c. de illa vniuersim ita pronuntiat: RESPONDEO NON ESSE ISTAM SENTENTIAM AVGVSTINI, SED COACERVATIONEM MVLTORVM MENDACIORVM A CALVINO COMPOSITAM. Verùm istud non persuaserit nouæ opinionis consecraneis, qui hoc Caluini argumentum à Doctore suo recoctum deosculantur, tantíque faciunt, vt in Annotationibus ad librum de correptione & gratia quem Gallicè verterunt, illud appellent *Augustinianæ Doctrinæ clauim*, & in Examine propositionum excerptarum &c. pag. 99. *S. Augustini Doctrinæ annulum, qui cæterorum dogmatum catenam trahit*

Ipse quoque nouæ opinionis auctor magnificè illud deprædicat, séque non obscurè eius instauratorem profitetur. Hinc ambitiosus ille titulus capitis tertij libri 2. de gratia Christi. *Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis à recentiorum notitia valde abstrusum.* Quos tandem recentiorum nomine hîc appellat? Scriptorésne tantùm Catholicos? An Lutheranos etiam atque Caluinistas

uiniſtas? Si Catholicos tantùm : fateor quidem ex iis prorſus nullum iſtam opinionem tueri : nego tamen ab eorum notitia valde abſtruſam eſſe. Vix eſt enim vllus ex iis, qui ſe Caluini ſtrage nobilitarunt, qui illius ſententiæ non meminerit, quíque illam, vt erroneam atque Hæreticam, pluribus non oppugnet. Ita Albertus Pighius libro 4. de libero arbitrio, Franciſcus Horantius libro 1. contra Caluinum cap. 55. Gabriel Pennottus libro 9. cap. 13. Cardinalis Bellarminus Præfatione de libero arbitrio, & Ioannes Malderus Epiſcopus Antuerpienſis in 1. 2. de diuiſione gratiæ dubio 4. Iam verò ſi recentiorum nomine Caluiniſtas etiam atque Lutheranos cenſet : quo pudore ait, diſcrimen vtriuſque gratiæ (prout ab illo explicatur) à recentiorum notitia valde abſtruſum eſſe ? Quid enim ? An fuit Caluino abſtruſum ? qui illud Tridentinis Patribus, Sorbonicis, Alberto Pighio, aliiſque Doctoribus Catholicis tam ſæpe ingerit ? An ignotum fuit Theodoro Bezæ, Petro Martyri, Paulo Ferrio, Ioanni Scharpio, qui illud perpetuò nobis occinunt ? Non eſt tamen quòd diffitear, diſcrimen illud vtriuſque gratiæ nouo Doctori, quàm Caluino notius videri. Nam hic vicies tantùm illius meminit : ille verò ſeptuagies ſupra centies, vt ipſe numeraui. Quàm longè verò, quámque immaniter in hac Auguſtinianæ Doctrinæ baſi à S. Auguſtino diſſideat, hoc integro capite demonſtrabo, cuius hæc erit partitio.

Oſtendam primò, gratiæ medicinali à S. Auguſtino tribui, quidquid Aduerſarius gratiæ ſanitatis proprium eſſe contendit.

Oſtendam ſecundò, quidquid Aduerſarius gratiæ medicinali ſingulariter adſcribit, gratiæ quoque ſanitatis à S. Auguſtino tribui.

Oſtendam tertiò, quid ſit ex S. Auguſtini mente inter vtramque gratiam diſcriminis.

SECTIO I.

Quæ Aduersarius gratiæ sanitatis propria esse contendit, gratiæ quoque medicinali à S. Augustino tribuuntur.

Libro de gratia primi hominis cap. 7. 8. 14. 15. libro 2. de gratia Christi cap. 3. 4. 6. 7. 8. &c.

PVGNAT nouæ opinionis artifex gratiæ sanitatis hunc esse characterem, vt à voluntate admitti pariter, aut repudiari possit. Quod iis argumentis probat, quæ vim habere suam non possunt, quin illud ipsum de gratia medicinali conficiant.

PARAGRAPHVS I.

Argumenta, quibus Aduersarius probat, ex mente S. Augustini gratiæ sanitatis proprium esse, vt agendi necessitatem non inferat, idem de gratia medicinali efficiunt.

PRIMÒ, aliquot S. Augustini testimonia profert, quibus expressis verbis asseritur, Deum Adamo *permisisse atque dimisisse facere quod vellet*, & gratiam in eius arbitrio reliquisse. At nihilo pauciora sunt, quæ de homine lapso idem prorsus, iisdémque verbis affirmant; Ergo homini quoque lapso ex S. Augustini mente integrum est gratiam Dei oblatam acceptare, vel respuere. Possem hîc vnico S. Augustini testimonio defungi, adeo insigne est illud, & extra omnes Aduersariorum cauillationes positum. Sumitur ex libro 2. contra Petilianum cap. 84. *Si tibi proponam quæstionem*, inquit, *quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos* IN LIBERO DIMISIT ARBITRIO, *fortasse eam difficilè soluturus est.* QVOMODO ENIM ATTRAHIT

SI DIMITTIT, VT QVIS QVOD VOLVERIT ELIGAT; ET TAMEN VTRVMQVE VERVM EST, SED INTELLECTV HOC PENETRARE PAVCI VALENT. *Si ergo fieri potest vt quos in libero dimisit arbitrio attrahat tamen ad Filium Pater; sic fieri potest, vt ea quæ legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Hæc S. Augustinus scribit ad Donatistarum querelas retundendas, qui cùm propositis suppliciis ab hæresi sua deterrebantur, de Catholicis grauiter expostulabant in hæc verba: *Cur vos non liberum arbitrium vnicuique sequi permittitis, cùm ipse tamen Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus?* Respondet S. Augustinus, liberum arbitrium legum coërcitionibus non eripi, quemadmodum Diuinâ per gratiam tractione non adimitur. Vnde concludit: *Nemo ergo vobis aufert liberum arbitrium, sed vos diligenter attendite quid potiùs eligatis, vtrum correcti viuere in pace, an in malitia perseuerantes falsi martyrij nomine vera supplicia sustinere.* Quâ ex disputatione certissimè conficitur, quod pugno. Primò, quia clarissimè, & expressis verbis de homine lapso S. Augustinus asserit, quod Aduersarij ad integrum tantùm pertinere arbitrantur; Nimirum, *Deum* per gratiam *homines trahere,* & tamen *in libero dimittere arbitrio, vt quis quod voluerit eligat.* Secundò, quia inepta esset illa comparatio, & contra S. Augustinum faceret, si Diuina tractio in hominis potestate non relinqueret, obsequi, vel non obsequi. Nam Petilianus, ex illa continuò colligeret legum coërcitiones libertatem ad vtrumlibet homini adimere. Quod vnum contendebat.

Plures sunt S. Augustini loci, quibus nihilo obscurius de homine lapso, quàm de integro affirmat, Diuinam tractionem in eius arbitrio relinqui. Sic libro de gratia & libero arbitrio cap. 2 homini lapso accommodat illud Ecclesiastici 15. *Ipse ab initio fecit illum, & reliqui illum in manu consilij sui.* Et libro Quinquaginta Homi

SECTIO I.

Quæ Aduersarius gratiæ sanitatis propria esse contendit, gratiæ quoque medicinali à S. Augustino tribuuntur.

Libro de gratia primi hominis cap. 7. 8. 14. 15. libro 2. de gratia Christi cap. 3. 4. 6. 7. 8. &c.

PVGNAT nouæ opinionis artifex gratiæ sanitatis hunc esse characterem, vt à voluntate admitti pariter, aut repudiari possit. Quod iis argumentis probat, quæ vim habere suam non possunt, quin illud ipsum de gratia medicinali conficiant.

PARAGRAPHVS I.

Argumenta, quibus Aduersarius probat, ex mente S. Augustini gratiæ sanitatis proprium esse, vt agendi necessitatem non inferat, idem de gratia medicinali efficiunt.

PRIMÒ, aliquot S. Augustini testimonia profert, quibus expressis verbis asseritur, Deum Adamo *permisisse atque dimisisse facere quod vellet*, & gratiam in eius arbitrio reliquisse. At nihilo pauciora sunt, quæ de homine lapso idem prorsus, iisdémque verbis affirmant; Ergo homini quoque lapso ex S. Augustini mente integrum est gratiam Dei oblatam acceptare, vel respuere. Possem hîc vnico S. Augustini testimonio defungi, adeo insigne est illud, & extra omnes Aduersariorum cauillationes positum. Sumitur ex libro 2. contra Petilianum cap. 84. *Si tibi proponam quæstionem*, inquit, *quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos* IN LIBERO DIMISIT ARBITRIO, *fortasse eam difficilè soluturus est.* QVOMODO ENIM ATTRAHIT

SI DIMITTIT, VT QVIS QVOD VOLVERIT ELIGAT; ET TAMEN VTRVMQVE VERVM EST, SED INTELLECTV HOC PENETRARE PAVCI VALENT. *Si ergo fieri potest vt quos in libero dimisit arbitrio attrahat tamen ad Filium Pater; sic fieri potest, vt ea quæ legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Hæc S. Augustinus scribit ad Donatistarum querelas retundendas, qui cùm propositis suppliciis ab hæresi sua deterrebantur, de Catholicis grauiter expostulabant in hæc verba: *Cur vos non liberum arbitrium vnicuique sequi permittitis, cùm ipse tamen Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus?* Respondet S. Augustinus, liberum arbitrium legum coërcitionibus non eripi, quemadmodum Diuinâ per gratiam tractione non adimitur. Vnde concludit: *Nemo ergo vobis aufert liberum arbitrium, sed vos diligenter attendite quid potiùs eligatis, vtrum correcti viuere in pace, an in malitia perseuerantes falsi martyrij nomine vera supplicia sustinere.* Quâ ex disputatione certissimè conficitur, quod pugno. Primò, quia clarissimè, & expressis verbis de homine lapso S. Augustinus asserit, quod Aduersarij ad integrum tantùm pertinere arbitrantur; Nimirum, *Deum* per gratiam *homines trahere,* & tamen *in libero dimittere arbitrio, vt quis quod voluerit eligat.* Secundò, quia inepta esset illa comparatio, & contra S. Augustinum faceret, si Diuina tractio in hominis potestate non relinqueret, obsequi, vel non obsequi. Nam Petilianus, ex illa continuò colligeret legum coërcitiones libertatem ad vtrumlibet homini adimere. Quod vnum contendebat.

Plures sunt S. Augustini loci, quibus nihilo obscurius de homine lapso, quàm de integro affirmat, Diuinam tractionem in eius arbitrio relinqui. Sic libro de gratia & libero arbitrio cap. 2 homini lapso accommodat illud Ecclesiastici 15. *Ipse ab initio fecit illum, & reliqui illum in manu consilij sui.* Et libro Quinquaginta Homi

liarum homil. 16. IN TVO ARBITRIO DEVS POSVIT, CVI PARES LOCVM, DEO AN DIABOLO. Et Sermone 47. de Sanctis. *In potestate nostra posuit qualiter in die iudicij iudicemur, &c. in te enim posuit, quod requirit.* Quod & S. Hieronymus disertissimè pronuntiat in caput 49. Isaiæ. *Dei vocare est*, inquit, *& nostrum credere; nec statim si nos non credimus impossibilis Deus est; sed potentiam suam* NOSTRO ARBITRIO DERELINQVIT, *vt iustè voluntas præmium consequatur.* Quæ est illa Dei potentia, quam in arbitrio nostro dereliquit, nisi gratia Dei, qua nos vocat, & ad bene agendum armat, atque instruit, ita vt postea in nobis positum sit, bonum eligere, vel relinquere, secundùm illud S. Augustini, vel Fulgentij libro de Prædestinatione & gratia cap. 9. *Ita inter se, & homines Deus tempora, officiáque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus; vocati autem & illuminati, viam mandatorum eius boni ingenij intelligentia nosceremus*, ET EA LIBERO ELIGEREMVS, VEL RELINQVEREMVS ARBITRIO.

Secundò, libertatem ad vtrumlibet homini lapso idcirco Aduersarius asserit, quod Adamus dicatur habuisse in potestate dæmoni consentire aut dissentire, Deúmque vocantem repellere aut sequi. Quod S. Augustinus cùm vbique passim, tum præsertim Sermone 34. de diuersis clarissimè affirmat. *Vt subderetur Adam diabolo seductori, fuit in eius libero arbitrio, quod ad inferiora declinando superiora deseruit, & aurem præbuit serpenti, aurem clausit ad Deum: atque constitutus inter præceptorem & seductorem, magis seductori, quàm præceptori obtemperare elegit*, &c. Verùm si locus iste, aliíque consimiles ad probandam in Adamo libertatis indifferentiam aliquid possunt, vt sanè plurimum possunt, nobis licèt concupiscentiæ pondere oppressis eadem libertas ad vtrumlibet multò certiùs ex aliis S. Augustini locis vindicatur. Hunc vnum expende longè pulcherrimum ex li-

bro Quinquaginta Homiliarum homil. 12. *Cùm per Dei adiutorium in potestate tua sit, vtrum consentias diabolo: quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas?* SI ENIM SOLVS DIABOLVS DARET CONSILIVM, ET DEVS TACERET, HABERES QVO EXCVSARI POSSES. *Cùm verò Christus tibi conscientiâ tuâ contradicat, & per Scripturas Diuinas audias in Ecclesia, quòd non debeas facere malum, quare eligis mortem, & deseris vitam: & magis vis sequi diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Christo, qui te inuitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos fratres charissimi, quare satanas seducit ad peccandum*, CVM DEVS POSVERIT HOMINI IN POTESTATE NON CONSENTIRE SATANÆ? *Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens satanas, homo in medio constitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum; quare non potiùs erigitur ad Deum? non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Nos diabolum non adiuuemus, & vincimus. Dat quidem ille consilium, sed* DEO AVXILIANTE NOSTRVM EST VEL ELIGERE, VEL REPVDIARE QVOD SVGGERIT.

Estne aliquis in S. Augustino locus, qui clarioribus verbis libertatem ad vtrumlibet homini integro adscribat? Estne aliquis, quo expressiùs Diuinum adiutorium primo homini ad non peccandum adfuisse tradatur? Quid his verbis apertius? *Cùm per Dei adiutorium in potestate tua sit, vtrum consentias diabolo: quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas?* Possúntne hæc verba ad illum fieri, qui gratiâ ad frangendos dæmonis impetus necessariâ careat? Quid ad eandem gratiam sufficientem stabiliendam efficacius sequenti sententia? *Si solus diabolus daret consilium, & Deus taceret, haberes quo excusari posses. Cùm verò Christus tibi conscientiâ tuâ contradicat*, &c. Eâdem ratione homines naturæ infirmitatem peccatis suis prætexentes compescit libro 3. de libero arbitrio cap. 19. *Rectè fortasse,*

inquit, *quererentur si erroris ac libidinis nullus hominum victor existeret. Sed cùm vbique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem auersum vocet, doceat credentem*, &c. Quid denique ad libertatis indifferentiam cum medicinali adiutorio conciliandam his verbis illustrius? *Dat quidem ille* (dæmon) *consilium: sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere, vel repudiare quod suggerit.* Alios complures eiusdem sententiæ S. Augustini locos omitto, cuiusmodi est ille ex eodem libro homilia 16. *In tuo arbitrio Deus posuit cui pares locum Deo, an diabolo.* Omitto quoque plura Sanctorum Patrum testimonia, quæ in id consentiunt, quod scribit Bernardus sermone 5. in quadragesima. *Potest*, inquit, *inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris, dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volueris, inimicum tuum facere seruum tuum.* Nulla his locis adhiberi cauillatio potest, quæ illos pariter non impetat, quibus libertas ad vtrumlibet Adamo tribuitur.

Tertiò, primi hominis voluntatem in vtrumuis expeditam, nec Diuinâ gratiâ vni obstrictam parti inde Aduersarius colligit, quòd ex S. Augustini mente libro de corrept. & gratia cap. 11. priùs Adamus Diuinæ gratiæ adiutorium deseruerit, quàm ab illo desertus sit. S. Augustini verba sunt: *Quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est.* Valida sanè ratio, & cum primis efficax ad euincendum gratiæ, sanitatis resisti posse. Sed illa quoque pro gratia medicinali militat, cùm de hoc statu S. Augustinus scribat libro de natura & gratia cap. 26. Deus NON DESERIT, SI NON DESERATVR, VT PIE SEMPER IVSTEQVE VIVATVR. Et Tractatu 2. in caput primum Ioannis. OPVS EST VT TV NON DESERAS, ET NON DESERERIS. Cui concinit Prosper libro 2. Responsionum ad 7. obiectionem. *Dei voluntas est vt*

in bona voluntate maneatur, qui & priusquam deseratur, neminem deserit. Vnde accersitum est illud Concilij Tridentini decretum sess. 6. cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur.* Et capite 13. *Nemo vt perseueranter stet sibi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.* DEVS ENIM NISI IPSI ILLIVS GRATIÆ DEFVERINT, SICVT COEPIT OPVS BONVM, ITA PERFICIET OPERANS VELLE, ET PERFICERE.

Ludit verò Aduersarius & pueriliter ludit, cùm ait S. Augustinum, & Tridentinos Patres de illa tantùm desertione loqui, quâ Deus hominem iustum subtractione gratiæ habitualis non antè deserit, quàm ille mortali peccato se obstringat. Nam, vt à Concilio Tridentino ordiar, longè est alia eius sententia. Agit enim eo loci contra inanem, ac temerariam Hæreticorum præsumptionem, qui se prædestinatos, & perseuerantiæ munere donandos certo certius credebant: cúmque capite 12. statuisset, neminem *sine speciali reuelatione scire posse, quos Deus elegerit.* De perseuerantia ita decernit cap. 13. *Similiter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est, qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit: quod quidem haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere: nemo certi aliquid absoluta certitudine polliceatur.* Ne quis hinc tamen sibi malè ominetur, continuò adiicit: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Quis hæc verba ad gratiam habitualem detorqueat? Ait firmissimam spem in Dei adiutorio collocandam. An illud adiutorium gratia habitualis est? Rationem reddit cur ita de Diuino adiutorio bene sperare debeamus: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*

Libro 1. de grat. Christi cap. 19.

operans velle & perficere. Gratia illa, quâ Deus, nisi illi defuerimus, operabitur velle & perficere, gratia operans est, & cooperans; non igitur gratia habitualis.

Et verò, quæ esset ista bene sperandi ratio, quam nobis ostenderent Tridentini Patres? Perinde sanè facerent, ac si quis hominem vel ad ipsius mortis nomen trepidantem, sic affaretur: Bono sis animo, spera te non moriturum, nam anima tua non antè discedet à corpore, quàm corpus malè affectum illam expulerit. Rideret profectò, qui sic hominem compellaret. Rideret quoque, qui iustum sibi de perseuerantia malè metuentem his verbis bene sperare iuberet: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere debes, nam Deus non discedet ab anima tua tanquam vita eius*, Aduersarij verba sunt, *nisi ipsa peccando à Deo discesserit.* Istud equidem scio, responderet ille, at perseuerantiam sperare non possum, nisi certus sim adfuturum mihi Diuinæ gratiæ adiutorium, sine quo non potest animus quin à Deo discedat. Quam in rem appositè S. Thomas lectione 1. in cap. 1. Epist. 1. ad Corinth. *Debetis sperare quia Deus est fidelis: non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret ad societatem filij, & nobis negaret quantùm in ipso est, ea, per quæ peruenire ad eum possemus. Vnde Iosue 1. dicit, non te deseram, neque derelinquam.*

Nihilo feliciùs se à S. Augustino Aduersarius expedit. Nam eo loco, quem protuli ex libro de natura & gratia cap. 26 tam clarè de actuali gratia, non de habituali S. Augustinus loquitur, vt nemo, nisi insigniter pertinax, id possit inficiari. Agit enim aduersùs Pelagium qui asserebat, Dei gratiam *delere quidem quod peccauimus, at non præstare ne peccemus.* Quibus verbis actualis gratiæ necessitatem tollebat. At eum S. Augustinus refellit ex medici cum Christo dispari similitudine. *Medicus homo*, inquit, *cùm sanauit hominem, iam de cætero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, vt eadem sanitas apto subsidio conualescat, atque persistat,*

Deo

Deo dimittit. Tum aliam cælestis medici rationem esse ait: *Ipse autem Deus cùm per mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, spiritualiter sanat ægrum, vel viuificat mortuum, id est, iustificat impium, & cùm ad perfectam vitam iustitiámque perduxerit, non deserit, si non deseratur, vt piè semper iustéque viuatur.* Hæc esse intelligenda de illa desertione, quæ gratiæ actualis, non verò habitualis subtractione fit, constat 1. quia non negabat Pelagius Deum medicum homini, quem per gratiam sanctificantem sanauerat, semper adesse per eandem gratiam dum piè iustéque viueret. Quod ex ipso Aduersario clarum est, qui fusissimè probat Pelagium de gratia habituali rectè sensisse. Constat 2. ex ratione quâ S. Augustinus efficit Deum medicum non deserere hominem sanatum. *Sicut enim*, inquit, *oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.* Non potuit clariùs actualem gratiam ab habituali secernere. vnde Aduersarius ipse hæc sæpe verba vsurpat, vt probet homini iustificato gratiam habitualem non sufficere ad bene operandum, nisi insuper actualis gratiæ præsidio corroboretur. Constat 3. ex sequentibus verbis, quibus ita S. Augustinus concludit: *Sanat ergo Deus non solùm vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne peccemus.* Non per habitualem, sed per actualem gratiam præstat ne peccemus; Ergo de actuali gratia loquitur cùm ait: Deus *non deserit, si non deseratur, vt piè semper iustéque viuatur.*

Libro 5. de Hæresi Pelagiana c. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

Agit hîc suo more Aduersarius, & ad fucum faciendum plures ex S. Augustino locos corradit, quibus eâdem medici comparatione ostendit, Deum non ita iustificare hominem, vt, si recesserit subtractione gratiæ sanctificantis, maneat in absente quod fecit. Sed quid istud ad rem nostram pertinet? cùm locus ille de quo confligimus, ita exponi non possit, quin & S. Augustini

argumentatio infringatur, & pulcherrima sententia, quâ probari gratiæ actualis necessitas solet, quáque Aduersarius vtitur persæpe, aliò per vim deflectatur. Viderant illud opinor nouæ opinionis defensores, cùm in Examine propositionum excerptarum, &c. aliam huic loco solutionem adhibere conati sunt. *Deus*, inquiunt pag. 18. *non deserit nisi priùs deseratur, vt piè semper iustéque viuatur* (pura hæc S. Augustini verba, cum quibus interpretationem hanc contexunt) *in altera sempiterna, & beata vita, vbi omnia erunt pietas & iustitia, & Deus omnia in omnibus. Ad hanc quippe vitam peruenient, qui ante finem mortalis vitæ non deserunt per peccatum mortale inhabitantem Deum, ideóque nec ab illo deseruntur.* O ingeniosam responsionem, si à S. Augustini mente paulò minus abluderet! Illam compone cum integro S. Doctoris loco, & intelliges risu potiùs, quàm refutatione dignam esse.

PARAGRAPHVS II.

Pulcherrimus S. Augustini locus ab insigni nuperi Doctoris corruptela defenditur.

PLVRIMVM facit ad libertatis indifferentiam homini corrupto asserendam nobilis ille S. Augustini locus ex libro 12. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi ponit *duos æqualiter affectos animo & corpore videre vnius corporis pulchritudinem, quâ visâ vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret.* Tum quærit, quid causæ sit cur vnus consentiat. Respondet: *Quid aliud apparet*, NISI VNVM VOLVISSE, ALTERVM NOLVISSE A CASTITATE DEFICERE? VNDE, NISI PROPRIA VOLVNTATE, VBI EADEM FVERAT IN VTROQVE CORPORIS ET ANIMÆ AFFECTIO? AMBORVM OCVLIS PARITER VISA EST EADEM PVLCHRI-

TVDO: AMBOBVS PARITER INSTITIT OCCVLTA TENTATIO. Quem locum videtur respexisse Hugo Victorinus, cùm in prioribus Annotationibus ad caput 9. Epistolæ ad Romanos ita scripsit: *De duobus quæritur æqualiter in peccato iacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur, & offertur, vnde sit quòd alter ei consentiat, & ab altero respuatur? Solutio: vtrique data est gratia quâ potuit consentire; alterius tamen mens mota est & consensit* &c.

Vidit Aduersarius quàm periculosum dogmati suo vulnus hic S. Augustini locus minaretur. Quamobrem vbi illum recitauit, & ingenuè confessus est, *videri ex hoc loco consequi etiam nunc gratiam relinqui in libero arbitrio, vtpote quæ tribuat ei posse, si velit, ipsum velle vel nolle permittendo indifferentia voluntatis:* nihil non molitur vt vim eius infringat. Ac primò, varias, quæ adhiberi solent, responsiones paucis refellit. Deinde illustriorem quandam paulò fusiùs exponit, quâ nonnulli aiunt, poni quidem à S. Augustino homines illos corpore & animo æqualiter affectos, at non pari instructos gratiâ. Idque ab eo prudenter fieri, quòd quæstio sit de causa cadendi, non standi. *Sed vt verum fatear,* inquit, *non videtur hæc responsio genuinum istius loci sensum attingere.* Quà igitur euadet, qui sibi tot effugia præcidit? Quod Caluinus libro 3. de libero arbitrio aduersùs omnes S. Augustini locos, quibus voluntatis ad vtrumlibet libertas exprimitur, vniuersim præscribit, loqui illos de homine integro, & peccati labe nondum polluto, hoc ille ad hunc S. Augustini locum per fas & nefas accommodat. *Respondeo,* inquit, *etiam hîc ostendere Scholasticos, qui illo loco pro decantata indifferentia voluntatis vtuntur, cuiusmodi gratiam pro Christi gratia inferre conentur: illam videlicet quæ primis hominibus innocentibus, atque Angelis data fuit, pro vt Massilienses aliqua ex parte tenuerunt.* Atque vbi inanes aliquot coniecturas attulit, quibus probet loqui S. Augustinum

de hominibus in statu innocentiæ degentibus, & vnius corporis pulchritudinem in eodem statu intuentibus, concludit: *Profectò locus iste non solùm nihil Aduersarios iuuat, sed etiam iugulat. Non iuuat quidem, quia non loquitur de lapsæ naturæ statu, de cuius gratia nobis disputatio est; sed de statu innocentiæ hominum, & Angelorum, in quibus prima voluntas mala, & bonæ voluntatis permansio, non ex adiutorij, sed ex voluntatis diuersitate nascebatur*, &c. Vigilabat Aduersarius cùm hæc scriberet? Certè tam aliena est à S. Augustini mente, verbísque isthæc interpretatio, vt ab homine sui compote proferri seriò non possit. Nec eam tamen profert tantùm: sed & nobis ferociter insultat, quasi cùm hoc loco vtimur ad humanæ libertatis indifferentiam post lapsum retinendam, libertatem voluntatis integræ, cum libertate voluntatis corruptæ, non sine Pelagianismi suspicione, confundamus. Sed quæso expende mecum quàm insulsa sit illa calumnia, quámque insignis corruptela, quâ pulcherrimum sancti Augustini locum fœdè deprauat.

Asserit S. Augustinum quærere eo capite quid sit causæ cur ex Angelis alij steterint, alij non steterint, eóque rem deducere, vt vincat ex eorum voluntate causam vltimam esse repetendam, quòd nempe cùm omnes stare possent, vtpote sufficienti ad perseuerandum adiutorio instructi, alij propriæ voluntatis determinatione stare voluerint, alij noluerint. Hæc omnia illi assentior; verè enim & ex S. Augustini mente dicta sunt. Addit, S. Augustinum ad hanc quæstionem luculentiùs illustrandam, exemplum ponere in duobus hominibus æquali tentatione vexatis, quorum alter tentationi succumbit, alter resistit: sed contendit velle S. Augustinum duos illos homines esse in statu naturæ integræ, non in isto, quo vitiata peccato natura est. Ego verò contrà pugno nihil absurdius, & à S. Augustini mente remotius dici potuisse.

Probatur 1. ex verbis quibus S. Augustinus hoc exemplum proponit. *Si enim*, inquit, *aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem* &c. Quis suspicetur hæc referri ad innocentiæ statum, in quo nunquam homines duo extitere, qui vnius corporis pulchritudinem videre potuerint? Quis verbum illud, *videant*, ad præsentem statum, hominésque iam existentes pertinere non putet? Si de hominibus innocentibus S. Augustinus loqueretur, id moneret expressè: ac primò poneret homines duos in statu innocentiæ existere, tum eos intueri vnius corporis pulchritudinem: atque adeo mentem suam ita enuntiaret: Si duo homines existerent in statu innocentiæ, & viderent &c. Quod eò diligentiùs faceret, quò maius esset periculum, ne ista eius disputatio ad vitiatæ naturæ statum, non sine Pelagiano errore, traduceretur.

Probatur 2. S. Augustinus loquitur de eo statu, in quo pulchritudo corporum oculis ad illicitam voluptatem lenocinetur, sic enim subtexit: *Quâ visâ vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur.* At istud in S. Augustini sententia ab innocentiæ statu longè abfuisset, cùm libro 1. Operis imperfecti folio 100. ne ferre quidem possit Iulianum affirmantem, pomi decore oculos Adami incitatos spem etiam iucundi irritasse saporis. Docet Aduersarius ipse, primos parentes etsi nudi essent, ex mutuo tamen aspectu ne ad licitam quidem voluptatem fuisse concitatos. Et persuadebit in eodem statu corporum pulchritudinem ad illicitas turpésque voluptates prouocasse. Libro de gratia primi hominis cap. 3.

Probatur 3. Manifestè S. Augustinus meminit carnalis concupiscentiæ, quæ à statu innocentiæ arceretur. *An caro*, inquit, *intuentis in causa est? cur non & illius? An verò vnius? cur non vtriusque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus.* Concupiscentiam hîc exprimi non modò constat ex eo quòd

carnis nomine à S. Paulo, & S. Augustino plerumque appellatur; sed etiam maximè, quòd si de carne concupiscentiæ experte loqueretur, vel nunquam petiisset, *an caro inuentis in causa est?* vel hoc vnum respondisset: *At illa carnali concupiscentiâ vacat*, adeóque ad peccatum prolectare non potest. Quid enim attinebat toties inculcare ponere se homines duos æqualiter corpore affectos, si de eo statu sermo erat, in quo varia corporum affectio nihil ad peccatum conferret?

Probatur 4. loquitur S. Augustinus de eo statu, in quo homo non exteriùs tantùm, sed etiam interiùs à dæmone tentaretur. Subdit enim: *An dicendum est alterum eorum occultâ maligni spiritus suggestione fuisse tentatum?* At eiusmodi suggestio occulta in statu innocentiæ locum non habuit: neque enim poterat dæmon in animam sibi nondum mancipatam aliâ viâ, quàm per externos sensus irrepere. Qua de re S. Thomas 2. 2. quæst. 165. art. 2. ad 2. ita decernit: *Suggestio, quâ spiritualiter diabolus homini aliquid suggerit, ostendit diabolum plus habere potestatis in homine, quàm suggestio exterior; quia per suggestionem interiorem immutatur à diabolo saltem hominis phantasia: sed per suggestionem interiorem immutatur sola exterior creatura. Diabolus autem minimum potestatis habebat in homine ante peccatum. Et ideo non potuit eum interiori suggestione, sed solùm exteriori tentare.* Ambrosius quoque in Commentariis ad caput 1. Epistolæ ad Romanos: *Ante præuaricationem & priusquam homo se manciparet morti, non erat dæmoni potestas ad interiora hominis accedere, & cogitationes aduersas inserere. Postquam autem circumuenit eum, potestatem in eum accepit, vt interiorem hominem pulsaret* &c. Hanc sententiam vulgò amplectuntur Theologi, probántque exemplo Christi, qui non potuit à dæmone interiori suggestione tentari.

Confirmatur, si dæmon occultâ tentatione hominis integri animum potuisset subire, hanc quoque ad

euertendum Adamum machinam adhibuisset, cùm intelligeret satis non vnius Adami, sed totius humani generis causam agi: At eo modo tentatum non fuisse Adamum testatur ipse Aduersarius libro de gratia primi hominis cap. 21. vbi de Adami lapsu ita loquitur. *Vnicam illam extrinsecus solo verbo pulsantem tentationem hîc & nunc sine adiutorio Dei vitare non potuit.* Consentit S. Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram cap. 27. *Non est permissus* Diabolus *tentare feminam, nisi per serpentem, nec virum nisi per feminam.* At cùm mulier exteriori tentatione victa peccauit, subiit eius animum dæmon, impulitque vt virum in criminis societatem traheret, *occulto instinctu adiuuans interiùs, quod exteriùs egerat per serpentem.*

Possem alia ex eâdem S. Augustini disputatione repetere, quæ inuictè conficiunt illam non posse ad innocentiæ statum traduci, quin laceretur tota, fœdéque distorqueatur: sed iis prætermissis, ad eas rationes aggredior, quæ nouum Theologum in hanc opinionem inauditam hactenus, nec minus à S. Augustini mente, quàm à communi Doctorum omnium sensu abhorrentem impulerunt. Prima quidem, quâ negat fieri hîc mentionem concupiscentiæ, fracta iam est, & explosa. Neque enim potuit expressiùs concupiscentiam designare, quàm cùm petiit, *an caro intuentis in causa est?* & cùm affirmauit, ex pulchri corporis aspectu hominem ad illicitè perfruendum moueri.

Infirmior est altera ratio, quam his verbis concipit: *Augustinus dicit ante istam voluntatem malam, nihil esse hominem nisi naturam bonam, cuius auctor Deus, cùm tamen ipse in hominibus lapsis grauißima agnoscat vitia, quorum non est auctor Deus.* Ridebis hanc argumentationem, cùm Augustinianæ disputationis finem, ex quo deprompta est, retulero. Probauit hactenus hominem illum causam esse malæ voluntatis suæ, nunc contendit non esse causam efficientem eiusdem voluntatis,

ſed tantùm deficientem. Quam in quæſtionem ſic ingreditur: *Propriam igitur in vno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit* (efficienter nimirum, non deficienter) *ſcire volentibus, ſi bene intueamur, nihil occurrit. Si enim dixerimus quòd ipſe eam fecerit, quid erat ipſe ante voluntatem malam, niſi natura bona, cuius auctor Deus.* Naturam hominis ſpectat prout à concupiſcentia diſtinctam. Probauerat enim neque obiectam oculis pulchritudinem: neque carnem, ſeu carnalem concupiſcentiam: neque occultam dæmonis ſuggeſtionem; ſed ſolam hominis voluntatem, prout ab his omnibus diſtinguitur, malæ huiuſce volitionis cauſam extitiſſe: nunc probat eandem voluntatem, vt ſic ſpectatam, eſſe tantùm cauſam deficientem; quia vt ſic bona eſt, atque adeò cauſa efficiens mali eſſe non poteſt. Audi quibus verbis id efficiat. *Qui ergo dicit eum qui conſenſit tentanti atque ſuadenti, cui non conſenſit alius, ad illicitè vtendum pulchro corpore, quod videndum ambobus pariter adfuit, cùm ante illam viſionem ac tentationem ſimiles ambo animo & corpore fuerint: ipſum ſibi feciſſe voluntatem malam, qui vtiq; bonus ante voluntatem malam fuerit: quærat cur eam fecerit, vtrum quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt. Et inueniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo natura facta eſt.* Quaſi iam de homine ſanctiſſimo dicerem, non poteſt incipere eſſe malus ex eo quòd natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo factus eſt; quia ex communi Sanctorum Patrum, ac Theologorum ſententia, poteſtas peccandi homini conuenit, quatenus ex nihilo factus eſt. Ex his omnibus S. Auguſtinus concludit: *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.* Nihil inde exculpi poteſt, quod vel in ſpeciem Aduerſario faueat.

Poſtrema eius ratio, eáque leuiſſima nititur citatis iam verbis: *Inueniet malam voluntatem non ex eo eſſe incipere &c.* Vim facit in hac voce, *incipere.* Ex qua ita argu-

arguatur: *Si ex eo incipit; ergo de prima mala voluntate sermo est, quæ nullius omnino sit pœna peccati. Hanc autem certissimum est, nullam esse, iuxta doctrinam S. Præsulis, nisi illius, qui inter Angelos aut homines primus cecidit.* Vnde paulò pòst triumphabundus concludit: *Vt sanè nihil manifestius esse possit, quàm de prima mala consensione voluntatis sermonem esse.* Sed nugari est istud, & nimis diluto colore fucum facere. Quis enim non videt, in Augustiniana disputatione verbum, *incipere,* non cuiuslibet malæ voluntatis, sed illius tantùm, quâ homo post iustificationem malus esse incipit, initium designare? Quemadmodum si quis de Iuda ita pronuntiaret: *Mala voluntas non ex eo incepit in Iuda, quia natura est, sed quia de nihilo factus est.*

Atque vt intelligas quàm temerè, quámque ineptè Aduersarius voluntatem illicitè perfruendi pulchro corpore ad primam omnino naturæ integræ volitionem malam reuocet, obserua, ex S. Augustini mente hominis in statu innocentiæ positi primum peccatum non aliud esse posse, quàm superbiam. Ita docet libro 14. de ciuitate Dei cap. 13. *Porrò,* inquit, *malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia?* Illud ipsum tradit libro 8. de genesi ad litteram cap. 13. & 14. & libro 11. cap. 30. Vnde sic disputo. Loquitur S. Augustinus de eo statu, in quo voluntas illicitè perfruendi pulchro corpore possit esse primum peccatum hominis iusti: Atqui ex S. Augustini mente voluntas illicitè perfruendi pulchro corpore non potest esse primum peccatum hominis iusti in statu innocentiæ positi; Ergo non loquitur de statu innocentiæ.

Tantùm operæ ac temporis in hac Aduersarij responsione confutanda non posuissem, si ab eo fuisset proposita modestiùs. Sed cùm illâ iactârit magnificè, & nobis insolenter ac proteruè insultârit, non potui quin hanc eius intemperiem pluribus castigarem, demonstrarémque exemplo perillustri, nunquam illum à S.

Augustino longiùs recedere, quàm cùm se eius vestigiis pressiùs inhærere gloriatur. Non premam alium S. Augustini aut Fulgentij locum superiori persimilem, quo Nabuchodonosorem cum Pharaone committit libro de Prædestinatione & gratia cap. 15. *Quantùm ad naturam*, inquit, *ambo homines erant: quantùm ad dignitatem, ambo Reges: quantùm ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio?* Hunc, inquam, locum, qui superiorem magnopere illustrat, non premam, ne Aduersarij hæc ad innocentiæ statum pertinere contendant, quòd nulla hîc concupiscentiæ mentio fiat.

Neque etiam vrgebo plures alios S. Augustini locos, quibus reprobos cum prædestinatis ita componit, vt eos quoque vocari asserat, ATQVE VT VENIRENT VOCATI, FVISSE IN EORVM LIBERA POTESTATE. Eius verba sunt libro 83. quæstionum q. 68. quod nominatim de Esaü reproborum omnium typo affirmat libro primo 1. ad Simpl. q. 2. *Noluit Esaü, & non cucurrit; sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Hos, inquam, locos non vrgebo, quia modò non vacat inanem illam responsionem excutere, quâ Aduersarius ait libro 2. de gratia Christi cap. 32. S. Augustinum loqui de sola vocatione externa. Tu, si libet, Ioannem Malderum Episcopum Antuerpiensem consule in Anti-Synodalibus pag. 150. & intelliges hanc solutionem non modò ex Caluiniana Synodo Dordrechtana fluxisse, sed etiam S. Augustino capitaliter aduersari.

SECTIO II.

Quidquid Aduersarius gratiæ medicinali singulariter adscribit, gratiæ quoque sanitatis à S. Augustino tribuitur.

MIRVM quantum nouæ opinionis fundamenta succussa sunt à nobis, cùm ex sancti Augustini mente ostendimus ea quoque medicinali gratiæ conuenire, quæ nouus Doctor gratiæ sanitatis propria esse pugnabat. Reliquum est ad eandem opinionem funditus exscindendam, vt demonstrem, gratiæ sanitatis à sancto Augustino tribui quidquid ille medicinalis proprium esse contendit. Hoc si effecero, suis ipse laqueis irretitus non antè se expediet, quàm argumenta omnia, quibus nos premit, inania ac futilia esse conuincat.

PARAGRAPHVS I.

Gratia naturæ integræ etiam operabatur velle, & voluntati meritum dabat.

PRIMVM istud medicinali gratiæ singulariter Aduersarius adscribit, vt operetur in nobis velle. Vnde libro de Gratia primi hominis cap. 14. & 15. præfractè negat gratiam sanitatis operari ipsum velle. At istud tamen expressis verbis S. Augustinus affirmat libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi de Angelis bonis ita scribit: *Profectò & bonam voluntatem quâ meliores essent,* NISI OPERANTE ADIVTORIO CREATORIS *habere non possent.* Ergo in Angelis adiutorium Dei bonam voluntatem operatur. Pergit: *Et cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad se ipsos qui minus erant, sed ad*

Libro 2. de grat. Christi cap. 9. 11. 14. 17. 25. 26. atque alibi passim.

Augustino longiùs recedere, quàm cùm se eius vestigiis pressiùs inhærere gloriatur. Non premam alium S. Augustini aut Fulgentij locum superiori persimilem, quo Nabuchodonosorem cum Pharaone committit libro de Prædestinatione & gratia cap. 15. *Quantùm ad naturam*, inquit, *ambo homines erant: quantùm ad dignitatem, ambo Reges: quantùm ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio?* Hunc, inquam, locum, qui superiorem magnopere illustrat, non premam, ne Aduersarij hæc ad innocentiæ statum pertinere contendant, quòd nulla hîc concupiscentiæ mentio fiat.

Neque etiam vrgebo plures alios S. Augustini locos, quibus reprobos cum prædestinatis ita componit, vt eos quoque vocari asserat, ATQVE VT VENIRENT VOCATI, FVISSE IN EORVM LIBERA POTESTATE. Eius verba sunt libro 83. quæstionum q. 68. quod nominatim de Esaü reproborum omnium typo affirmat libro primo 1. ad Simpl. q. 2. *Noluit Esaü, & non cucurrit; sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Hos, inquam, locos non vrgebo, quia modò non vacat inanem illam responsionem excutere, quâ Aduersarius ait libro 2. de gratia Christi cap. 32. S. Augustinum loqui de sola vocatione externa. Tu, si libet, Ioannem Malderum Episcopum Antuerpiensem consule in Anti-Synodalibus pag. 150. & intelliges hanc solutionem non modò ex Caluiniana Synodo Dordrechtana fluxisse, sed etiam S. Augustino capitaliter aduersari.

SECTIO II.

Quidquid Aduersarius gratiæ medicinali singulariter adscribit, gratiæ quoque sanitatis à S. Augustino tribuitur.

MIRVM quantum nouæ opinionis fundamenta succussa sunt à nobis, cùm ex sancti Augustini mente ostendimus ea quoque medicinali gratiæ conuenire, quæ nouus Doctor gratiæ sanitatis propria esse pugnabat. Reliquum est ad eandem opinionem funditus exscindendam, vt demonstrem, gratiæ sanitatis à sancto Augustino tribui quidquid ille medicinalis proprium esse contendit. Hoc si effecero, suis ipse laqueis irretitus non antè se expediet, quàm argumenta omnia, quibus nos premit, inania ac futilia esse conuincat.

PARAGRAPHVS I.

Gratia naturæ integræ etiam operabatur velle, & voluntati meritum dabat.

PRIMVM istud medicinali gratiæ singulariter Aduersarius adscribit, vt operetur in nobis velle. Vnde libro de Gratia primi hominis cap. 14. & 15. præfractè negat gratiam sanitatis operari ipsum velle. At istud tamen expressis verbis S. Augustinus affirmat libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi de Angelis bonis ita scribit: *Profectò & bonam voluntatem quâ meliores essent,* NISI OPERANTE ADIVTORIO CREATORIS *habere non possent.* Ergo in Angelis adiutorium Dei bonam voluntatem operatur. Pergit: *Et cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad se ipsos qui minus erant, sed ad*

Libro 2. de grat. Christi cap. 9. 11. 14. 17. 25. 26. atque alibi passim.

illum, qui summè est, conuerterentur, eique adhærentes magis essent, eiúsque participatione sapienter, beatéque viuerent: quid aliud ostenditur nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuisse in solo desiderio remansuram: nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem. Nullibi clariùs asserit, Deum hominis lapsi voluntatem facere, ex se ipso meliorem.

Confirmatur. Aduersarius inde probat medicinalem gratiam operari in nobis ipsum velle, quòd S. Augustinus persæpe asserat, voluntatem bonam diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Sic libro de Patientia cap. 25. ait: *Voluntas bona quâ diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle. Hæc igitur voluntas* &c. *Charitas Dei est, quæ non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* At inde confici non potest gratiam medicinalem voluntatis arbitrio non permitti, quin idem de gratia sanitatis euincatur. Nam S. Augustinus eodem planè modo de Angelis loquitur libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. CONFITENDVM EST IGITVR CVM DEBITA LAVDE CREATORIS, NON AD SOLOS SANCTOS HOMINES PERTINERE, VERVM ETIAM DE SANCTIS ANGELIS POSSE DICI, QVÒD CHARITAS DEI DIFFVSA SIT IN EIS PER SPIRITVM SANCTVM, QVI DATVS EST EIS. Illud ipsum Basilius affirmat libro de Spiritu sancto cap. 16.

Secundò, medicinalis gratiæ proprium esse contendit, vt non modò velle, sed etiam operari operetur in nobis, secundùm illud sancti Augustini libro de Gratia Christi cap. 25. *Etiam velle & operari operatur in nobis.* vnde vim eius ineluctabilem colligit; quia si perinde repudiari à nobis, atque recipi posset, nobis operatio tribueretur, atque adeo nos sanctos, & meliores faceremus, nec à Deo, sed à nobis discerneremur. Verùm

illa ratio aut nulla est, aut æqualiter aduersùs gratiam sanitatis concludit. Quemadmodum enim S. Augustinus Sermone 10. de verbis Domini ait: *Fecit nos & homines, & saluos. Nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus saluos, aliquid illo melius fecimus. Melior enim est saluus homo, quàm quilibet homo.* Ita libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. de Angelis affirmat: *Si autem boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eámque in se ipsis Deo non operante fecerunt:* ERGO MELIORES A SE IPSIS, QVAM AB ILLO FACTI SVNT? ABSIT. *Quid enim erant sine bona voluntate, nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas iis inerat (neque enim ab ea quam nondum cœperant habere defecerant) certè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum voluntate bona cœperunt. Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit:* PROFECTÒ ET BONAM VOLVNTATEM, QVA MELIORES ESSENT, NISI OPERANTE ADIVTORIO CREATORIS HABERE NON POSSENT. Quæ licèt de charitate habituali, aut de prima volitione, quam in creationis suæ initio Angeli susceperunt, dicta videantur, de qualibet tamen Angeli volitione bona, & maximè de illa, quâ steterunt, dici possunt, & debent. Aliàs enim vera esset ista conclusio, quam absurdissimam S. Augustinus reputat: *Ergo meliores à se ipsis quàm ab illo facti sunt.* Viderit Aduersarius quàm bene cum hac S. Augustini doctrina consentiat quod de Angelis docet, perseuerantiam à Deo, & merita non accepisse: nec ab illo, sed à se ipsis fuisse discretos. O admirabilem consensum! Ad hanc interrogationem: *Ergo Angeli meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt?* sanctus Augustinus respondet: *Absit.* Et qui se illius interpretem profitetur, non id fatetur modò, sed etiam pugnat, Angelos à se ipsis non à Deo & meliores, & perseuerantes factos esse.

Libro de gratia primi hominis cap 15.16. & lib. de grat. Christi c. 11. 12.

Si Adamus in statu innocentiæ perseuerasset, par fuisset in eo gratiæ sanitatis efficacia. Quod cùm Aduersarius præfractè negat, manifestè à S. Augustino dissentit, qui libro 8. de Genesi ad litteram cap. 10. 11. 12. pluribus docet, Deum posuisse Adamum in paradiso voluptatis, non vt terram excoleret, sed vt ipse excoleretur à Deo, qui eodem modo in eius mente sanctitatem ac iustitiam fuisset operatus, quo modo eas in nobis operatur. *Quapropter*, inquit, *quâ locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, vt ornata, atque fœcunda sit: eadem locutione* DICITVR DEVS OPERARI HOMINEM, QVI IAM HOMO ERAT, VT PIVS SAPIENSQVE SIT. Dei igitur consilium erat, Adamum operari vt pius esset, id est, bonam in eo voluntatem iustitiámque operari. Quod mox ita exponit: *Sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso* OPERARI EVM VT IVSTVS ESSET. Rationes subdit ex iis Scripturæ locis, quæ de homine lapso præcipuè loquuntur. *Ipsius enim sumus figmentum, non tantùm ad hoc vt homines simus, sed ad hoc etiam vt boni simus. Nam & Apostolus cùm fidelibus ab impietate conuersis gratiam quâ salui facti sumus commendaret: Gratia enim, inquit, salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, ne forte quis extollatur.* Quæ cùm S. Augustinus adhibeat, vt probet Deum *posuisse Adamum in paradiso operari eum, vt iustus esset*: satis indicat Adamum perseuerantem, futurum fuisse Dei figmentum, eiúsque iustitiam Dei donum; quemadmodum Sancti modò figmentum Dei sunt, eorúmque virtus omnis Dei munus. Prosequitur: *Et alibi cùm dixisset: cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, ne sibi putarent tribuendum tanquam ipsi se facerent bonos & iustos, continuò subiecit: Deus enim est qui operatur in vobis. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum, hoc est operari in eo.* Vides hæc

Apostoli verba, *Deus operatur in vobis velle & perficere*, quibus insuperabilem gratiæ medicinalis vim persæpe Aduersarius probat, applicari à S. Augustino naturæ integræ, eúmque contendere, Deum in paradiso Adamum collocasse, vt, quemadmodum nunc in Sanctis, sic etiam in illo iustitiam ac pietatem, id est, bonam voluntatem operaretur.

Tertiò, gratiam medicinalem à gratia sanitatis hoc differre pugnat, quòd Deus per illam voluntati meritum omne tribuat, nihil vt prorsus boni fiat ab homine lapso, quod à Deo non donetur: contra quàm accidere ait in gratia sanitatis, quâ Deus nec voluntati meritum, nec opera bona impartit; sed ea sibi voluntas ipsa parit, nec Deo accepta referre debet. Hoccine ille scribere ausus est? ausus scribere pluribus in locis? tam insolenti sententiæ S. Augustini nomen ausus prætexere? S. Augustini inquam? qui tam disertè, tam sæpe de Angelis asserit, nihil prorsus boni in eis esse, quod non sit à Deo donatum, quódq; illi non debeant. Quid clarius his verbis ex Concione 2. in Psal. 70. *In altis cœli sunt, in altis Angeli sunt &c. Tibi debent quòd sunt, tibi debent quòd viuunt*, TIBI DEBENT QVOD IVSTE VIVVNT: *Potentiam tuam vsquequò? Vsque in altissima quæ fecisti magnalia*. NE PVTES HOMINEM SOLVM PERTINERE AD GRATIAM DEI. QVID ERAT ANGELVS ANTEQVAM FIERET? QVID EST ANGELVS SI DESERAT, QVI CREAVIT? Non ergo sola medicinalis gratia facit, vt quod bene agimus Deo acceptum referatur, cùm & ipsi Angeli Deo debeant quòd iustè viuunt. Idem affirmat libro 13. Confessionum capite 3. *Quod autem*, inquit, *in primis conditionibus dixisti, Fiat lux, & facta est lux, non incongruenter hoc intelligo in creatura spiritali, quia erat iam qualiscunque vita quam illuminares &c. Neque enim eius informitas placeret tibi, si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo, vt & quod*

Libro de gratia primi hominis & Angelorum cap. 16. Libro 2. de gratia Christi cap. 6. & lib. 9. cap. 10.

vicunque viuit, & QVOD BEATE VIVIT, NON DEBERET NISI GRATIÆ TVÆ, *conuersa per commutationem meliorem ad id quod neque in melius, neque in deterius commutari potest.* Proferat Aduersarius aliquem S. Augustini locum, quo expressiùs affirmet homines debere gratiæ Dei quòd beatè viuant.

Alia sunt S. Augustini testimonia, quibus vniuersim ait nihil boni esse in creaturis, quod Deo acceptum referri non debeat. Sic libro 2. de libero arbitrio cap 2. *Meminisse te oportet non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est, à Deo.* Sed ea libenter prætermitto, vt rationes expendam, quibus Aduersarius probat, bona opera nostra esse Dei dona: nam illæ quoque pro statu innocentiæ faciunt; sic prorsus vt inde colligere non possit, gratiam medicinalem voluntati necessitatem inferre, quin idem de gratia sanitatis efficiat.

PARAGRAPHVS II.

Adiutorium naturæ integræ ipsam quoque perseuerantiam dabat.

Libro de gratia primi hominis cap.16. Lib. 2. de gratia Christ. cap. 7. & lib. 9. cap. 12.

ADEO istud à S. Augustini Patrúmque mente alienum Aduersarius putat, vt asserat persæpe Angelis non esse datam perseuerantiam, nec eis Dei gratiam præstitisse, vt perseueranter starent. At istud tamen S. Augustinus affirmat, & clariùs affirmat, quàm vt negari possit. Docet enim Concione 2. in Psalmum 32. Cælos quoque, quo nomine Angelos designat, Diuinâ gratiâ indigere, nec illos à se ipsis, sed à Deo fuisse solidatos. *Cæli ergo vbi nulla est miseria, numquid quia non indigent misericordiâ, non indigent Domino? Omnia indigent Domino & misera & felicia. Sine illo miseri non subleuantur, sine illo felix non regitur. Ergo ne forte de cælis quæreres cùm audires, Misericordiâ Domini plena est terra:*

terra: audi quia Domino & cæli indigent, verbo Domini cæli solidati sunt. Nam NON A SE SIBI SOLIDAMENTVM FVERVNT, NEC IPSI CÆLI FIRMITATEM SIBI PROPRIAM PRÆSTITERVNT. VERBO DOMINI CÆLI FIRMATI SVNT, ET SPIRITV ORIS EIVS OMNIS VIRTVS EORVM. NON HABVERVNT ALIQVID EX SE, ET TANQVAM SVPPLEMENTVM A DOMINO PERCEPERVNT. SPIRITV ENIM ORIS EIVS, NON PARS, SED OMNIS VIRTVS EORVM. I nunc & contende Angelos non à Deo, ſed à ſe ipſis fuiſſe ſolidatos? contende non ad illos quoque pertinere quod S. Auguſtinus toties aſſerit non licere nobis partiri cum Deo, & alteram boni operis partem nobis vindicare, alteram illi tribuere? Pergit S. Auguſtinus: VERBO DOMINI CÆLI SOLIDATI SVNT. QVID EST AVTEM SOLIDATOS ESSE, NISI HABERE STABILEM ET FIRMAM VIRTVTEM? Potuítne diſertiùs Angelorum perſeuerantiam Deo adſcribere?

Ne quis hîc tamen ſcrupulus remaneret, quod hactenus de Angelis docuit, eos non ſibi firmitatem propriam præſtitiſſe, illud ipſum poſtea de Apoſtolis tradit. Vnde conſtabit eos à S. Auguſtini mente plurimùm abeſſe, qui Apoſtolos, non Angelos perſeuerantiam à Deo accepiſſe aiunt. *Interim exceptis illis cælis, habeo de quibus hîc vtcunque diſſeram, nobis proximos cælos ſanctos Dei Apoſtolos* &c. *Quomodo auſi ſunt ipſi cæli ire cum fiducia, & ex hominibus infirmis cæli fieri, niſi quia verbo Domini cæli ſolidati ſunt? Vnde enim haberent tantam virtutem oues inter lupos, niſi quia ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Ecce, inquit, mitto vos ſicut oues in medio luporum. O domine miſericordiſſime! Certè hoc facis vt miſericordiâ tuâ plena ſit terra. Si ergo ita es miſericors, vt impleas terram miſericordiâ, vide quos mittis, vide quò mittis. Quò, inquam, mittis, & quos mittis. Oues in medio luporum* &c. *Mittis infirmos inter ſæuos? Mitto, inquit,*

quia cæli sunt, vt terram compluant. Vnde cæli homines infirmi? Sed spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ecce lupi tenebunt vos & tradent vos, & offerent potestatibus propter nomen meum. Iam armate vos. Virtute vestra? Absit. Nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: quia spiritu oris eius omnis virtus eorum. Fatebitur quilibet S. Augustinum his verbis Apostolorum perseuerantiam atque firmitatem Deo tribuere; Ergo & Angelorum perseuerantiam Deo adscripsit, cùm iisdem omnino verbis paulò antè asseruit, eos ab eo solidatos, & ab eius spiritu suam omnem virtutem hausisse.

Elegans illa & erudita S. Augustini disputatio plurimùm illustrari potest ex Basilio Magno, qui libro de Spiritu Sancto cap. 16. tam similia tradit, vix vt credam S. Augustinum hunc eius locum non inspexisse, cùm superiora scriberet. *Meræ*, inquit, *& intelligibiles, & vltramundanæ virtutes sanctæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia per Spiritum infusa sanctimoniam nactæ.* Mox: *In horum autem creatione cogita mihi principalem causam eorum, quæ fiunt, Patrem, dein conditricem Filium, perfectricem Spiritum Sanctum: vt voluntate quidem Patris sint administratorij spiritus, Filij verò operatione producantur vt sint, Spiritus autem aduentu perficiantur. Porrò Angelorum perfectio est sanctificatio, & in hac perseuerantia.* Angeli ergo perseuerantiam à Spiritu Sancto accipiunt. Quod inde confirmat, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Tum concludit: *Itaque tria intelligas mandantem Dominum, creans Verbum, & confirmantem Spiritum Sanctum. Quæ porrò alia possit esse confirmatio, quàm in sanctimonia perfectio, confirmationis verbo significante constantiam, immutabilitatem, ac soliditatem in bonis.* Non potest significantioribus verbis Angelorum perseuerantia Spiritui Sancto attribui.

Libro de gratia primi hominis cap. 16. & 17

Temerè ergo & imperitè facit Aduersarius, qui piaculum putat asserere, dæmones & Adamum per-

ſeuerantiam non accepiſſe; quíque in recentem Theologum ea re excandeſcit, quòd ſcripſiſſet, *Adamum ideo non habuiſſe perſeuerantiam, quia illam non acceperat à Deo.* Quâ ſententiâ nihil verius, nihil ad S. Auguſtini, Patrúmque, qui illi ſingulariter addicti fuerunt, mentem accommodatius dici potuit. Anſelmum audi ætatis ſuæ Auguſtinum, Dialogo de caſu diaboli cap. 2. & 3. iſtud pluribus differentem. *Conſtat*, inquit, *quia ille Angelus qui ſtetit in veritate, ſicut ideo perſeuerauit, quia perſeuerantiam habuit: ita etiam* IDEO PERSEVERANTIAM HABVIT, QVIA ACCEPIT: ET IDEO ACCEPIT, QVIA DEVS DEDIT. *Conſequens igitur quia ille qui in veritate non ſtetit, quemadmodum ideo non perſeuerauit, quia perſeuerantiam non habuit, ſic ideo non habuit perſeuerantiam, quia non accepit.* En illa ipſa ſententia, quam Aduerſarius tam atrociter accepit. Eandem tradit S. Bernardus libro de gratia & libero arbitrio paulò poſt medium, vbi docet Angelis datam fuiſſe à Deo perſeuerantiam, non Adamo. SVPERIORIBVS, inquit, SPIRITIBVS DATVM EST SINE PECCATO ET MISERIA PERDVRARE: ADÆ AVTEM ABSQVE HIS QVIDEM ESSE, SED NON ETIAM PERMANERE. Si quis Theologus ita ſcripſiſſet, vt à nouo Dogmatiſta vapularet!

Quibus verò conuiciis hominem exciperet de Angelica natura ita affirmantem: *Cùm verò quædam pars eius de cæleſti beatitudinis culmine, in imam perpetuámque cernitur deuoluta miſeriam, B. Petro dicente, Quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferni tradidit in iudicio puniendos reſeruari:* PROFECTO COGNOSCITVR VNIFORMI CVNCTOS OPPRIMI POTVISSE RVINÆ CONSORTIO, NISI QVOS VELLET A CASV PRAVITATIS VIRTVS ILLA DEFENDERET, *quæ ſola naturaliter mutari, deprauaríve non poſſet.* At iſta tamen S. Fulgentij verba ſunt

libro 2. ad Trasimundum cap. 2. quibus manifestæ falsitatis reuincitur, quod nouus Doctor toties iterat, Beatos Angelos non maius à Deo beneficium accepisse, quàm Dæmones. Quid enim clarius his verbis? *Vniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu prauitatis virtus illa defenderet?* Nam inde colligitur virtutem Diuinam, seu Dei gratiam, non omnes defendisse à lapsu, sed aliquos tantùm, & eos quos voluit: quemadmodum & in statu naturæ lapsæ Diuina virtus, quos vult, ex peccatorum cœno eripit. Vnde Fulgentius addit: NON ALIA STANTEM ANGELVM A RVINA POTVIT CVSTODIRE, NISI ILLA, QVÆ LAPSVM HOMINEM POST RVINAM POTVIT REPARARE. VNA EST IN VTROQVE GRATIA OPERATA, IN HOC VT SVRGERET: IN ILLO NE CADERET: IN ILLO NE VVLNERARETVR: IN ISTO VT SANARETVR. AB HOC INFIRMITATEM REPVLIT, ILLVM INFIRMARI NON SINIT.

Nullum hîc verbum quo Aduersarius non configatur; at ista præcipuè illum opprimunt: *Vna est in vtroque gratia operata, in hoc vt surgeret: in illo ne caderet.* Hinc enim liquet gratiam tam verè operatam esse in Angelis ne caderent, quàm verè operatur in nobis vt surgamus. Quò pertinent sequentia, quibus de Verbo ita loquitur: POTVIT ET ANGELVM IN SVPERIORIBVS STABILIRE, ET PRO REPARATIONE LAPSI HOMINIS AD INFERIORA DESCENDERE. Deus est ergo qui Angelum in superioribus stabiliuit, quemadmodum & hominem reparauit. Ex his Fulgentij locis delibata videtur aurea illa Franconis Abbatis Affligeniensis, qui circa annum Christi 1109. summa pietatis & doctrinæ laude florebat, sententia. quâ ita scribit Tomo 1. de Gratia Dei sub finem: *Quantum gratiæ Dei Beati Spiritus debitores existunt, cuius munere aliis è tanto culmine dignitatis, impul-*

su superbia ruentibus, ipsi in æternæ beatitudinis suæ soliditate perstiterunt!

Consonat S. Bernardus Sermone 22. in Cantica: *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum. Liquet ergo Sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut iustitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem.* Hinc concludit: *Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est & nobis. Quid? sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio.* Duo hîc obseruanda. Primò, non ait Deum Angelis dedisse vt possent non labi, sed, ne laberentur. Secundò, docet Deum eodem modo Angelorum redemptionem esse, quo modo est eorum sanctificatio, quod in Aduersarij opinione apertè falsum est. Pugnat enim Angelos quidem sanctitatem à Deo accepisse, at perseuerantiam, quâ se à lapsu vindicarunt, non accepisse. Simillima tradit Sermone 5. de verbis Isaiæ. *Disce ex his quæ audis, solium non machinam imaginari corpoream, sed Angelicam intelligere creaturam. Si enim sedes est sapientiæ anima iusti, quàm dignior sedes Angeli sancti. Hoc planè solium gloriæ eius excelsum per naturam, sed multo magis per gratiam eleuatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis*, ELEVATOS GRATIA CONFIRMATIONIS, DE QVA DICITVR VERBO DOMINI CÆLI FIRMATI SVNT. Nota gratiam confirmationis, quâ Angeli firmati sunt, atque solidati.

Eandem agnoscit Rupertus librô I. de Victoria Verbi Dei cap. 27. vbi de beatis Angelis ita loquitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipsi sunt lapides, ipsi sunt cæli. Lapides propter æternam stabilitatem, firmámque æternitatem: Cæli propter inhabitantem in eis sanctam Trinitatem. Hæc est iam victoria verbi Dei, quia contra principem malignitatis* NE

CVM ILLO CADERENT, SVNT PRÆVENTI, ET RETENTI PER IPSVM VERBVM, *per quod & fuerant conditi.* Et cap. 30. *Gratiam & misericordiam Creatoris eiusdem in semetipsis agnouerunt, quâ se se, ne & ipsi corruerent, prauentos fuisse non ignorant. Eiusdem quippe conditionis cùm essent, suam in perditione illorum salutem reseruatam, statúmque retentum non leuiter apprehendere potuerunt, aut possunt.*

Si Aduersarios minùs peruicaces haberemus, mihi tamdiu laborandum non fuisset, vt vincerem Beatos Angelos perseuerantiam accepisse, & maiori beneficio affectos fuisse à Deo, quàm dæmones. Nam id S. Augustinus clarissimè profitetur loco illo percelebri ex libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi de Angelis bonis & malis ita loquitur: *Istis mala voluntate cadentibus,* ILLI AMPLIVS ADIVTI, *ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt.* Quid aliud significat, *ampliùs adiuti*, quàm maius aliquod beneficium, seu gratiam efficacem, quâ ad illam beatitudinis plenitudinem subuecti sunt? Sed contendit Aduersarius libro de gratia primi hominis cap. 18. *Verba ista nihil ad propositum pertinere, quia loquuntur de adiutorio, quod per ipsam æternam felicitatem eis datum fuit; non de illo quod eos perseuerare faceret, & ad illam beatitudinis plenitudinem peruenire.* Quam eius responsionem ita demirantur, qui secundam Apologiam consarcinarunt, vt scribant, illam ab alio excogitari non potuisse. Sed istud more suo faciunt, solent enim ex aliorum inuentis Doctori suo laudem arcessere. Guillelmum Estium consule in primum sentent. distinct. 41. §. 13. & intelliges vnde hæc sit nata solutio, quam vt ineptam, ridiculam, & à S. Augustini mente alienissimam Estius reiicit. *Si hoc adiutorium*, inquit, *quo Beati Angeli dicuntur ampliùs adiuti, esset ipsa beatitudo, sensus redderetur ineptus: scilicet, Angelis collatam esse beatitudinem, quâ ad beatitudinem peruenirent.*

Si cette obiection auoit esté considerable auant Monsieur d'Ypre, elle a cessé de l'estre depuis la publication de son ouurage. Car il est vray qu'il falloit estre Monsieur d'Ypre, c'est à dire.

Vnâ hac ratione quidquid Aduersarius ad hunc locum infuscandum congerit, euertitur. Nam hæ voces *adiuti peruenerunt*, satis indicant loqui S. Augustinum de adiutorio quo iuuentur ad perueniendum, non de cognitione futuræ beatitudinis æternæ, quam accepere, postquam peruenerunt. Aliàs enim non dixisset: *ampliùs adiuti peruenerunt*, sed potiùs: *Postquam peruenerunt, ampliùs adiuti sunt.*

auoir penetré aussi auant que luy dans la doctrine de S. Augustin par vne estude infatigable, & vne pieté consommée, pour trouuer la veritable intelligence de ce passage. Apologie 1. liure 1. page 235.

Addit Estius aliam rationem, quam elicit ex integra S. Augustini disputatione. *Disputat*, inquit, *toto hoc capite Augustinus de causa efficiente bonæ, melioris, & perseuerantis voluntatis in rationali creatura, maximè in Angelis, quam causam concludit esse Deum.* Quod vt probet de voluntate perseuerante, ait malis cadentibus, bonos ampliùs adiutos esse, vt ad beatitudinis perfectionem peruenirent. Nam, vt ex Fulgentio vidimus, omnes oppressi fuissent vniformi ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu prauitatis virtus illa defenderet. Quo loco obseruandum quoque est cum Guillelmo Estio S. Augustinum non opponere casum dæmonum Angelorum beatitudini; sed perseuerantiæ, quâ beatitudinem promeruerunt. Ita vt his verbis: *Istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti* &c. malorum quidem casum eorum voluntati, bonorum verò perseuerantiam Deo tribuat. Quamobrem subdit: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis posse dici, quòd Charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.*

PARAGRAPHVS III.

Probatur ad Angelos quoque pertinere illud Apostoli, Quis te discernit, quid habes quod non accepisti?

QVAM ambitiosum, tam inane est nomen illud, quo Aduersarij Doctorem suum Diuinæ gratiæ vindicem, & acerrimum Pelagij hostem nuncupant. Vix est enim vllus, qui gratiam depresserit magis, qui Pelagij errores altiùs extulerit. Dei quidem gratiam regnare hoc in orbe, & dominari putat: at cælum eius imperio ditioníque subtrahit. Homines à Pelagiano errore longissimè abducit: at eidem cælites omnes implicat. Quid enim? Annon ille insigniter Pelagianizat, qui Apostolo quærenti: *Quis te discernit, quid habes quod non accepisti?* respondet: *Egó me ipsum discerno: Ego merita habeo, quæ non accepi.* At in Aduersarij opinione nemo est Angelorum, qui ita non respondeat, nemo qui sibi merita non arroget, nemo qui se non à Deo, sed à se ipso discretum non glorietur.

Lib. 2. de grat. Christi c. 8. lib. 9. cap 10. 11. & lib. de gratia primi hominis cap. 15. 16.

Cui labefactandæ opinioni satis esse posset, quod hactenus probaui, Angelos non à se ipsis, sed à Deo perseuerantiam accepisse; placet tamen eam singulariter aggredi, & nouis S. Augustini testimoniis opprimere. S. Augustini, inquam, nam alios, ne longior sim, prætermitto. Vnum tantùm Anselmi locum non tam proferam, quàm indicabo. Libro de casu diaboli hanc ipsam quæstionem tractat, vt patet ex titulo Capitis primi, qui sic habet: *Quod etiam ad Angelos dicatur: Quid habes quod non accepisti?* Vnde iam ab ipso ingressu quærenti Discipulo: *Illud Apostoli: Quid habes quod non accepisti? dicitur hominibus tantùm, an & Angelis?* respondet: *Nulla creatura habet aliquid à se. Quod enim se ipsum*

à

à se non habet, quomodo habet à se aliquid? Paucis interiectis: *Ille igitur solus à se habet quidquid habet, & omnia alia non nisi ab illo habent aliquid: & sicut à se non nisi nihil habent: ita ab illo non nisi aliquid habent.* Inde colligit cap. 2. Angelos ideo perseuerantiam habuisse, quia acceperunt: & ideo accepisse, quia Deus dedit.

Venio ad S. Augustinum, & ex iisdem eius locis, quibus Aduersarius probat, *post lapsum nihil omnino boni in homine, vel ab homine esse posse, nisi donetur à Deo:* nec hominem debere *in vllo laudari, aut gloriari, nisi in solo Deo:* idem prorsus de Angelis efficio. Primus ex Epistola 120. sic habet: *Necesse est vt parum diligat eum, qui non ab illo, sed à se ipso bonum se arbitratur effectum. vnde autem fieri potest, vt talis non in se ipso, sed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur quòd sit bonus, in illo debet gloriari à quo factus est bonus: ac per hoc qui se à semetipso factum bonum arbitratur, consequens est vt in se ipso, non in Domino glorietur.* Valent & istæ rationes pro Angelis. Nam primò cùm de illis ita pronuntiet S. Augustinus libro 12. de Ciuitate Dei cap. 9. *Absit, vt meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sint*, consequens etiam est vt in Domino, non in se ipsis glorientur. Deinde si homo lapsus idcirco gloriari debet in Deo, non in se, quia aliàs parùm eum diligeret: nunquid eadem ratio efficit, Angelum quoque non in se ipso, sed in Deo gloriari debere, ne illum parùm diligat? *Necesse est*, enim, *vt parum diligat eum, qui non ab illo, sed à se ipso bonum se arbitratur effectum.*

Libro 1. de grat. Christi cap. 25.

Alter S. Augustini locus, quo maximè nouus Doctor nititur, iste est ex Enarratione in Psalmum. 69. *Semper magnificetur Dominus. Qui hoc dicunt? Qui diligunt salutare tuum. Ecce magnificetur Dominus, nunquam tu, nusquam tu. In illo aliquid in me nihil.* Sed quo iure Aduersarius hæc ad vitiatam naturam contrahit? Nunquid & Michael dicit: *Semper magnificetur Dominus?* Nunquid Angelorum quilibet inclamat: *In illo aliquid, in me nihil.*

Ita certè cùm ex S. Augustino in Enarratione sequentis Psalmi Angeli Deo debeant, *quòd viuunt, & quòd iustè viuunt.* Et Enarratione in Psal. 32. *Spiritu oris eius non pars, sed omnis virtus eorum.* Quapropter libro 11. de Genesi ad litteram cap. 8. tam de Angelis, quàm de hominibus ait: *Qui gloriatur non nisi in Domino glorietur, cùm cognoscit non suum, sed illius esse, non solùm vt sit, verùm etiam vt non nisi ab illo bene sibi sit, à quo habet vt sit.* Hinc Venerabilis Beda S. Augustino addictissimus libro quæstionum q. 9. scribit: ANGELI SEMPER IN DOMINO GAVDENT, NON IN SE: *Malus verò inde diabolus, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt requisiuit.* NVLLA AVTEM MAIOR INIQVITAS, QVAM NON IN DEO, SED IN SE VELLE QVEMPIAM GLORIARI. Angelos ergo transformat in dæmones, quisquis docet, eos in seipsis, non in Domino, de perseuerantia posse gloriari.

Si Angeli nihil habent prorsus quod non acceperint, si in se ipsis gloriari non possunt, ad eos certè pertinet illud Apostoli: *Quis te discernit?* Quò spectant plurima S. Augustini testimonia, quibus ait, Angelos à Deo fuisse discretos. Sic libro 11. de Ciuitate Dei cap. 19. *Cùm lux illa*, inquit, *prima facta est, Angeli creati intelligantur;* ET INTER SANCTOS ANGELOS, ET IMMVNDOS FVISSE DISCRETVM, VBI DICTVM EST: ET DIVISIT DEVS INTER LVCEM ET TENEBRAS, *Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquàm caderent præscire casuros, & lumine priuatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros.* Tum paucis interiectis: *Inter illam verò lucem, quæ sancta societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum auersorum à luce iustitiæ teterrimas mentes, ipse diuidere potuit: Cui etiam futurum non naturæ, sed voluntatis malum occultum, incertum esse non potuit.* Simillima sunt

ea verba, quibus libro 13. Confessionum cap. 14. hominum lapsorum discretionem Deo tribuit. *Sumus*, inquit, *filij lucis & filij Dei, non filij noctis neque tenebrarum, quod tamen fuimus; inter quos, & nos adhuc incertos humana notitia, tu solus diuidis, qui probas corda nostra, & vocas lucem diem, & tenebras noctem. Quis enim nos discernit nisi tu? quid autem habemus quod non accepimus à te?* Vides hominum atque Angelorum discretionem similibus verbis à S. Augustino exprimi. Nam vt hominum discretionem hâc adumbrari sententiâ putat: *Diuisit Deus inter lucem & tenebras, & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem*: Ita etiam Angelorum discretionem eâdem sententiâ designari contendit: Et quemadmodum de hominibus ait: *Quis enim nos discernit nisi tu?* Ita etiam de Angelis dicit: *Solus ille discernere potuit* &c. Solus enim bonos cadentibus malis solidare potuit. Siquidem *nec ipsi cæli*, id est Angeli, *firmitatem sibi propriam præstiterunt*, vt ait concione 2. in Psalmum 32. Sed teste Fulgentio, *Omnes vniformi opprimi poterant ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu prauitatis virtus illa defenderet.*

His S. Augustini testimoniis vnum duntaxat opponere Aduersarius potest ex libro 14. de Ciuitate Dei cap. 26. vbi S. Doctor ita loquitur: *Non defuit vtique consilium, quo certum numerum ciuium in sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleret, non eos iam meritis discernens, quandoquidem vniuersa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratiâ discernens.* Vim Aduersarius facit in his verbis: *Non eos iam meritis, sed gratiâ discernens*: quibus significari contendit gratiæ adiutorium, quod modò prædestinatis datur, esse eiusmodi vt meritum donet, atque adeo illos discernat, contra quàm in integra natura contigisset. Sed non animaduertit, hæc verba, *gratiâ discernens*, etiam paruulorum, qui sacro fonte tincti ante vsum rationis abeunt è vita, discretionem (Lib. 2. de grat. Christi c. 8.)

complecti, ac proinde actualis gratiæ adiutorium non designare. Deinde, S. Augustinus formalem & immediatam rationem, cur homines modò meritis non discernantur, non ex adiutorio repetit; sed ex vitiata radice, in quâ omnes originalem innocentiam amisimus. Argumento illud est non hîc agi de causa efficienti discretionis, quæ in vtroque statu, respectu adultorum, est adiutorium efficax quo fit vt perseuerent; sed de formali & immediata: quæ in statu innocentiæ esset meritum naturale, seu iustitia originalis: nunc verò est gratia remissionis per Christi meritum indignissimis & peccati labe pollutis concessa. Quod vt dilucescat

Obseruandum est, iustitiam originalem vocari à S. Augustino meritum naturale, non quòd illam hominis natura exigat, sed quòd esset ab origine insita, & hominum omnium, si Adamus non peccâsset, natiuitatem fuisset ornatura. Pari de causa originale peccatum à S. Augustino dicitur *peccatum naturæ* Sermone 14. de verbis Apostoli, & à quibusdam Theologis *peccatum naturale*, quo etiam sensu dici potest *demeritum naturale*, secundùm illud Apostoli ad Ephesios 2. *Eramus naturâ filij iræ.* Sic igitur in statu innocentiæ fuissemus naturâ Filij Dei, & originalis integritas fuisset naturale meritum, vel *meritum naturæ bonæ*, vt loquitur S. Augustinus libro 2. ad Bonifacium cap. 2. Quamobrem, quemadmodum homines qui iam in peccato originali obeunt, distinguuntur formaliter à prædestinatis ipso originali demerito; quia licèt vtrique peccatum originale ex Adamo traxerint, his tamen, non illis remissum est. Ita etiam in statu innocentiæ naturalia merita, seu originalis iustitia sanctos à damnatis formaliter distingueret; quia quam isti amisissent, illi retinerent. Dixi formaliter, nam efficienter discernentur actualis gratiæ auxiliis, quæ illos in iustitia originali solidarent. Negat igitur S. Augustinus eo loco, quem Aduersarius citat, homines, qui iam à Deo eliguntur vt

prædestinatorum numerum impleant, naturalibus meritis formaliter, & immediatè à reprobis discerni. Rationem addit : *Quandoquidem vniuersa massa in vitiata radice damnata est.* Id est, quia omnes in Adamo naturalia merita, seu iustitiam originalem amiserunt.

Verùm etsi concederem hæc verba, *gratiâ discernens*, actualis gratiæ adiutorium exprimere, quo Adulti efficienter discernuntur, nihil inde Aduersarius colligeret; nam sequenti sectione ostendam ex S. Augustini mente, gratiam medicinalem peculiari quodam modo voluntati meritum tribuere, & bona opera in statu innocentiæ magis propriè esse nostra merita: adeóque verè dici posse, homines in statu innocentiæ suis meritis discernendos fuisse, nos verò Dei gratiâ discerni.

PARAGRAPHVS IV.

Reliqua Aduersarij argumenta, quibus insuperabilem gratiæ medicinalis vim adstruit, contra gratiam sanitatis pugnare demonstrantur, tandémque ex gratiæ medicinalis natura libertas ad vtrumlibet homini lapso vindicatur.

PLVRES S. Augustini locos, quibus Deus habere dicitur, *humanorum cordium quocumque voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*, Aduersarius colligit, vt inde conficiat, gratiam medicinalem, quâ Deus corda nostra efficaciter in bonum inclinat, voluntatis arbitrio non permitti. Sed, nunquid & ista ratio gratiam quoque sanitatis petit? Nunquid & in statu innocentiæ haberet Deus humanorum cordium quocunque vellet inclinandorum omnipotentissimam potestatem? Haberet sanè, neque Aduersarius negare ausit: cùm id non modò aperta ratio, & communis hominum sensus, sed etiam manifesta S. Augustini au- Libro 2. de grat. Christi c. 24. 25.

ctoritas persuadeat. Quærit ille libro 11. de Genesi ad litteram cap. 7. & 8. cur Deus Adamum & Euam creauit, quos peccaturos præsciebat. Quâ solutâ quæstione, aliam in hæc verba proponit cap. 9. *Sed posset, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens est.* Respondet: *Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est.* Non ait Deum Adami & Euæ voluntatem omnipotenti gratia idcirco non conuertisse, quòd hæc libertati ad vtrumlibet, quæ naturæ integræ propria erat, repugnaret. Sed tantùm, *quia noluit.* Potuit ergo Deus non violatâ eiusmodi libertate, Adami voluntatem omnipotenti gratiâ certò & infallibiliter in bonum conuertere. Exponat Aduersarius quî id fieri potuerit, & omnia difflabit argumenta, quibus probat Saluatoris gratiam certò & infallibiliter effectum consequi non posse, quin libertatem ad vtrumlibet interimat.

Confirmatur ex illo ipso S. Augustini loco libri de corrept. & grat. cap. 14. quem Aduersarius per fas & nefas inculcat. *Cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Hinc ille colligit, gratiam medicinalem quam Deus prædestinatis impartit, libertatem ad vtrumlibet adimere: atque id certò confici putat ex sequentibus S. Augustini verbis: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult.* Quanta est Aduersarij cæcitas, qui non videt istud quoque ad Angelos, & statum innocentiæ pertinere. Quis enim neget Deo volenti Angelum saluum facere, Angelicam non resistere voluntatem; cùm ipse in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecerit: id est, in Angelicâ, & humanâ creaturâ, vt vulgo Patres interpretantur? Vnde S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 96. negat Deum fore omnipotentem, si aliqua creatura eius voluntati resistere posset:

Neque enim, inquit, *veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest*, NEC VOLVNTATE CVIVSPIAM CREATVRÆ VOLVNTATIS OMNIPOTENTIS IMPEDITVR EFFECTVS.

Concinit S. Hieronymus in cap. 9. Matth. *Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat.* Poterat ergo Luciferum à lapsu defendere, & ad se conuertere. Poterat sanè, fecisséţque, si quemadmodum bonos Angelos, ita illum sic vocasset quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. Et verò, cùm S. Fulgentius asserat, Diuinam virtutem ex Angelis eos à lapsu defendisse, quos voluit: profectò Luciferum quoque defendisset, si voluisset. Nam vt ait Prosper libro 1. de vocatione Gentium cap. vltimo: *Nunquid illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit subdidit, conuertere eos, qui conuertibiles permansere, non potuit?* Quamobrem audacter S. Augustinus exclamat libro 14. de Ciuitate Dei cap. 27. QVIS AVDEAT CREDERE, AVT DICERE, VT NEQVE ANGELVS, NEQVE HOMO CADERET, IN DEI POTESTATE NON FVISSE? Age ergo rationem expedi, quâ Deus potuerit Luciferum perfectâ ad vtrumlibet arbitrij libertate præditum certò & infallibiliter ad se conuertere. Quamcunque protuleris, hanc ego ad naturæ lapsæ statum, & gratiæ medicinalis efficaciam accommodabo: vincámque non ad vitiatam tantùm naturam, vt garris, sed ad integram quoque pertinere, adeóque cum libertate ad vtrumlibet non pugnare omnipotentem illam gratiam, quæ nunquam effectu frustratur suo, quámque S. Prosper carmine de ingratis cap. 15. his versibus adumbrauit.

At verò omnipotens hominem cùm gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur vllis.

Libro 2. de grat. Christi cap. 22.

Postrema restat Aduersarij ratio, quam ex Caluino sumpsit libro 2. Institutionum cap. 3. quámque tanti facit, vt hac vnâ gratiam medicinalem ex voluntatis nutu non suspendi, confici putet. Hæc eius summa. Petimus à Deo vt nos conuertat, vt faciat nos ambulare in viis suis, vt in tentationem non inferat, &c. Ergo gratia quâ id agere possumus libertatis arbitrio non permittitur: aliàs enim in nostra potestate esset illa præstare omnia, ac proinde stultè peteremus à Deo vt ea faceret. O formidabilem machinam! sed quæ nocere nobis non potest, quin priùs Aduersarium oppresserit. Nunquid enim Adamus in statu innocentiæ Deum orare poterat? Nunquid petere vt se in tentationem non inferret? Nunquid dicere: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Si concedit Aduersarius orare Adamum potuisse, suo ipse telo confoditur: si negat, apertissimæ veritati obluctatur. Nam vt docet S. Augustinus Enarratione in Psalmum 39. *Ex quo homo, ex hoc & infirmus: ex quo infirmus, ex hoc & orans.* Confirmatur 1. S. Augustinus docet libro 11. de Genesi ad litt. cap. 9. Deum potuisse Adami & Euæ *voluntatem in bonum conuertere*: Ergo illi sic orare potuerunt: *Conuerte nos Deus.* Confirmatur 2. potuit Deus efficere vt Adamus Dæmonis tentationi non succumberet; Ergo orare Adamus potuit, & dicere: *Ne nos inducas in tentationem.* Fallitur ergo Aduersarius, qui ex eiusmodi orationibus probare nititur, libertatem ad vtrumlibet in homine lapso funditus periisse.

Sic argumenta omnia, quæ in nostram de hominis corrupti libertate opinionem nuperus Theologus vibrat, vel nulla sunt, vel eius quoque de Angelorum, & primi hominis arbitrio sententiam petunt. Vnde non istud tantùm sumus consecuti, vt Aduersarij tela nullo negotio depellamus; sed etiam vt vulgare Catholicorum aduersùs Caluinistas argumentum eludere Aduersarius non possit. Quod argumentum Guillelmus

Estius

Estius ita contra Lutherum & Caluinum premit in 2. dist. 24. §. 13. *Primus Angelus, & primus homo ita ceciderunt, vt stare possent: boni verò Angeli ita steterunt, vt cadere possent, vt fatentur Aduersarij; Ergo & nunc post lapsum homines ita agunt bene & malè, vt possint non agere.* Quia nimirum, vt proximè antè dixerat, sicut *non aliter peperit Sara, quàm Agar, licèt illa per gratiam, id est, operationem Dei supernaturalem, hæc per naturam vt pareret accepisset: neque aliter videt, qui ex cæco videns factus est per miraculum, quàm qui visum habet à natura.* Ita nec aliter operatur arbitrium, quod per gratiam medicinalem, quasi per miraculum, sanatum est, quàm illud, quod in ipsa creatione sanitatem acceperat.

Quæ ratio adeo non infringitur ex gratiæ medicinalis natura, vt illustretur potiùs, validéque confirmetur. Nam, vt S. Augustinus persæpe docet, gratia medicinalis voluntatem sanat, illique primæuam libertatem restituit. *Per gratiam*, inquit libro de spiritu & littera cap. 30. *sanatio animæ à vitio peccati, per sanitatem animæ libertas arbitrij.* Et Epistola 89. *Neque enim ideo voluntatis arbitrium tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur: voluntas quippe libera tantò erit liberior, quantò sanior.* Igitur homo per medicinalis gratiæ adiutorium primæuam, & natiuam libertatem, quæ ex Aduersarij confessione libertas erat ad vtrumlibet, recuperat. Aliàs enim, quemadmodum pes graui aliquo vulnere debilitatus, si adhibitis vnguentis hoc non assequitur, vt se moueat, sed tantùm vt alieno trahi impulsu possit; sanatus dici non debet: sic liberum arbitrium, cuius hæc erat natiua vis, & proprius agendi modus, vt Diuinæ motioni obtemperare posset, vel refragari, si accedente gratia medicinali hoc modo non agit, neque sanari, neque cum opitulante gratia operari dicendum est. Quò spectat illud S. Thomæ affirmantis 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2. gratiam omnem ita se attemperare voluntati, vt

non impediat proprium eius agendi modum, quo ita agit, vt possit non agere. *Omnis forma inclinat suum subiectum secundùm modum naturæ eius: modus autem naturalis intellectualis naturæ est, vt liberè feratur in ea, quæ vult: Et ideo* INCLINATIO GRATIÆ NON IMPONIT NECESSITATEM: SED HABENS GRATIAM POTEST EA NON VTI, ET PECCARE.

SECTIO III.

Discrimen gratiæ medicinalis à gratia sanitatis, ex S. Augustini mente explicatur.

SED quid Caluino facias vociferante, Tridentinos Patres IN EO FALLI, QVÒD NVLLVM OBSERVANT INTER REGENERATIONIS GRATIAM, QVÆ NVNC MISERIÆ NOSTRÆ SVBVENIT, ET PRIMAM, QVÆ ADÆ DATA FVERAT, DISCRIMEN. QVOD DILIGENTER AVGVSTINVS EXPONIT &c. Quid nouo Doctore eâdem querelâ nos importunè fatigante? Quid vtroque iisdem S. Augustini testimoniis contendente, gratiam sanitatis idcirco præcisè à gratia medicinali discrepare, quòd hæc agendi necessitatem imponat, illa verò admitti perinde ac repudiari possit? Breuiter dicam, vterque à veritate, vterque à sancti Augustini mente immani interuallo deflexit, vt hac integra sectione paucis ac dilucidè demonstrabo.

PARAGRAPHVS I.

Nouus Doctor mala fide agit, cùm dissimulat, genuinum inter vtramque gratiam discrimen ex opinione sua in eo poni, quòd gratia medicinalis sit motio voluntatis, gratia verò naturæ integræ motio intellectus.

NON possum quin hîc de Aduersarij fide grauiter expostulem, qui cùm intelligeret ex opinione sua consequi, gratiam sanitatis ad intellectum dumtaxat, medicinalem verò etiam ad voluntatem pertinere, adeóque illas inter se substantialiter distingui: non modò illud dissimulauit, sed etiam quoties vtriusque gratiæ discrimen exposuit, exposuit autem persæpe & importunè, toties innuit eas quoad substantiam nihil discrepare. Verebatur enim ne si lectoribus suboleret primarium illud inter vtramque gratiam discrimen, argumenta omnia vanescerent, quibus ineluctabilem gratiæ medicinalis vim inde probat, quòd à S. Augustino peculiari quadam phrasi gratia voluntatis appelletur. Miraberis hominis candorem, vbi illum in hac præcipua opinionis suæ parte latitare volentem, secúmque turpi pugnâ confligentem ostendero.

Docet primò, medicinalem Christi gratiam, sine qua homo lapsus ne tenuem quidem circa Deum résque Diuinas volitionem exerere potest, esse motionem voluntatis, seu indeliberatum motum complacentiæ aut desiderij cælitus immissum. Neque illud obiter & paucis docet, sed integro ferè libro probat, cuius primum caput ita inscribit: *Quid sit medicinale Christi adiutoriũ secundùm substantiam. Esse cælestem suauitatem, seu delectationem, iuxta mentem S. Augustini, ostenditur primò ex scripturis quibus ipse vtitur, & aliis diuersis* Libro 4 de gratia Christi cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

eius testimoniis. Illud ipsum probare pergit vsque ad caput 8. cui hunc titulum præfigit: *Quintò ostenditur delectationem esse veram gratiam Christi.* Quid sit porrò cælestis illa delectatio explicat cap. 11. *Delectatio ista cælestis*, inquit, *secundùm Augustini mentem est actus vitalis & indeliberatus animæ; & quidem amoris ac desiderij præcedentis consensum.* Et paulò pòst: *Non est aliud quàm actus quidam indeliberatus cælitus immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum suauiter placet.* Item: *Dicimus igitur, delectationem istam, seu suauitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est: partim etiam secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur.* Ex quibus liquet, docere illum, medicinalem Christi gratiam esse indeliberatum voluntatis motum cælitus immissum.

Libro 4. de gratia Christi c. 9. & 7.

Docet 2. *necessitatem delectationis cælestis ad bene volendum, & operandum, non ex natura voluntatis, sed ex eius pœna proficisci.* Quare confutatis rationibus, quæ cælestis delectationis necessitatem aliunde repetebant, opinionem suam in hæc verba proponit, & confirmat: *Vera itaque ratio cur cælestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ, seu medicinalis adiutorij petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est: ex quibus fit, vt in omnibus actionibus ante gratiam delectatione quadam libidinosa præeunte, ac titillante prouocetur.* Cui lenocinantis concupiscentiæ malo contraria, atque adeo cælestis delectatio mederi debet, vt reliquo capite clarissimis S. Augustini sententiis euincit. Idem probat cap. 7. quod ita inscribit: *Delectationis necessitas oritur ex infirmitate voluntatis, quâ fit, vt nihil boni amplecti possit, nisi delectet.* Eam porrò infirmitatem in eo positam esse ait, quòd voluntas originalis peccati vulnere debilitata, & terrenarum rerum delectationibus irretita, erigere sese, & ad virtutem eniti non possit, nisi cælestis illius

delectationis oleo delibuta conualescat. Censet ergò primi hominis voluntatem natiuis pollentem viribus, & nullo terrenæ delectationis visco retardatam, cælesti illa suauitate non indiguisse.

Quid aio, non indiguisse? Eiusmodi delectatio primo homini, & Angelis, ex eius sententia, infundi non potuit, quin natiuam eorum libertatem pessundaret, ineluctabili bene agendi necessitate illis imposita. Pugnat enim delectationem omnem, seu motum indeliberatum voluntatis, qui consensum anteuertit, si solus sit; aut alia delectatione contraria fortior, voluntatis consensum summa necessitate elicere. Hinc concupiscentiæ: hinc gratiæ medicinalis insuperabilem vim deducit. Putat enim motus indeliberatos concupiscentiæ, cùm abest gratia efficax, voluntatem ad malum necessariò pellicere: & gratiam, cùm fortior est concupiscentiâ, pari necessitate in bonum nos abripere: quòd voluntas eò necessariò incumbat, quò illam antecedens delectatio inclinarit. Discutiam postea quàm vera sit illa doctrina, nunc id tantùm moneo, inde certò confici, ex Aduersarij mente voluntatem sanam non modò cælesti delectatione, seu gratiâ voluntatis non indiguisse, sed ne eâ quidem potuisse donari, illæsâ naturæ integræ libertate.

Libro 8. de gratia Christi cap. 3. & lib. 4. cap. 9.

Ergo actualis illa Adami & Angelorum gratia, cuius necessitatem S. Augustinus ita describit libro de correptione & gratia cap. 12. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, vt sine Diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Gratia, inquam, illa, ex noui Theologi opinione ad solum intellectum pertinere potest. Nam omnis gratia actualis interna, vel est illustratio mentis, vel motus indeliberatus voluntatis: At negare cogitur gratiam actualem internam Adami & Angelorum esse

motum indeliberatum voluntatis; Ergo fateatur oportet esse tantùm illustrationem mentis. Cur igitur illud dissimulat? Cur his omnibus in locis, quibus vtriusque adiutorij discrimen inuestigat, ne verbum quidem facit, vnde istud lector subodoretur? Si ageret sincerè, si S. Augustini mentem sine fraude exponeret, nunquid eo capite, cuius hæc inscriptio: *Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis à recentiorum notitia valdè abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta illius discriminis.* Et sequenti, cuius hic titulus: *Affertur ex Augustino, ac declaratur discrimen adiutorij sanæ voluntatis, & ægrotæ, hoc est adiutorij sanitatis, & medicinalis.* Nunquid, inquam, his capitibus ostenderet, gratiam medicinalem, ad voluntatem pertinere, gratiam verò sanitatis ad intellectum? Libro verò de gratia primi hominis & Angelorum cap. 12. quo quærit: *Quale fuerit illud Adæ & Angelorum adiutorium quantùm ad substantiam.* Probare sanè debuisset, non illud fuisse motionem voluntatis, sed intellectus tantùm, quemadmodum libro 4. de gratia Christi cap. 1. cùm quærit: *Quid sit medicinale Christi adiutorium secundùm substantiam:* probat: *Esse cælestem suauitatem, seu delectationem iuxta mentem S. Augustini.* Denique quoties discriminis inter vtramque gratiam meminit, toties illud inculcare debuisset, discrepare illas secundùm substantiam, quòd altera sit motus indeliberatus voluntatis: altera intellectûs.

Lib. 2. de grat. Christi c. 3. & 4.

Quod adeo non facit, vt omni nitatur ope discrimen illud premere, & ab eo lectoris mentem longissimè abducere. Hinc insinuat persæpe vtrumque adiutorium non differre secundùm substantiam, sed illorum *differentiam tantummodo attendendam esse secundùm maius & minus, efficacius & inefficacius.* Quòdque mirum magis videtur, nonnunquam disertè asserit, gratiam primi hominis *motiones, voluntatisque succensiones* complecti. At ne quis istud incogitanti excidisse crederet, clarissimo S. Augustini testimonio confirmat,

Lib. de gratia prim hominis c. 13. ibidem cap. 12.

qui libro 14. de Ciuitate Dei cap. 13. de Adamo sic loquitur: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, &* ACCENDEBATVR VT AMARET, *stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret.* Tam expressis verbis istud commentarij nouus Doctor attexit: *Quæ illustratio mentis vt videret, & accensio voluntatis vt amaret, ita efficaciter verissimum & proprissimum Diuinæ gratiæ adiutorium secum ferunt, vt pro vera gratia lapsi hominis euidentius & efficacius testimonium ex Augustino, vel Conciliis proferre nequeamus.* Totidem ferè verbis illud ipsum repetit, libro 2. de gratia Christi cap. 29. Sic ille non modò innuit, sed etiam clarissimè affirmat, adiutorium sanitatis cælestem delectationem, seu motum indeliberatum voluntatis comprehendere. Quod eius principiis capitaliter est infensum. Nam si Adam & Angeli delectatione cælesti opus habuerunt vt bene vellent, falsum est quod docet, cælestis illius delectationis necessitatem ex voluntatis infirmitate nasci: falsum quoque, voluntatem eò summa necessitate ferri, quò antegressæ delectationis maior suauitas eam prælectat: siquidem Adamus, qui voluntatem habuit cælesti illa delectatione succensam, nec contrariâ impeditam cupiditate, peccàuit.

PARAGRAPHVS II.

Quo sensu gratia naturæ integræ sit sola intellectûs illustratio: gratia verò naturæ corruptæ motio voluntatis.

TANDEM illud à nobis clara in luce collocatum est, quod nouus Theologus premere conabatur. Patet modò, quod dissimulabat, genuinum inter vtriusque gratiæ adiutoria discrimen ex eius mente in eo

poni, quòd medicinalis gratia actus sit indeliberatus voluntatis: gratia verò naturæ integræ, solius mentis illustratio. Quæ eius opinio, etsi ad veritatem accedere videatur, habet tamen nonnulla paucis castiganda.

Displicet 1. quòd medicinale Christi adiutorium ita cælesti delectatiòne definiat, vt timorem diuinitùs voluntati inspiratum ad illud pertinere nolit. Vnde colligit, *timorem pœnæ & opus ex illo timore factum, non esse ex gratia Christi:* etiamsi *Deus timorem istum suâ prouidentiâ in animis peccatorum, vel semper, vel subinde concitet, vel etiam, si ita libet, interiùs inspiret.* Displicet, inquam, illud; nam primò, timor ille est gratia, de qua S. Augustinus ita Deum loquentem inducit Homilia 23. cap. 6. *Vt non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes quod non admisisti.* Et S. Prosper libro 2. de vocatione gentium cap. 28. probat, *consensum voluntatis per gratiam gigni ex terrore, & metu.* Secundò, est gratia medicinalis, iuxta illud sancti Augustini Tractatu 9. in Epistolam Ioan. *Opus est ergo vt intret timor primò, per quem veniat charitas,* TIMOR MEDICAMENTVM, *charitas sanitas.* Tertiò, est etiam gratia per Christum; quia nihil prorsus nobis impènditur gratiæ, nisi per Christum. Fateor quidem non esse perfectam illam medicinalem gratiam, de qua S. Augustinus ferè semper disputat, quæque vltimum nostræ infirmitati remedium adhibet: at istud non impedit quo minus ad Christi gratiam pertineat.

Libro 5. de gratia Christi saluatoris cap. 16.

Displicet 2. quòd suis stare principiis non possit, quin neget, Adamum præuia delectatione ad bene agendum fuisse pellectum; quod tamen S. Augustinus clarissimè affirmat libro 14. de Ciuitate Dei cap. 15. *Si voluntas* Adami *in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, &* ACCENDEBATVR VT AMARET, *stabilis permaneret &c.* Quo loco tam disertè succensio voluntatis, & præuia delectatio exprimi-

primitur, vt Aduersarius ipse inficiari non potuerit.

Hæc in eius opinione mihi displicent. Cætera illi assentior. Verum est enim quod ait, gratiam naturæ integræ esse illustrationem mentis: gratiam verò naturæ corruptæ motionem voluntatis. Sed quo sensu id verum sit, enucleatiùs exponendum est. Primus homo & Angeli gratiam sanctificantem in ortu acceperant, & supernaturalium virtutum habitus, nihilque prorsus domesticæ labis, aut corruptelæ in se habebant, quo ad malum traherentur. Quamobrem licèt supernaturali mentis illustratione ad meritoriè operandum indigerent: eâ tamen positâ nouæ gratiæ auxilio opus illis non fuit. Nam continuò voluntas supernaturali habitu instructa indeliberatum amoris supernaturalis motum necessariò profundebat, & deliberatum amorem pro libito exerere poterat. Longè est alia vitiatæ naturæ ratio. Quantumlibet enim hominis corrupti mens Diuinâ luce collustretur, voluntas tamen carnalis concupiscentiæ vinculis obstricta, nec indeliberatum, nec deliberatum amoris supernaturalis motum concipere de se potest. Hæc paucis & sigillatim probanda sunt.

Dixi primò, Adami & Angelorum voluntatem gratiâ sanctificante, & supernaturalium virtutum habitibus instructam supernaturali mentis illustratione ad bene agendum indiguisse. Probat illud S. Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. vltimo. *Voluntatem*, inquit, *non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quod autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate; sed quo viso tangatur nulla potestas est.* Quod etiam pertinere ait ad primum hominem, & Angelos. Sic prorsus vt vniuersim verum sit, quod docet libro de spiritu & littera cap. 33. *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem.* Nihil hîc mihi cum Aduersariis controuersiæ.

Dixi 2. positâ illâ mentis illustratione Adamum &

Angelos nouæ gratiæ auxilio non indiguisse. Ratio est, quòd eorum voluntas per se, id est, vt explicat sanctus Anselmus Dialogo de casu diaboli cap. 12. *per hoc, quod iam habebat*, & indeliberatum & deliberatum amoris supernaturalis actum concipere posset. Indeliberatum quidem necessariò profudit; quia respectu illius erat causa connaturalis, nec tantùm habebat omnia ad eum producendum necessaria; sed nihil erat omnino quod eius actionem impediret. Quâ igitur necessitate oculus bene sanus, nec vllo suffusus humore, propositum sibi debitè obiectum, & temperata collustratum luce intuetur: eâdem prorsus necessitate voluntas Adami perfectè sana, & supernaturalium virtutum habitibus ornata, in Diuinam bonitatem supernaturali mentis illustratione cognitam, indeliberato complacentiæ actu rapiebatur. Sicque præuius ille motus, quo Adamus *accendebatur vt amaret*, non erat noua gratia, nec Deus illum per se imprimebat voluntati, sed ex ea supernaturali instructâ habitu, & Diuinâ luce perfusâ, connaturali necessitate promanabat: quemadmodum ex corrupta voluntate, cui noxiæ delectationis obiectum proponitur, indeliberatus concupiscentiæ motus necessariò prosilit.

Dixi 3. aliter habere in natura corrupta. Voluntas enim primi peccati vulnere debilitata, licèt Diuinam bonitatem supernaturali mentis illustratione sibi propositam habeat, ne primum quidem & indeliberatum amoris supernaturalis actum exerere per se potest. Neque de ea tantùm voluntate loquor, quæ gratiâ sanctificante, & supernaturalium virtutum habitibus spoliatur; sed de illa etiam, quæ iis ornata dotibus est, quæque proinde indeliberatum complacentiæ motum necessariò profunderet, nisi carnalis concupiscentiæ vinculis obstricta teneretur. Quemadmodum enim iustitia originalis inferiorem appetitum frænabat, ne in propositam delectationem noxiam indeliberato com-

placentiæ motu raperetur: ita originalis concupiſcentia ligat voluntatem ſanctam, ne ad obiectum ſibi bonum ſupernaturale indeliberato amore aſpiret. Quem ergo de ſe concipere motum non poteſt, cælitus accipit: nec illi tantùm noua gratia eſt mentis illuſtratio Diuinitus immiſſa, ſed ipſe quoque actus indeliberatus amoris, quo ad agendum prouocatur. Toties hanc aſſertionem S. Auguſtinus probat, quoties aduersùs Pelagianos contendit, in hoc naturæ corruptæ ſtatu ſatis non eſſe ad bene agendum, vt mens cælitus illuminetur; ſed requiri inſuper vt Spiritus ſanctus delectationem, id eſt ex ipſius Aduerſarij interpretatione, indeliberatum amoris motum voluntati immediatè & per ſe imprimat. Sic libro de ſpiritu & littera cap. 3. *Neque liberum arbitrium*, inquit, *quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: & cùm id quod agendum, & quò nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene viuitur: vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Et capite ſequenti docet mentis illuſtrationem nihil ad bene agendum prodeſſe, *vbi ſanctus non adiuuat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris.* Quare Pelagianos vexat lib. 4. ad Bonifacium c. 5. quòd vellent, nos habere *à Domino Deo adiutorium cognitionis, quo ea quæ facienda ſunt nouerimus: non inſpirationem dilectionis:* quam ait eſſe *propriam gratiam:* naturæ nimirum corruptæ.

Diutiùs in hac aſſertione non morabor, quòd eam nouus Theologus fuſiſſimè probet, cùm libro 1. & 4. de gratia Chriſti ex innumeris S. Auguſtini locis conficit, Deum hoc in ſtatu præter illuſtrationem mentis, quæ à S. Auguſtino generali doctrinæ nomine comprehenditur, pium etiam voluntati motum per ſe inſere-

re, qui non modò noua, sed etiam propria Christi gratia est.

Genuinum igitur inter vtriusque gratiæ adiutoria discrimen est, quòd altera solius mentis illustrationem: altera delectationem cælitus immissam complectatur. Quò spectat famosus ille S. Augustini locus ex libro de correptione & gratia cap. 11. *Quid ergò? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparauerat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos à malo.* Hæc radix inter vtramque gratiam discriminis: domestica scilicet labes, quâ carebat Adam, nos opprimimur. Hinc subdit: *Ille non opus habebat eo adiutorio quod implorant isti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendíque virtutem per Christi gratiam poscunt.* Hæc gratia est delectatio cælestis, quam aduersùs noxiam concupiscentiæ suauitatem Spiritus sanctus infundit.

Aliud eodem loci inter gratiam Adamo ad perseuerandum concessam, & eam, quâ Sancti modò perseuerant, discrimen explicat, in eo positum, quòd hæc efficax sit, illa verò minimè. Sed istud ad præsens institutum nihil pertinet.

PARAGRAPHVS III.

Aperitur & refellitur arcanum nouæ opinionis mysterium, quo docet, gratiam naturæ lapsæ idcirco ineluctabilem voluntati necessitatem imponere, quia est indeliberatus complacentiæ aut desiderij motus.

ERIT hîc fortasse qui illud S. Anselmi vsurpet ex Dialogo de casu diaboli cap. 7. *Nescio quid sit, vt cùm me sperem ad finem quæstionis iam pertingere, tunc magis videam velut de radicibus succisarum quæstionum alias pullulantes consurgere.* Quis enim non existimâsset totam hanc quæstionem esse confectam, cùm verum vtriusque gratiæ discrimen, quod nouus Theologus omni curâ supprimit, vel ipsis eius verbis exposui. At hinc tamen alia quæstio enascitur, quæ totius ferè controuersiæ caput est & summa. Pugnat Aduersarius ex hoc ipso discrimine sequi, gratiam naturæ lapsæ libertatem ad vtrumlibet homini adimere, quam naturæ integræ adiutorium non læsisset. Quod vt clarescat:

Moneo abesse illum magnopere à physicæ prædeterminationis assertoribus, qui efficacis gratiæ vim ex motione primæ causæ repetunt. Sic eos insectatur: *Qui medicinalem Christi saluatoris gratiam sic defendere conantur, vt eam in talem prædeterminationem physicam transforment*, MAGIS PROFECTO ARISTOTELICI, QVAM AVGVSTINIANI SVNT. NAM TALIS PRÆDETERMINATIO SIC ASSERTA, NON SOLVM NVLLO TESTIMONIO EIVS PROBARI POTEST, SED POTIVS VNIVERSAM DOCTRINAM EIVS INNVMERIS LOCIS TRADITAM INEXPLICABILI CONFVSIONE PERTVRBAT. *Tollit enim differentiam integræ læsæque vo-* Libro 2. de grat. Christi cap. 1.

luntatis, tollit necessitatem duplicis adiutorij, quo, & sine quo non, cum quorum altero Adamus velle, staréque potuit, & Angeli re ipsâ voluerunt steterúntque, lapsi homines velle aut stare non possunt. Tollit, obscurátque veram necessitatem gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam eius, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim scripturis sacris, quæ singularem Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant &c. En eius cum physicæ prædeterminationis auctoribus consensum?

Abest quoque plurimùm ab illorum sententia, qui eiusdem gratiæ vim insuperabilem ab intellectu repetendam docent; quíque opinantur voluntatem necessariò amplecti quidquid illi vt melius atque delectabilius ab intellectu proponitur. Nam hæc etiam opinio eius principia conuellit, cùm parem gratiæ sanitatis ad inferendum consensum vim tribuat. Certum est enim Angelos tam copiosa donatos fuisse luce, vt Deum rebus omnibus amabiliorem cognoscerent; certum quoque in Aduersarij opinione dæmones ipsos & Adamum non fuisse minori luce perfusos; adeóque summa omnes necessitate Deum amassent, si clarior illa intellectus cognitio voluntatem necessariò abriperet.

Libro 8. de grat. Christi cap. 3. & lib. 4. c. 9.

Quæ est ergo eius opinio? Illam sic exponit. Docet voluntatem nostram ita esse comparatam, vt ineluctabili necessitate eò inclinet, quò antegressa delectatio maior, seu ardentior complacentiæ aut desiderij motus indeliberatus eam pellicit. Ita vt si vel leuis obiecti alicuius delectatio amórque indeliberatus voluntatem demulceat, nec alia delectatione contrariâ oppugnetur, necessariò consensum exprimat: si verò contrarię delectationes duæ inter se confligant, illa quoque pari necessitate animum trahat, quæ magis delectauerit. Quia necesse est, inquit, vt id voluntas velit, quod eam magis delectat. Hinc colligit 1. volun-

tatem absente delectatione cælesti titillantis concupiscentiæ motibus indeliberatis necessariò consentire. Colligit 2. Adamum & Angelos qui carnalis delectationis illecebrâ carebant, Deum summa necessitate amaturos fuisse, si eorum voluntatem cælestis aliqua delectatio consensum antecedens imbuisset. At istud tam obscurè pronuntiat, satis vt constet eum timuisse, ne grauissimo vulneri, quod hac parte accipere potest, locum aperiret. Colligit 3. Beatos Deum necessariò amare; quia extinctâ concupiscentiâ, sola in eis delectatio cælestis dominatur. Colligit 4. gratiam medicinalem dici posse prædeterminationem physicam; quia *se habet in ipsa potentia voluntatis, quam propriè suæ suauitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, vt pote causans in ea hoc ipsum vt se determinet, adeóque prædeterminans.*

Libro 8. de gratia Christi cap. 9.

Lib. 2. de grat. Christi cap. 5.

Multa sunt quibus hæc opinio euerti potest. Sed ea tantùm proferam, quæ ex ipsius Aduersarij placitis accersita maiorem apud eius patronos fidem obtinebunt. Ac primò, recordare quod superiùs ostendi, bis illum docuisse, primum hominem præuiâ voluntatis succensione ad amorem Dei fuisse prouocatum: idque ex hoc S. Augustini loco libro 14. de Ciuitate Dei cap. 15. confirmasse. *Si voluntas* Adami *in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret,* ET ACCENDEBATVR VT AMARET, *stabilis permaneret* &c. Hinc ita colligo: succensio illa voluntatis quâ Adamus accendebatur vt amaret, erat motus indeliberatus amoris, qui nullâ rebellantis concupiscentiæ vi oppugnabatur; & tamen consensum non expressit; Ergo falsum est omnem motum indeliberatum amoris, qui contrario non vincitur, consensum necessariò exprimere.

Secundò, ex illa opinione sequeretur libertatem ad vtrumlibet voluntati funditus periisse, etiam respectu earum rerum, quas Aduersarij arbitrio nostro

permittunt, cuiusmodi est venatio, deambulatio, atque alia eiusdem generis. Docet enim nouus Theologus voluntatem hoc in statu nihil prorsus amplecti posse, nisi quod præuio amoris & complacentiæ actu eam delectarit, vnde istud corollarium deducit: *Delectationem, vt quis bonum velit, non ex natura boni, aut supernaturalis operis; sed potiùs ex conditione volendi necessariam esse. Voluntas enim sine delectatione velle, aut moueri nullo pacto potest. Quod sanè respectu cuiuslibet operationis locum habet.* Ergo etiam respectu volitionis deambulandi. Ex quibus sic disputo. Præuia illa delectatio, quæ necessaria est, vt homo velit deambulare, vel contrariâ delectatione oppugnatur, vel non oppugnatur: si non oppugnatur, volitionem deambulandi necessariò elicit; quemadmodum concupiscentia absente delectatione cælesti consensum necessariò exprimit: si autem oppugnatur, vel contrariam vincit, vel non vincit: si vincit, pari necessitate eandem volitionem extorquet: si non vincit, non ipsa, sed altera consensum exprimit; quia ex Aduersarij principiis, secundùm id velimus necesse est quod magis nos delectat. Valet illud argumentum in aliis omnibus volitionibus, quæ cùm ex maiori delectatione oriri debeant, summa semper necessitate producentur.

Libro 4. de gratia Christi cap. 7.

Tertiò, indidem sequeretur, peccatorem non modò generali peccandi necessitate obstringi, sed etiam hîc & nunc ab hoc peccato quod committit temperare non posse. Quod adeo inuidiosum ipsi Aduersario visum est, vt contendat illum quidem generali peccandi necessitate teneri, *vt quoquouersum se se verterit, in genere necesse sit illum malè agere; sic tamen vt in singulari nullum peccatum necessariò perpetret.* Et capite sequenti docet eundem posse, *ab illo peccato, quod hîc & nunc facit, abstinere.* Ita vt, inquit cap. 19. *peccatum liberum sit quoad exercitium, vt loquuntur, necessarium quoad*

Libro 4. de statu nat. lapsæ c. 19.

ad specificationem. Contrarium prorsus ex superiori eius doctrina colligitur. Quemadmodum enim docet medicinalem gratiam, quâ homo hîc & nunc afflatur, non generalem tantùm bene agendi necessitatem imponere; sed etiam huius virtutis, putà castitatis, actum necessariò elicere; quia est præuia delectatio circa hanc virtutem: sic etiam affirmare debet, noxiam delectationem, quâ proritante hîc & nunc libidinosus peccat, non tantùm ad malum in genere voluntatem addicere; sed etiam hoc peccatum inferre necessariò; quia illius, non alterius, delectatio est: nec minus illi conuenit, vt ad exercitium quoque voluntatem prædeterminet, quàm delectationi cælesti; si quidem ex Aduersarij opinione, par est vtriusque ad inferendum consensum vis & efficacia.

Horrenda verò ex hac assertione corollaria deducuntur, quæ intelligere per se poterit, quisquis recordabitur docere nouum Theologum, humanæ libertati modò non tribui, quòd aspirante gratiâ bene agat; quia, inquit, voluntatis determinatio nullo modo ab humana libertate, sed tantùm à gratia, seu delectatione cælesti petitur. Ergo nec libertati nostræ modò tribui debet quòd malè agimus; quia nec voluntatis determinatio ad malum ab humana libertate, sed à præuia delectatione proficiscetur. Quæ delectatio cùm à dæmone, externis obiectis, atque ipsis etiam sideribus, per inferioris appetitus motionem excitetur, iis erit adscribendum quidquid ex illa peccamus. Erit quidem tribuendum concupiscentiæ originali quòd peccemus in genere; sed quòd homicidij potiùs, quàm adulterij voluntatem suscipiamus, non concupiscentiæ, non liberæ electioni nostræ, sed dæmoni tantùm, aut alteri causæ hanc potiùs quàm alteram delectationem excitanti erit adscribendum.

Lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 15.

Vnum tantùm cúmque valdè breuem S. Augustini locum tot rationibus Aduersarius opponit. Quem

Libro de gratia Christi cap. 7. antequam proferat, pluribus contendit, voluntatem nihil modò amplecti posse, quod illam præuiâ suauitate non deliniat. Atque huic veritati confirmandæ illud S. Augustini adhibet ex libro 22. contra Faustum cap. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Quasi vox illa, *delectat*, hîc significet motum indeliberatum complacentiæ aut desiderij, qui consensum anteuertit. Tum decretorium S. Augustini locum profert ex enarratione in Epistolam ad Galatas: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Vbi rursus eadem voce, *delectat*, præuiam illam motus indeliberati suauitatem exprimi putat, indéque colligit, voluntatem eò summa necessitate ferri, quò illam indeliberati motus illecebra maior prolectat. Vno hoc testimonio nititur quidquid de concupiscentiæ, & gratiæ medicinalis ineluctabili vi disputat. Sed eius interpretatio à S. Doctoris mente plurimùm abhorret. Quod vt intelligas,

Ibidem c. 9. & libro 8. cap. 1.

Obserua, vocem illam, *delectat*, non hîc designare indeliberatum amoris actum, qui voluntatis consensum anteuolat. Patet illud in eo loco, quem ex libro 22. contra Faustum cap. 28. truncatum ac mutilum Aduersarius citat. Sic habet: *Si nihil delectaret illicitum nemo peccaret.* Mox: *Vtrum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum posit delectare, magna quæstio est. Quod si est, non in eo genere factus est homo: nec illa natura Angelica, quæ in veritate non stetit: Sed in eo genere ista rationalia facta sunt, vt inesset eis posibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccauerunt.* Peccauerunt ergo primus homo & Angeli, quòd aliquid illicitum eos delectarit; adeóque in illa sententia: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret:* vox hæc, *delectaret*, non indeliberatum complacentiæ aut desiderij motum, quo illi circa malum caruerunt, exprimit; sed ipsum potiùs liberum amorem, quo rei illicitæ cum delectatione adhæserunt. Est enim amor

omnis, ac præcipuè liber, delectatio quædam, vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 32. artic. 3. & 6. vnde S. Augustinus libro 22. de Ciuitate cap. 30. de Beatis ait: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia* PECCATA EOS DELECTARE NON POTERVNT: quemadmodum malos Angelos & Adamum nullâ antegressâ delectatione noxiâ prouocatos delectarunt, per liberum scilicet consensum.

Idem est S. Augustini sensus loco illó percelebri ex enarratione in Epist. ad Galatas, quem vnum Aduersarius nobis intentat. Vnde S. Doctor non ait: *Quod ampliùs nos delectat, secundùm hoc velimus necesse est*: sed: *operemur necesse est*. Agit enim de actione externa, docétque nos operari exteriùs secundùm id, quod per electionem, & deliberatum voluntatis actum magis amamus. Satis illud indicat locus integer, quem hîc repræsento. *Quod ampliùs nos delectat secundùm hoc* OPEREMVR *necesse est: vt verbi gratia, occurrit forma speciosa fœminæ, & mouet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundùm hanc* VIVIMVS, *& secundùm hanc* OPERAMVR. Ita primus homo, qui, vt ex S. Augustino paulò antè dicebam, ideo peccauit quòd aliquid illicitum eum delectarit, secundùm id operatus est exteriùs vetitæ arboris fructum comedendo. Licèt enim fortasse velleitatem quandam habuerit Diuini præcepti implendi, quâ velleitate delectabat eum vtcumque debita Deo obedientia; quia tamen eodem tempore alia voluntate fortiori malum magis amabat, eóque delectabatur ardentiùs, secundùm hanc voluntatem operatus est. *Quod enim ampliùs nos delectat secundùm hoc operemur necesse est.*

Ex his porrò quæ hoc paragrapho disputaui colligere promptum est, non omnem delectationem cælestem esse efficacem; adeóque falsum esse quod nouus Doctor toties inculcat, *nullam prorsus medicinalem gratiam* Libro de grat. Christi cap. 25.

effectu carere, sed eum in omnibus quibus datur infallibiliter operari. Sic probo: Docet ipse eandem esse rationem delectationis terrenæ, & delectationis cælestis, eandem vtriusque ad inferendum consensum vim & efficaciam: At fateri cogitur non omnem delectationem terrenam, quam indeliberatum concupiscentiæ motum vocat, inferre consensum; cùm S. Augustinus toties asserat, Apostolum non consensisse molestis concupiscentiæ motibus, quibus importunè pulsabatur; Ergo fateatur quoque oportet, non omnem delectationem cælestem, seu non omnem gratiam medicinalem inferre consensum.

Libro 8. de grat. Christi cap. 2.

Et sanè videtur id expressè fateri, cùm ita scribit: *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adiutorium, relatiua est. Tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus nec efficaciter vnquam volet quod volendum est.* Quod vt pleniùs intelligatur, lectorem remittit ad alium locum, in quo istud ex professo tractans docet: *Multos Diuinitus mente collustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus Diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius interna suauitate & inclinatione dissentiunt:* quòd illa gratia *liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias tantùm excitet;* quia nimirum contraria delectatio victrix est, & ardentior. Ex quibus ita colligo: Delectatio illa cælestis quæ liberam tantùm velleitatem elicit, non eam elicit necessariò: Ergo falsum est omnem delectationem cælestem necessariò effectum sortiri. Probatur antecedens ex eius principiis. Tunc tantùm delectatio cælestis necessariò effectum sortitur, cùm est contrariâ ardentior magísque nos delectat, iuxta illud S. Augustini: *Quod magis nos delectat, secundùm id operemur necesse est:* At fatetur ipse delectationem illam, quæ velleitatem tantùm elicit, non esse contrariâ ardentiorem, nec magis nos delectare: Ergo illa delectatio effectum necessariò

Lib. 2. de grat. Christi cap. 27.

non sortitur. Amplius dico, sæpe nullum habet; quemadmodum concupiscentiæ motus indeliberati, cùm ardentior est gratia, sæpenumero ne leuissimam quidem velleitatem liberam impetrant.

Dices, S. Augustinum affirmare gratiam Christi effectu nunquam carere: vnde libro de correptione & gratia cap. 11. sic illam describit: *Secunda ergo gratia plus potest, quâ fit etiam vt velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Respondeo, non omnem Christi gratiam his verbis describi. Atque id ipse Aduersarius fateri cogitur, cùm doceat, multas esse Christi gratias, quæ carnis voluntatem contraria concupiscẽtem non vincant. His ergo & similibus verbis ea tantùm gratia designatur, quæ victrix est & efficax, quæque, etsi antecedentem voluntati necessitatem non imponat, infallibiliter tamen effectum consequitur. Hinc est quòd S. Augustinus omnibus ferè in locis, quibus efficacis illius gratiæ vim prædicat, disertè affirmet, loqui se de ea gratia quæ prædestinatorum est propria: Ita libro de correptione & gratia cap. 12. *Nunc verò* SANCTIS IN REGNVM DEI PRÆDESTINATIS *tale adiutorium*, &c. Et libro de gratia Christi cap. 13. *Sic docet Deus eos* QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT, *simul donans & quid agant scire, & quid sciunt agere.* Quæ sit verò gratia prædestinatorum propria ex prædestinationis definitione à S. Augustino tradita libro de dono perseuerantiæ cap. 14. potest intelligi. *Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei*, QVIBVS CERTISSIMÈ LIBERANTVR *quicumque liberantur.* Vides prædestinatorum gratiam eam esse quibus certissimè liberantur. Hæc profectò nunquam effectu frustratur suo, nam etsi repudiari ab humana voluntate possit, nunquam tamen repudiatur.

PARAGRAPHVS IV.

Consectaria quædam ex superiori doctrina deducuntur, quibus vtriusque adiutorij proprietates explicantur.

QVÆRITVR I. quæ sit S. Augustini sententia libro de correptione & gratia cap. 11. & 12. vbi vtriusque gratiæ adiutoria comparat. Respondeo, agere illum de gratia, quam Adamus ad perseuerandum accepit, eámque cum illa componere, quâ modò prædestinati perseuerant. Quas inter duplex ait esse discrimen. Primum substantiale est, atque inde petitur, quòd altera sit gratia voluntatis, seu in voluntate posita: altera verò minimè. *Ille*, inquit cap. 11. *opus non habebat eo adiutorio quod implorant isti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Id est, opus non habebat peculiari voluntatis adiutorio, quo nos concupiscentiâ oppressi indigemus. Discrimen alterum accidentale est, atque in eo ponitur, quòd gratia, quæ modò prædestinatis ad perseuerandum conceditur, sit efficax: gratia verò Adami non fuerit. *Nunc verò*, inquit cap. 12. *Sanctis in regnum Dei per regnum Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Quibus verbis non eiusmodi gratia exprimitur, quæ antecedentem perseuerandi necessitatem imponat, vt ex libro de dono perseuerantiæ cap. 6. vbi huius loci difficultatem omnem abstergit, demonstrari facilè potest.

Massilienses Presbyteri immodicè tulerant illa S. Augustini verba, quibus impensum prædestinatis per-

ſeuerantiæ donum ita prædicabat, vt aſſereret *per hoc donum nonniſi perſeuerantes eſſe.* De hac illorum expoſtulatione ad S. Auguſtinum Hilarius ſcripſit, rogauitque vt mentem ſuper ea re ſuam clariùs exponeret. Expoſuit ille citato loco in hæc verba. *Sed nolunt, vt ſcribitis, iſti fratres ita hanc perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit. vbi quid dicant parum diligenter attendunt.* DE ILLA ENIM PERSEVERANTIA LOQVIMVR, QVA PERSEVERATVR VSQVE IN FINEM, *quæ ſi data eſt, perſeueratum eſt vſque in finem: ſi autem non eſt perſeueratum vſque in finem, non eſt data, quod iam & ſuperiùs ſatis egimus. Non itaque dicant homines, perſeuerantiam cuiquam datam eſſe vſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeueraſſe, cui data eſt, repertus fuerit vſque ad finem. Dicimus quippe caſtum, quem nouimus caſtum, ſiue ſit, ſiue non ſit in eadem caſtitate manſurus, & ſiquid aliud Diuini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt, dicimus eum habere quandiucumque habet, & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe. Perſeuerantiam verò vſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum eſt, ne forte* CVM PERSEVERAVERIT HOMO VSQVE IN FINEM, ALIQVA IN EO MALA VOLVNTAS ORIATVR, NE PERSEVERET VSQVE IN FINEM. *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit amitti contumaciter non poteſt. Cùm enim perſeuerauerit quiſque vſque in finem,* NEQVE HOC DONVM POTEST AMITTERE, NEQVE ALIA QVÆ POTERAT ANTE FINEM. *Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod poſſet amitti?*

En Auguſtinum ſui ipſius interpretem: en clariſſimam loci illius explicationem, quem Caluinus Tridentino Concilio, & Doctoribus Sorbonicis tanta verborum procacitate impingit. Ait S. Doctor donum illud perſeuerantiæ, cuius efficaciam libro de correptio-

ne & gratia tantopere commendarat, tunc tantùm amitti contumaciter non posse, cùm perseueratum est vsque ad finem. Ergo non arbitratur donum illud eiusmodi adiutoriis contineri, quibus humana libertas reluctari non possit; aliàs enim etiam dum hîc viuimus amitti contumaciter non posset, siquidem illa adiutoria vt antecedentem perseuerandi necessitatem, ita quoque impossibilitatem non perseuerandi inducerent.

Quæritur 2. cur S. Augustinus appellet adiutorium perseuerantiæ Adamo concessum, *adiutorium sine quo non*: illud verò quod modò prædestinatis impenditur, *adiutorium quo*. Huius quæstionis solutioni præmittenda est vtriusque vocis explicatio clarissimis à S. Augustino verbis tradita libro de correptione & gratia cap. 12. *Aliud est*, inquit, *adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta eis fit vt viuat, qui mori voluerit: Ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo continuò fit beatus: & si data nunquam fuerit, nunquam erit.* Si hæc verba rigidiùs interpreteris, & *adiutorium quo* illud esse contendas, quo formaliter aliquid fit: cuiusmodi est beatitudo, quâ formaliter sumus beati: quælibet medicinalis gratia propriè dicta erit adiutorium quo formaliter volumus. Est enim volitio quædam indeliberata, quæ formaliter volentes facit. Nulla verò gratia sanitatis erit adiutorium quo velimus; quia cùm sit illustratio mentis per eam formaliter non volumus. Eodem sensu donum perseuerantiæ quo perseueratur vsque in finem, est *adiutorium quo*, quia per illud formaliter sumus perseuerantes,

rantes. Nam vt ait loco citato ex libro de dono perseuerantiæ: *De illa perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsque in finem: quæ si data est perseueratum est vsque in finem: si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data.*

Videtur nihilominus aliud nihil his verbis expressisse, quàm quod superiori quæstione exposui. Nimirum, *adiutorium sine quo non* interpretatur adiutorium cognitionis, sine quo voluntas quantumuis sana agere non potest. At *adiutorium quo* illud intelligit, quod est in ipsa voluntate, & cum illa propriè & immediatè liberam volitionem operatur. Duo igitur requirit ad *adiutorium quo*. Primum, vt sit motio ipsius voluntatis. Secundum, vt reipsa sit efficax. Explicari illud potest exemplo tentationis. Quærit S. Augustinus libro 3. de libero arbitrio cap. vltimo. *Vnde ipsi diabolo suggestum sit appetendæ impietatis consilium, quo de sublimibus sedibus laberetur. Si enim*, inquit, *nullo viso tangeretur non eligeret facere, quod fecit: nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem conuertisset in nefas* &c. Tentatio illa, cui reipsa dæmon consensit, cùm ad intellectum duntaxat pertineret, erat *tentatio sine quâ non*. At concupiscentia, seu motus indeliberatus voluntatis ad malum, dum liberum consensum à voluntate elicit, est *tentatio quâ*: quia & est tentatio in voluntate posita, & consensum reipsa infert. Quemadmodum autem defectu posterioris huiusce conditionis, concupiscentiæ motus, qui nullum consensum impetrat, non est *tentatio quâ*; ita eiusdem conditionis defectu, cælestis delectatio, quę nullum à voluntate actum liberum elicit, non est *adiutorium quo*. Nec asserere Aduersarius potest omnem delectationem cælestem esse *adiutorium quo*, quin asserat quoque omnem delectationem terrenam, seu omnem motum indeliberatum concupiscentiæ esse *tentationem quâ*.

Quæritur 3. cur S. Augustinus asserat, Deum Adamo

reliquisse voluntatem suam; at homini corrupto non reliquisse. Respondeo S. Doctorem id vnum velle, Adamum cùm voluntatem haberet sanam, non aliâ nouâ gratiâ opus habuisse, quàm mentis illustratione, quâ positâ poterat per se, id est ex interpretatione S. Anselmi, *per ea quæ iam habebat*, bene agere, si vellet. At hominem lapsum, præter illam mentis illustrationem, nouâ donari gratiâ debere, quæ immediatè à Deo in ipsa voluntate excitata, cum ea operetur vt velit. *Nam*, vt ait libro de correptione & gratia cap. 12. *Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat,* IPSIS RELINQVERETVR VOLVNTAS SVA, *vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec in eis operaretur vt vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet.*

Sed vt quæstiones alias huic persimiles paucis expediam, obserua voluntatem sanam, id est, iustitiâ originali & supernaturalium virtutum habitibus ornatam, vocari à S. Augustino libro de peccatorum meritis cap. 37. *mentis valentiam*, & libro 11. de Genesi ad litteram POSSE NATVRÆ, item, POSSIBILITATEM NATVRALEM. Vnde Celestinus ait in Epistola ad Episcopos Gall. cap. 3. *in prauaricatione Adæ omnes homines* NATVRALEM POSSIBILITATEM *& innocentiam amisisse.* Quibus appellationibus non innuit originalem iustitiam esse voluntati naturalem, & ab illa necessariò exigi, sed tantùm illi ab origine insitam fuisse. Hæc porrò *naturalis possibilitas*, seu voluntas sana, etsi diuinâ luce ad bene agendum indigeret, quia tamen eâ positâ agere per se poterat, peculiari quodam modo bonum opus illi tribuebatur. Hinc S. Augustinus asserit libro de Correptione & gratia cap. 10. Angelos *per liberum arbitrium stetisse.* Et libro de dono perseuerantiæ cap. 7. ait: *Non discedere à Deo non esse in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt;*

fuisse in homine antequam caderet. Cui concinens Auctor librorum Hypognost. libro 3. cap. 1. scribit: *Neminem posse per se sibi implere quod velit, rectè dicimus, nisi protoplaston solum potuisse, cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam.* Nimirum eiusmodi sententiæ id vnum spectant, Adami & Angelorum voluntatem solâ mentis illustratione adiutam bene agere potuisse: nobis verò nouâ quâdam interiori gratiâ voluntatem sanante, atque adeo agendi vim illi conferente opus esse.

Indidem collige bona opera naturæ integræ peculiari quodam modo esse merita; quia cùm immediatum illorum principium esset voluntas sana: quemadmodum hæc *naturalis possibilitas* dicitur: sic etiam profectum ab illa bonum opus *meritum humanum* nuncupatur. At hoc in statu cùm immediatum boni operis principium, non sit naturalis possibilitas, meritum non est *humanum*; sed à Diuina gratia, quæ voluntatem sanat, & amissam boni operis efficiendi possibilitatem donat, *gratuitum* & *Diuinum* appellatur. Vtrumque his verbis S. Augustinus expressit libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Humana hîc merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quemadmodum autem bona opera à *naturali possibilitate* profecta, dicuntur *merita humana*: ita gloria his meritis reddita, propriè *merces* appellatur; & quæ meritis per medicinalem gratiam comparatis modò rependitur, licèt etiam sit merces, cum altera tamen comparata potiori quodam iure *donum gratiæ* nuncupatur. Disertissimè illud tradit S. Augustinus libro de correptione & gratia cap. 11. *Quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti: nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Qui locus, aliique eiusdem sententiæ ineptè à Caluino iactatur pro illa

opinione sua Tridentinis percussa fulminibus, quâ operibus bonis in statu vitiatæ naturæ factis omne prorsus meritum adimit: nam id vnum S. Augustinus his locis agit, quamuis bona opera cùm naturæ integræ, tum vitiatæ sint merita simul & dona gratiæ, quando tamen inter se contenduntur, hæc potiori iure *dona gratiæ*, illa verò peculiari quoque de causa, iam à nobis explicata, *merita* nuncupari.

Superest vt hinc quoque lucis aliquid in ea refundam, quæ prima & secunda huius capitis sectione contra nouum Doctorem disputaui. Pugnabat ille gratiæ sanitatis proprium esse, vt homini suam *voluntatem relinqueret*, quibus verbis hoc si voluisset vnum, nouam illam gratiam quâ sana voluntas indigebat, non fuisse motionem voluntatis, nihil mihi cum illo controuersiæ extitisset. At cùm istud eò valere arbitraretur, vt sola naturæ integræ gratia repudiari à voluntate posset, clarissimis S. Augustini testimoniis demonstraui, medicinalem quoque gratiam voluntatis arbitrio hoc sensu permitti. Pugnabat quoque medicinalis gratię hunc esse characterem, vt ipsumvelle in nobis operetur. Nihil illi super ea re molestiæ exhibuissem, si id explicato hactenus sensu exposuisset. At cùm his verbis intenderet soli gratiæ medicinali competere, vt ipsum velle & operari infallibiliter importet, adeóque gratiæ non esse tribuendum, quòd steterint Angeli, & in bono perseuerârint: contrarium innumeris S. Augustini aliorúmque Patrum testimoniis effeci. Certum est enim gratiam intellectûs, quâ donati sunt Angeli, etsi volitionis effectionem eodem modo, quo gratia medicinalis, non attingat, eam tamen, cùm efficax est, infallibiliter inferre; adeóque rationem vltimam cur Angeli in veritate steterint, in Deum esse refundendam, qui victricem illis cogitationem infudit. Quamobrem licèt S. Augustinus asserat libro de correptione & gratia cap. 11. *Angelos Sanctos cadentibus aliis per li-*

berum arbitrium, per idem liberum arbitrium stetisse, quia sola illorum voluntas natiuis dotibus instructa volitionem, quâ steterunt, immediatè produxit: affirmat nihilominus Concione 2. in Psalmum 32. & alibi passim Angelos non à se ipsis; sed à Deo fuisse solidatos; quia vt docet Fulgentius libro 2. ad Trasimundum cap. 2. periissent omnes, *nisi quos vellet à casu prauitatis virtus illa defenderet.* Idest, nisi prædestinati Angeli peculiari beneficio donati essent: gratiâ nimirum efficaci, quæ licèt in intellectu tantùm existeret, voluntatis tamen consensum infallibiliter erat impetratura. Huic ergo cogitationi victrici, eiúsque auctori Deo adscribenda sunt Angelorum merita, perseuerantia, atque discretio; nam hæc vna eorum omnium fons est & origo.

Eadem face prælucente nihil est in S. Augustini doctrina circa vtriusque gratiæ discrimen tam reconditum, quod non clarescat: nihil in Aduersarij contra communem opinionem argumentis tam formidolosum, quod non vanescat atque dissipetur.

PARAGRAPHVS V.

Noua coniectura de S. Augustini mente circa adiutorium sine quo non, *&* adiutorium quo.

QVÆ hactenus de vtriusque adiutorij discrimine à nobis disputata sunt, si de gratia ad bonam voluntatem suscipiendam Adamo necessaria sermo sit, mihi videntur cum S. Augustini doctrina vsquequaque consentire. Certum est enim ex eius principiis, (nec Aduersarius ipse negauerit) voluntatem sanam non aliâ nouâ gratiâ ad bonam volitionem exerendam indiguisse, quàm mentis illustratione. At si de adiutorio perseuerantiæ sermo sit, putauerim ego aliquid aliud ex S. Doctoris mente esse adiiciendum. Vix enim adduci possum vt credam veritatem habere, quod Ad-

uersarius tanquam opinionis suæ fundamentum supponit, quódque hactenus dissimulaui: nimirum, libro de correptione & gratia cap. 11. & 12. nomine adiutorij illius sine quo dicitur Adamus perseuerare non potuisse, designari gratiam Adamo necessariam ad volendum. Nam singula ferè verba, si expendantur attentiùs, innuunt sermonem esse de peculiari quadam gratia ipsius voluntatis, sine qua Adamus posset quidem velle, sed quæ iam volenti firmitatem quandam, & perseuerandi vim atque potestatem conferret: quæque proinde non voluntatem præueniret vt vellet, sed volentem subsequeretur ne frustra vellet. Si nihil præiudicati affers, Lector erudite, fallor, aut id tibi clarissima S. Augustini verba persuadebunt. Quæ antequam profero,

Præmittenda est notio excitantis & adiuuantis gratiæ, quam ex S. Augustini mente Aduersarius satis commodè exponit. Ait gratiam excitantem illam esse, *quæ bonum voluntatis motum in potentia voluntatis excitat.* Adiuuantem verò, *quæ excitato, acceptóque bonæ voluntatis motu, hominem iam volentem conantémque adiuuat, vt vel efficiat quod voluerit, vel vt fortiùs velit, quàm velle cœpit.* Hæc adiuuantis gratiæ notio innumeris S. Augustini locis comprobatur, ac præsertim ex libro 1. Retract. cap. 9. libro de gratia & libero arb. cap. 20. & libro de gratia Christi cap. 19. Ex quibus ita Aduersarius colligit: *Nihil clarius quàm* ADIVTORIVM *propriè esse respectu voluntatis iam volentis conantisque, sed adolescentis adhuc & infirmæ: quæ vt possit id quod voluit, gratiâ debet adiuuante roborari.* Quò spectat illud S. Bernardi libro de gratia & libero arbitrio: *Conatus liberi arbitrij cassi sunt ad bonum, si non adiuuentur; nulli, si non excitentur.* Eodem quoque pertinet celebris illa diuisio, quâ S. Augustinus gratiam partitur in præuenientem, & subsequentem. Præueniens enim cum excitante confunditur, atque vt Aduersarius ex S.

Libro. 4. de grat Christi cap. 16.

Auguſtino oſtendit, *Gratia eſt, quæ præuenit omnem etiam primum voluntatis motum bonum, quâ voluntas hominis præparatur ac datur, quâ Deus in homine operatur & velle.* Gratia verò ſubſequens eadem eſt cum adiuuante, & ab Aduerſario capite 13. ita ex S. Auguſtini mente deſcribitur: *Eſt gratia quæ conſequitur illa inchoata ſtudia bonæ voluntatis, eáque tanquam infirma fouet, iuuat, roborat, donec perfecta robuſtáque voluntas efficiatur.*

Libro 4. de grat. Chriſti cap. 12.

Monet adhuc Aduerſarius gratiam operantem, & cooperantem cum præueniente, & ſubſequente confundi. Quod vel vno S. Auguſtini teſtimonio ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 17. validè probatur. *Cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens; qui volentibus cooperatur perficiens.* Monet denique illas gratiæ diuiſiones originem ſumpſiſſe ex celeberrima illa controuerſia, quæ tantâ animorum contentione Catholicos inter atque Semi-Pelagianos agitata eſt: nimirum, *an voluntas per ſe incipiat operari bonum, ita vt gratia ſubſequatur bonum motum voluntatis, quo ipſa ſibi gratiam promeretur & parit; an è contrario gratia præcedat omnem bonum motum voluntatis, eúmque in voluntate operetur.* Aſſerebant enim Semi-Pelagiani teſte S. Fulgentio libro de Incarnatione & gratia cap. 18. *Noſtrum eſſe velle credere, priuſquam Dei gratia nos incipiat adiuuare.* Vnde hæc illorum vox peruagata, quam eodem libro Fulgentius refert cap. 29. *Ipſum velle non in homine Deus inchoat, ſed vt ab homine naſcatur expectat.* Ita vt, inquit Hilarius Epiſtola ad S. Auguſtinum, *ideo quis adiuuetur, quia voluit; non ideo quia adiuuatur, velit.* Quamobrem loca Scripturæ quibus bona voluntas Deo tribuitur, *ad id volunt valere vt adiuuetur, qui cœperit velle, non vt etiam donetur vt velit:* Cuius controuerſiæ Catholicos inter atque Semi-Pelagianos ſummam ita S. Auguſtinus complectitur, *Vtrum præcedat hæc gratia; an ſubſequatur hominis voluntatem; hoc eſt, vt pleniùs id eloquar, vtrum*

Libro 4. de grat. Chriſti cap. 15.

ideò nobis datur quia volumus, an per ipsam etiam hoc Deus efficiat vt velimus.

Hinc clarescet S. Augustini sententia de adiutorio perseuerantiæ primo homini & Angelis concesso. Docet enim eiusmodi adiutorium non præuenientem gratiam fuisse, quæ efficeret vt vellent; sed adiuuantem tantùm atque cooperantem, quę susceptum ab iis bonæ voluntatis motum confirmaret, atque corroboraret. Poterat enim eorum voluntas sana, Diuinæ lucis radio perfusa bonam volitionem exerere: at requirebatur ampliùs ad perseuerantiam, vt ipsa quoque interiori quodam auxilio firmaretur, quod nullatenus ad volendum, ad perseuerandum autem erat absolutè necessarium. Nam vt ait in Enchiridio capite 106. *Homo in paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ*, PARVM ERAT VELLE, NISI ILLE, QVI EVM FECERAT, ADIVVARET. Huius loci sensum Aduersarius aperit, cùm alium persimilem exponit ex sermone 3. de verbis Apostoli cap. 10. sic habet: *Non sufficit velis: adiuuandus es vt plenè velis, & impleas quod velis.* Quibus ex verbis Aduersarius ait, *perspicuum esse, gratiam adiuuantem propriè locum habere respectu hominis iam volentis.* Ergo cùm S. Augustinus ait: Adamo *parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuuaret*, de illa gratia non loquitur, quæ Adamũ excitaret vt vellet, sed quæ iam volentem adiuuaret, secundùm illud Hilarij Epistola ad S. Augustinum: ILLVM INTEGRIS VIRIBVS VOLVNTATIS IVVARET GRATIA VOLENTEM, SINE QVA PERSEVERARE NON POTERAT. Quæ licèt ex Massiliensium persona Hilarius dicat, veram tamen S. Augustini de gratia primi hominis sententiam continent, vt Aduersarius ipse contendit libro 8. de Hæresi Pelagiana cap. 6.

Lib. 4. de grat. Christi cap. 16.

Veniamus modò ad locum illum decantatum toties

ties ex lib. de corrept. & grat. vbi ex professo disputat de adiutorio perseuerantiæ primo homini concesso. *Quæritur à nobis*, inquit cap. 10. *quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseuerare vsque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus.* Et respondet, habuisse Adamum in potestate sua *non mori, & non miserum fieri.* Quia nimirum adiutoria acceperat, quibus vtrumque posset, si vellet. Arborem quidem vitæ, quâ posset non mori; & adiutorium perseuerantiæ, quo posset non miserum fieri. Atq; vt arbor vitæ nihil penitus conferebat, vt vellet non mori, sed tantùm vt posset, posito quòd vellet. Ita etiam adiutorium perseuerantiæ nihil prorsus conducebat ad volendum perseuerare; sed tantùm ad posse perseuerare, posito quòd independenter ab illo adiutorio perseuerandi volitionem susciperet. Nullum ferè verbum occurrit in tota illa de duplici adiutorio disputatione quod istud non persuadeat. *Tunc ergo*, inquit cap. 11. *dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adiutorium,* SINE QVO IN EA NON POSSET PERMANERE SI VELLET, *vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio.* Neque enim illa gratia erat præueniens, quæ operaretur vt vellet; sed cooperans tantùm, quæ volentem adiuuaret. Quâ absente etiam si vellet permanere, non tamen posset. Erat enim eiusmodi adiutorium *sine quo non posset permanere, si vellet.* Quare *nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia.* Quid ita? *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Nota eum non dicere liberum arbitrium sine illo adiutorio nihil prorsus ad bonum valere; sed tantùm *esse parum*; quia poterat quidem sine illo adiutorio velle: at, *parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuuaret.* Pergit eodem cap. 11. *Posset ergo permanere si vellet: quia non deerat adiutorium per quod posset, &* SINE QVO NON POSSET PERSEVERANTER BONVM TENERE QVOD VELLET.

Non ait Adamum non potuiſſe ſine illo adiutorio bonum velle, ſed tantùm non potuiſſe ſine illo perſeueranter tenere bonum, quod vellet. Ergo ſupponit potuiſſe Adamum ſine illo adiutorio bonum velle. Hoc ipſum in ſequentibus clariùs cernitur. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat,* VT SINE DIVINO ADIVTORIO POSSET MANERE SI VELLET, *non vtique ſuâ culpâ cecidiſſet.* Certè huius ſententiæ hic eſt ſenſus: Talis non erat hæc natura, vt ſi vellet permanere, id poſſet ſine Dei adiutorio. Cuius adiutorij indolem explicans ait eſſe eiuſmodi *ſine quo permanere non poſſet, etiam ſi vellet.* Ergo illud adiutorium neceſſarium non erat ad volendum.

Eſt hæc igitur huius adiutorij natura, vt volenti quidem tribuat poſſe: ad volendum verò nihil prorſus conducat. Declarat hoc ipſum familiaribus exemplis capite conſequenti. *Aliud eſt,* inquit, *adiutorium ſine quo aliquid non fit.* Tale eſt adiutorium alimentorum. *Nam ſine alimentis non poſſumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit.* Quia dant illa quidem poſſe viuere ſi velis, at ipſum velle neque tribuunt, neque ad illud prorſus conferunt. Eiuſmodi adiutoria primus homo acceperat ad non moriendum, & ad perſeuerandum. *Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet.* Id eſt, ſine quo non poſſet perſeuerare etiamſi vellet: quemadmodum ſine arbore vitæ non poterat ſemper viuere, etiamſi vellet. Plurimum iſta roboris accipiunt ex iis, quæ tradit in Enchiridio cap. 106. *Sicut mori eſt in hominis poteſtate cùm velit; nemo eſt enim qui non ſe ipſum, vt nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſit occidere: ad vitam verò tenendam voluntas non ſatis eſt, ſi adiutoria ſiue alimento-*

rum, sine quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum, relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ PARVM ERAT VELLE, NISI ILLE QVI EVM FECERAT ADIVVARET. Breui hac sententiâ tota hæc quæstio deciditur. Nam huius sensus est, parum erat homini in paradiso velle tenere iustitiam, nisi Deus id volenti adiutorium daret sine quo non posset eam tenere: quemadmodum parum est homini vt viuat, velle viuere, nisi id volenti adiutoria suppetant, sine quibus viuere non potest.

Ex iis sublucere incipit quæ sit natura *adiutorij quo:* Nimirum, gratiam simul excitantem, & adiuuantem complectitur; nec dat tantùm voluntati vt possit quod iam volebat, sed etiam vt velit. Clariùs dicam, adiutorium illud non tantùm conantem iam atque volentem adiuuat, vt possit quod vult; sed etiam primam in nobis volitionem, primúmque voluntatis conatum excitat, quem voluntas concupiscentiæ pondere oppressa exercere per se non potest. *Est quippe*, inquit cap. 11. eiusdem libri de corrept. & gratia, *in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Id est, gratia illa non est tantùm adiuuans, quæ dat voluntati vt possit quod vult, sed etiam est excitans, quæ dat velle. Neque enim hoc loco vox illa, *posse*, designat possibilitatem volendi, ita vt sensus sit: *Adiutorium sine quo non*, dedisse tantùm posse velle: at *adiutorium quo* dare & posse velle, & actu velle. Nam S. Augustinus non ait: *Est in nobis per hanc Dei gratiam non solùm posse velle, verùm etiam velle.* Sed, quod longè diuersum est, dare hanc gratiam *non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Et cap. 12. de Sanctis ita loquitur: *Eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non posint perseuerare si velint, sed in eis etiam operatur & velle: vt quoniam non*

Non ait Adamum non potuisse sine illo adiutorio bonum velle, sed tantùm non potuisse sine illo perseueranter tenere bonum, quod vellet. Ergo supponit potuisse Adamum sine illo adiutorio bonum velle. Hoc ipsum in sequentibus clariùs cernitur. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat,* VT SINE DIVINO ADIVTORIO POSSET MANERE SI VELLET, *non vtique suâ culpâ cecidisset.* Certè huius sententiæ hic est sensus: Talis non erat hæc natura, vt si vellet permanere, id posset sine Dei adiutorio. Cuius adiutorij indolem explicans ait esse eiusmodi *sine quo permanere non posset, etiam si vellet.* Ergo illud adiutorium necessarium non erat ad volendum.

Est hæc igitur huius adiutorij natura, vt volenti quidem tribuat posse: ad volendum verò nihil prorsus conducat. Declarat hoc ipsum familiaribus exemplis capite consequenti. *Aliud est,* inquit, *adiutorium sine quo aliquid non fit.* Tale est adiutorium alimentorum. *Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit.* Quia dant illa quidem posse viuere si velis, at ipsum velle neque tribuunt, neque ad illud prorsus conferunt. Eiusmodi adiutoria primus homo acceperat ad non moriendum, & ad perseuerandum. *Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset.* Id est, sine quo non posset perseuerare etiamsi vellet: quemadmodum sine arbore vitæ non poterat semper viuere, etiamsi vellet. Plurimum ista roboris accipiunt ex iis, quæ tradit in Enchiridio cap. 106. *Sicut mori est in hominis potestate cùm velit; nemo est enim qui non se ipsum, vt nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere: ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adiutoria siue alimento-*

rum, sine quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum, relinquendo iustitiam, ideneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitia PARVM ERAT VELLE, NISI ILLE QVI EVM FECERAT ADIVVARET. Breui hac sententiâ tota hæc quæstio deciditur. Nam huius sensus est, parum erat homini in paradiso velle tenere iustitiam, nisi Deus id volenti adiutorium daret sine quo non posset eam tenere: quemadmodum parum est homini vt viuat, velle viuere, nisi id volenti adiutoria suppetant, sine quibus viuere non potest.

Ex iis sublucere incipit quæ sit natura *adiutorij quo:* Nimirum, gratiam simul excitantem, & adiuuantem complectitur; nec dat tantùm voluntati vt possit quod iam volebat, sed etiam vt velit. Clariùs dicam, adiutorium illud non tantùm conantem iam atque volentem adiuuat, vt possit quod vult; sed etiam primam in nobis volitionem, primúmque voluntatis conatum excitat, quem voluntas concupiscentiæ pondere oppressa exerere per se non potest. *Est quippe*, inquit cap. 11. eiusdem libri de corrept. & gratia, *in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Id est, gratia illa non est tantùm adiuuans, quæ dat voluntati vt possit quod vult, sed etiam est excitans, quæ dat velle. Neque enim hoc loco vox illa, *posse*, designat possibilitatem volendi, ita vt sensus sit: *Adiutorium sine quo non*, dedisse tantùm posse velle: at *adiutorium quo* dare & posse velle, & actu velle. Nam S. Augustinus non ait: *Est in nobis per hanc Dei gratiam non solùm posse velle, verùm etiam velle.* Sed, quod longè diuersum est, dare hanc gratiam *non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Et cap. 12. de Sanctis ita loquitur: *Eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint, sed in eis etiam operatur & velle: vt quoniam non*

perseuerabunt nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Contrà quàm in Adamo contigit, cui, cùm voluntatem perseuerandi sine noua gratia voluntatis ipse promere posset, sola perseuerandi possibilitas huius gratiæ largitate donata est.

Sed cur tandem eiusmodi adiutorium perseuerantiæ primi hominis voluntati Deus non dedit, quo eam interiùs præueniret antequam vellet? Quia *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati perseuerandi committeretur arbitrium.* At modò prædestinatis non adiuuantem tantùm, sed etiam excitantem gratiam concedit. *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in illis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Et ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent: aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent.* Duplex est enim voluntatis infirmitas. Prima, quâ ne minimum quidem conatum exerere potest, nisi delectatione cælesti præueniatur. Secunda, quâ non potest integrè velle, nisi eiusdem gratiæ beneficio aduersùs reluctantem concupiscentiam corroboretur.

Hæc sunt quæ circa duplex illud perseuerantiæ adiutorium habui dicenda, quæ si vera sunt, vt mihi videntur verissima, non modò omnes noui dogmatis labefactant machinas, sed hanc etiam quæstionem, aliásque ex illa suspensas magnopere illustrant. Leui tantùm dubio occurrendum est, cui Aduersarius occasionem dedit, cùm pugnat Semi-Pelagianos idem prorsus de homine corrupto, quoad bonæ volitionis initium statuisse, quod S. Augustinus de homine integro definierat. Sed

Libro 8. de de Hæresi Pelagiana cap. 6.

multum errat; nam S. Augustinus aliquam in Adamo gratiam agnoscit quæ bonæ voluntatis motum anteuertat, vt ex libro 14. de Ciuitate cap. 27. satis constat. Cùm enim eo loco dixisset, *Sic erat institutus primus homo, vt* SI DE ADIVTORIO DEI FIDERET, *bonus homo malum Angelum vinceret:* subdit: ET IPSVM CONFIDERE DE ADIVTORIO DEI, NON QVIDEM POSSET SINE ADIVTORIO DEI. En duplex adiutorium: quorum altero Adamus egebat vt perseueraret, si confideret: altero vt confideret. Primum ad voluntatem pertinebat, eámque iam volentem interiori corroborare præsidio debebat, vt ex ipso Aduersario liquet, qui libro 4. de gratia Christi cap. 8. contendit adiutorium impeccabilitatis & perseuerantiæ Angelorum esse delectationem per Spiritum sanctum infusam. Secundum verò est illustratio mentis, quâ positâ erat in Adami potestate velle perseuerare, & de adiutorio Dei confidere. Per hanc illustrationem principium perseuerantiæ & discretionis Angelorum ad Deum reuocatur; per illam enim prædestinatos sic vocauit, quemadmodum sciebat eis congruere, vt vocantem non respuerent. Quod negabant Semi-Pelagiani, qui vel præuiam intellectûs gratiam non agnoscebant, vt multi opinantur: vel talem non agnoscebant, per quam initium salutis, & principium discretionis in benignam solius Dei voluntatem refunderetur, vt ex ipso Aduersario colligitur libro 4. de Hæresi Pelagiana cap. 11.

CAPVT QVINTVM.

Nouum dogma ex iis S. Augustini locis obteritur, quibus liberum arbitrium cum simplici necessitate coniunxisse videtur.



VÆ ex S. Augustino Aduersarius congerit, vt liberum arbitrium cum simplici necessitate cohærere, soláque deleri coactione demonstret, si legas perfunctoriè, atque vt ab illo proferũtur, lacera, mutila, suisque ex sedibus auulsa spectes, nouæ blandiuntur opinioni: at ea si introspicias, suísque reddita locis cum antecedentibus, consequentibúsque studiosè contexas, postremam illi plagam, eámque lethalem infligunt. Quod antequam singulatim ostendo, iuuabit monuisse, pridem hæc ipsa S. Augustini testimonia à Caluino, Beza, Zanchio, Chamiero, Pareo, Molinæo, Amesio, Scharpio, aliísque ex Caluiniana fæce lauernionibus impurissimis in Tridentinos Patres fuisse contorta. Fidem faciunt Catholici scriptores Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 17. Bellarminus l. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 6. Paduanus in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. Et Guillelmus Estius in 2. dist. 24. §. 2. qui testantur Caluinistas & molliores Lutheranos his S. Augustini testimoniis abuti, vt contra Catholicam fidem, & Concilij Tridentini auctoritatem, sola coactione liberum arbitrium extingui confirment.

Libro 4. de grat. Christi c. 5. 6 7. 8

Omnium nomine testimonium dicat Guillelmus Estius vir ipsius Aduersarij iudicio doctissimus. *Quidam*, inquit, *huius temporis Hæretici dum cum Martino Luthero liberum arbitrium apertè negare non audent, vt Caluinus, & Bucerus, ita vocabulum liberi arbitrij retinent*

propter sanctorum Patrum auctoritatem, vt tamen propriam eius rationem, iam à nobis explicatam, tollant, & proinde rem ipsam destruant. Docent enim libero arbitrio non repugnare necessitatem naturalem, sed solam necessitatem coactionis, & hac ratione hominem post peccatum fatentur esse liberi arbitrij, quia non coactè, sed sponte, & voluntariè operatur. Adducunt autem pro hac sua sententia quadam loca ex Patribus, cuiusmodi imprimis est illud Augustini l. 5. de Ciuitate Dei capite 10. Si illa definitur necessitas secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis &c. Quem vbi integrum descripsit, alios ordine profert: nimirum, celebrem illum ex libro de natura & gratia cap. 46. *perquam absurdum est vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus; nec dicere audemus Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitia, quia non potest velle peccare* &c. Item illum ex Enchiridio ad Laurentium cap. 105. *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quà beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam velle possimus.* En illa ipsa argumenta in quibus insulsè triumphant Aduersarij. Quæ profectò tanti non sunt, vt illa ex Hæreticis emendicare, & ex impurissimis eorum libris, sic tanquam ex fœdissima sentina, eruere debuerint.

SECTIO I.

Expenditur sancti Augustini locus ex libro 5. de Ciuitate Dei cap. 10. & ex Catholicorum, qui aduersùs Caluinistas scripserunt, mente, exponitur primùm: tùm in nouam opinionem militare demonstratur.

LIBAVI superiùs hunc locum, cùm alterum illi geminum ex l. 3. de libero arbitrio expenderem, nunc resecandus est ad viuum, & singuli eius sinus excutiendi.

PARAGRAPHVS I.

Proponitur locus ille, & Catholicorum verbis explicatur.

DECERPTVS est ex libro 5. de Ciuitate Dei cap. 10. quo S. Augustinus Dei præscientiam cum humana libertate concilians, ait: *Si illa definitur necessitas, secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire* &c. Hinc Caluinistæ, quique cum illis solam à coactione libertatem homini lapso vindicant, colligunt necessitatem simplicem etiam antecedentem, cuiusmodi est illa, quâ Deus necessariò viuit, natiuam voluntatis libertatem non lædere.

Reclamant Catholicæ fidei vindices Pennottus, Bellarminus, Puteanus, Estius, Wigers, & sancti Augustini commentator Leonardus Cocquæus, qui omnes

nes ita hunc locum interpretantur vt nouæ opinioni non modò nihil faueat, sed etiam plurimùm incommodet. Aiunt S. Augustinum eo loci, quod res ipsa loquitur, de illa necessitate agere, *secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat*, sicut à Deo præscitum est. quæ cùm sit consequens tantùm, ac proinde liberum voluntatis exercitium inuoluat, docet non esse cur *eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis*. Ac ne fortè insolens cuiquam videatur, necessitatem esse aliquam, quæ non sit libertatis inimica, probat id tribus exemplis, in quibus necessitas libertati nihil officit, quia illam vel supponit, vel inuoluit. Primum est de vita Dei. quo nomine actiones illas intellectûs, & voluntatis designat, quibus Dei vita continetur. quas inter plurimæ sunt liberæ & omni necessitate expeditæ; multa enim Deus vult liberè, ac proinde etiam liberè intelligit practicâ intelligentiâ. Quamobrem cùm dicimus Deum necessariò semper viuere, non illud Diuinæ vitæ libertatem adimit: sed eam includit potiùs: siquidem ex iis voluntatis & intellectûs actionibus, quibus Diuina vita traducitur, multæ sunt liberæ, nec coactione tantùm, sed etiam simplici necessitate solutæ.

Alterum exemplum necessitatis non adimentis libertatem petitur ex præscientia Dei. Necesse enim est Deum cuncta præscire, nec tamen præscientia Dei ponitur sub necessitate eripiente libertatem; quia necessitas præsciendi absoluta non est, sed tantùm ex hypothesi; posito enim quòd Deus velit aliquid esse futurum, necessariò præscit illud esse futurum; sed sicut poterat absolutè non velle illud esse futurum, ita poterat absolutè non præscire esse futurum. Vtrumque hoc exemplum illustrat similitudine Diuinæ omnipotentiæ, cui nihil decedit ex eo quòd mori, fallíque non possit. *Rectè enim omnipotens dicitur, qui tamen mori fallíque non potest.* Quamobrem sicut non posse

mori, siue, vt ita dicam, impotentia moriendi, Dei omnipotentiæ non derogat, quia formaliter omnipotentiam includit, nam *propterea illud non potest, quia omnipotens est;* ita necessitas illa, quæ libertatem includit aut supponit, libertati nihil detrahit. Quod tertio exemplo longè efficacissimo confirmat. *Sic etiam*, inquit, *cùm dicimus necesse esse, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum proculdubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium, necessitati subiicimus, quæ adimit libertatem.* Quia hæc necessitas libertatem inuoluit, atque adeo adimere illam non potest. Quibus exemplis clarissimè constat necessitatem illam, quæ consequens dicitur, quæque libertatis vsum supponit, aut includit, non illi aduersari. Ac proinde verè illud à S. Augustino esse pronunciatum, necessitatem *secundùm quam dicimus necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat*, sicut à Deo præscitum est, libertati non aduersari; quia consequens tantùm est.

Vides quàm bellè, quámque expeditè vetus hæc Caluinistarum obiectio, veteri Catholicorum responsione frangatur. Placet hîc tamen habitare diutius, quandoquidem hoc in loco opinionis suæ arcem Aduersarius posuit. Quam vt eruam funditus, primò ostendam quàm infeliciter huius loci interpretatione defungatur, quámque miserè, ac fœdè illam dilaceret. Secundò, explicabo dilucidè quæ sit S. Augustini sententia, idq; ex integra eius disputatione demonstrabo.

Agit eò loci S. Augustinus contra Ciceronem, qui Diuinæ præscientiæ cum humana libertate malè conuenire pugnabat, hoc inductus argumento: *Si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo præscita sunt;* Ergo & necessariò. Vnde consequens fore putabat nihil vt esset liberum, contingens nihil. Negat S. Augustinus id sequi; quia etsi illa necessariò eueniant, quæ euentura Deus præsciuit, non hæc tamen necessitas libertati est infensa. Quod vt efficiat, duplicem

diſtinguit neceſſitatẽ: quarũ altera libertati repugnat, altera non repugnat. Primam ait non inuoluere exercitiũ libertatis noſtræ, atque adeo non eſſe in noſtra poteſtate. quam vbi ita deſcripſit: *Si neceſſitas noſtra illa dicẽda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed, etiamſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis:* negat illam ex Diuina præſcientia ſequi; quia *manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuitur, ſub tali neceſſitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non vtique faceremus.* De ſecunda ita loquitur: *Si illa definitur neceſſitas ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid, vel ita fiat* (cuiuſmodi eſt ea quæ ex Diuina præſcientia colligitur, nam cùm Deus falli non poſſit, *Neceſſe eſt vt ita ſit aliquid, vel ita fiat*, ſicut ab illo præſcitum eſt) *neſcio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis* &c. Facilis eſt & explicata huius loci ratio, ſi candidum habeat interpretem. Nam prior illa neceſſitas ea eſt, quam antecedentem, poſterior, quam conſequentem appellamus.

Tricatur tamen Aduerſarius, atque hunc locum mirè torquet, vt ex eo per vim opinionis ſuæ confirmationem eliciat. Contendit acriter priorem illam neceſſitatem, quam ſolam libertati S. Auguſtinus opponit, coactionem eſſe phyſicam, quæ nec in voluntatem, nec in brutorum appetitum cadere poteſt. Poſteriorẽ verò, quam cum libertate S. Auguſtinus componit, ſimplicem eſſe neceſſitatem, etiam antecedentem, ſiue naturalis ſit illa, ſiue ab aliqua exteriori cauſa voluntatem ad vnum alligante, profecta. Atque hinc concludit, S. Auguſtinum ad libertatem cum præſcientia conciliandam, & Ciceronis argumenta diſſoluenda id vnum pugnaſſe: præſcientiam Dei non imponere voluntati noſtræ coactionem phyſicam: de ſimplici verò neceſſitate, an ex præſcientia ſequeretur, nihil dixiſſe. Ego verò contendo minùs S. Auguſtinum à Cicerone, quàm ab iſta Aduerſarij interpretatione diſſidere, nec

grauiorem posse tanto Doctori iniuriam fieri, quàm si hæc eius contra Ciceronem disputatio esse dicatur. Quod cùm cap. 1. sectione 2. §. 2. fusè ostenderim, non ero hîc longior, sed Aduersarium paucis dumtaxat interrogationibus constrictum eò adigam, vnde ni fallor, nunquam se extricabit.

Quæro igitur 1. quid causæ sit, cur Cicero ex Diuina præscientia libertatis interitum metueret. Aliud certè responderi non potest, quàm quod res ipsa, & Ciceronianæ disputationis series loquitur. Nimirum, existimasse Ciceronem ex Diuina præscientia eam voluntatibus nostris necessitatem imminere, quæ liberum arbitrium corrumperet. Quæro ampliùs, an necessitas illa, quam ex Dei præscientia humanis voluntatibus imponi Cicero contendebat, sit coactio physica, an tantùm necessitas simplex. Hic nodus, qui ab Aduersario nec solui, nec scindi potest. Si dicat coactionem fuisse, sibilis excipietur, & Ciceronis, ipsiúsque S. Augustini clarissimis verbis reuincetur. Nam 1. quis putet Ciceronem, ingeniosum sanè hominem & profanâ philosophiâ perpolitum, ita delirasse, vt pugnaret Diuinæ præscientię certitudinem constare non posse, ni si volitiones illi subiectæ non modò necessariò, sed etiam, quod ad contradictionem implicatur, coactè fierent? Secundò, testantur Ciceronis libri quos hîc refellendos S. Augustinus suscipit, eum non aliam necessitatem ex præscientia colligere, quàm quæ rerum contingentiæ opponitur. Hinc est quòd fortuitarum duntaxat rerum præscientiam negat, alias verò quæ suis ex causis naturali necessitate fluunt, certò præuideri affirmet. Quod libro de fato disertissimè tradit, cùm docet, *Ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea quorum causas natura ita contineret, vt ea fieri necesse esset.* Et l. 2. de diuinatione fatetur, Mathematicos certò præsagire defectiones solis ac siderum, quia *ea prædicunt, quæ natura necessitas perfectura est.* Ex quibus ni-

mio plus claret Ciceronem ad Diuinæ præſcientiæ certitudinem ſimplicem tantùm neceſſitatem poſtulaſſe, qualis eſt nempe neceſſitas naturalis, eáque omnis quæ rem ad vnum affigit. Tertiò, S. Auguſtinus Ciceronis argumenta recitans illius tantùm neceſſitatis meminit, quâ neceſſe eſt res præſcitas ita euenire, ſicut à Deo præſcitæ ſunt. quæ profectò non coactio, ſed ſimplex eſt neceſſitas. Quartò, Cicero eam neceſſitatem ex præſcientia oriri putabat, quæ in eius opinione libero arbitrio erat infenſa: Atqui fatentur Aduerſarij in Ciceronis & profanorum Philoſophorum opinione ſolam neceſſitatem ſimplicem libero arbitrio fuiſſe infenſam; Ergo Cicero ſolam neceſſitatem ſimplicem ex præſcientia oriri putabat.

Iam verò ſi Aduerſarius aſſerat, Ciceronem id vnum voluiſſe, ex Diuina præſcientia ſequi neceſſitatem ſimplicem: grauiorem plagam accipiet. Nam 1. hinc continuò ſequitur, Ciceronem inter & S. Auguſtinum de ſimplici tantùm neceſſitate certamen fuiſſe, atque adeo vagari extra aleas S. Auguſtinum, nec Ciceronem quem refellendum ſuſceperat, perſtringere, ſi id efficiat vnum, non inferri nobis à Dei præſcientia coactionem phyſicam. Secundò, cùm ex integra ſancti Auguſtini diſputatione conſtet neceſſitatem illam, quam tanto ardore ac conatu à voluntatibus noſtris propulſat, illam ipſam eſſe, quam ex Diuina præſcientia Cicero metuebat, quilibet ſtatim concludet, S. Auguſtinum hoc loco non coactionem phyſicam, ſed neceſſitatem ſimplicem à voluntatibus noſtris amoliri; ſiquidem hanc tantùm ex Dei præſcientia Cicero deducebat. Tertiò, niſi S. Auguſtinus oſtenderit falſum eſſe, quod contendebat Cicero, nimirum ex Dei præſcientia ſequi voluntates noſtras ſimplici neceſſitate obſtringi, quidquid agat demum, aut probet, ſtabit ſemper illa Ciceronis concluſio, admitti præſcientiam Dei non poſſe, quin *omnis humana vita ſubuertatur,*

frustra leges dentur, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibeantur: neque vllâ iustitiâ bonis præmia, & malis supplicia constituta sint. Neque id Aduersarius ipse inficiari ausit. Nam etsi necessitatem simplicem libero arbitrio capitaliter infensam neget, fatetur tamen eam à Diuina præscientia oriri non posse, quin hæc consequantur omnia. Quia, vt ipse statuit, omnis peccandi necessitas, quæ non est in peccati pœnam irrogata, cuiusmodi esset illa, quæ ex Dei præscientia manaret, necessariam ad peccandum libertatem adimit, peccatum excusat, efficitque vt frustra sint leges, & præcepta. Vides quàm sincera sit, quàm germana Aduersarij interpretatio, quæ stare non potest, quin integra sancti Augustini disputatio collabatur.

PARAGRAPHVS II.

Integra S. Augustini cum Cicerone disputatio aduersùs nouam opinionem militat.

OPTAVI ego persæpè, vt Aduersariorum aliquis famosæ illius S. Augustinum inter & Ciceronem disputationis, quam præcipuum opinionis suæ præsidium appellant, seriem integram prætexeret: statuerétque primò, quid sit inter illos controuersiæ: tum Ciceronis argumenta proponeret dilucidè: ac postremò S. Augustini responsiones singulis accommodaret. Hoc profectò tentare nemo potest, quin ostendat vel inuitus, quàm immani interuallo à S. Doctoris mente præpostera nouitas aberrarit.

Testatur S. Augustinus capite 9. illius libri Marcum Tullium sic auferre diuinationem omnem, *vt neget esse scientiam futurorum, eámque omnibus viribus nullam esse omnino contendat, vel in Deo, vel in homine, nullámque rerum prædictionem.* Sed quid Ciceronem in has angu-

ſtias compulit? Nimirum, *hoc totum facere videtur, ne fatum eſſe conſentiat, & perdat liberam voluntatem. Putat enim conceſſâ ſcientiâ futurorum, ita eſſe conſequens fatum, vt negari omnino non poßit.* Quid ita? *videlicet quia ſi præſcita ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt: Et ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerum præſcienti Deo: Et ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt ordo cauſarum. Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit: fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt. Quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullúmque eſt arbitrium voluntatis.*

Non eſt hæc Ciceronis verbis concepta ratio, ſed ex duplici eius loco expreſſa. Primus, quem hîc S. Auguſtinus indicat, liber eſt de diuinatione ſecundus vbi Cicero ita loquitur: *Potéſtne earum rerum, quæ nihil habent rationis quare futuræ ſint, vlla eſſe præſenſio? Quid enim aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid euentus, niſi cùm aliquid ſic cecidit, vel euenit, vt vel non cadere, atque euenire, vel aliter cadere atque euenire potuerit? Quomodo ergo id quod temere fit cæco caſu, & volubilitate fortunæ præſentiri, ac prædici poteſt?* Mox: *Quî poteſt prouideri quicquam futurum eſſe, quod neque cauſam habet vllam, neque notam cur futurum ſit? Solis defectiones itémque lunæ prædicuntur in multos annos ab iis, qui ſiderum curſus & motus numeris perſequuntur: ea enim prædicunt quæ naturæ neceßitas perfectura eſt. Vident ex conſtantißimo motu lunæ* &c. *Hæc qui antè dicunt, quam rationem ſequantur vides. Qui verò theſaurum inuenturum, aut hæreditatem venturam dicunt, quid ſequuntur?* Tum: *Quòd ſi ea, quæ ſunt eiuſdem generis* (cum theſauro inueniendo, & hæreditate ventura) *habent aliquam talem neceßitatem* (qualis eſt in defectionibus ſolis & lunæ,) *quid eſt tandem quod caſu fieri, aut forte fortuna putemus? nihil enim eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna: vt mihi ne in Deum quidem cadere videatur, vt ſciat quid caſu, & fortuitò futurum ſit. Si enim ſcit certè illud eueniet,*

sin certè illud eueniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna; Rerum igitur fortuitarum nulla præsensio. Alter locus ex libro de fato sumitur, in quo plurima aduersùs præscientiam, & diuinationem disputat, statuítque cum Carneade *ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea quorum causas natura ita contineret, vt ea fieri necesse esset. Quid enim,* inquit, *spectans Deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter Consul fuit, in mari esse periturum? Erat quidem id verum ex æternitate, sed causas id efficientes non habebat.* Quamobrem in hunc modum aduersùs præscientiam concludit: Si omnia præsciuntur, *omnia antecedentibus causis fiunt. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione consertè contextéque fiunt. Quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate.* Quæ omnia Ciceronis argumenta paucis astrinxit S. Augustinus, eorúmque vim omnem ac robur superiori ratiocinatione complexus est.

Hæreamus hîc tantisper, atque ex hac Ciceronis argumentatione pauca colligamus, quæ S. Augustini responsioni plurimum lucis afferent.

Colligitur 1. necessitatem illam quam ex Diuina præscientia Cicero deducebat, simplicem esse necessitatem: eam nempe, quæ & fortunæ temeritati, & libertatis indifferentiæ ex æquo repugnat. Constat illud ex integra Ciceronis oratione, quâ contingentium tantùm rerum præsensionem negat, & eas certò prædici affirmat, quæ suis ex causis necessariò existunt. Constat quoque ex S. Augustino, qui Ciceronis argumentum ita proponit, vt eam tantùm necessitatem spectet, quæ ex naturalibus causis inter se cohærentibus & implicatis nascitur, efficítque vt quod est futurum, non possit non euenire.

Colligitur 2. quo sensu Cicero liberæ potestatis nomen vsurpet, cùm ait: *si omnia necessitas efficit, nihil est in nostra potestate.* Scilicet, non ita illud interpretatur, quemadmodum nouus Doctor, qui quod necessariò fit, modò

modò ſponte fiat, in noſtra putat eſſe poteſtate; ſed vulgarem loquendi conſuetudinem, & Philoſophorum omnium mentem ſequitur, qui illud tantùm in noſtra eſſe poteſtate aiunt, quod perinde à nobis fieri poteſt, & non fieri. Atque hunc eſſe Ciceronis ſenſum inde certò conficitur, quod huic poteſtati illam ipſam neceſſitatem opponat, quæ fortuitarum rerum contingentiæ aduerſatur.

Colligitur 3. eodem quoque ſenſu à Cicerone dici, poſitâ præſcientiâ nihil fore in noſtra voluntate. Nam id tantùm in voluntate eſſe arbitratur, quod ab illa ad vtrumlibet indifferenti proficiſcitur. Hinc illa promiſcuè vſurpat hac in diſputatione, *eſſe in poteſtate*, & *eſſe in voluntate* : atque vtrumque illi neceſſitati opponit, quæ ex cauſis naturali colligatione conſertis oritur.

Hinc intelliges quo ſenſu S. Auguſtinus eadem verba vſurpet, cùm hîc toties inculcat hallucinari Ciceronem, quòd ex Dei præſcientia concludat nihil eſſe in poteſtate, nihil in noſtra voluntate: nimirum, eodem id ſenſu ſumit, quo Cicero ipſe, ita vt illud in noſtra poteſtate, aut voluntate eſſe velit, quod perinde fieri à nobis, & non fieri poteſt. Sic ab ipſo diſputationis ingreſſu ait: *Non timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Quod Cicero timuit, vt oppugnaret præſcientiam.* Senſus eſt, non timemus ne contingenter & voluntate ad vtrumlibet indifferenti non faciamus, quod contingenter & voluntate ad vtrumlibet indifferenti facimus, quia id nos facturos ille præſciuit &c. Et verò ſi τὸ, *eſſe in voluntate*, alio ſenſu S. Auguſtinus ſumeret, ídque vnum vellet, non timere ſe, ne ea ſponte & vltro non faciamus, quæ nos facturos Deus præſciuit; falsò adderet, *quod Cicero timuit, vt oppugnaret præſcientiam.* Neque enim timebat Cicero ne poſitâ præſcientiâ nihil ſponte voluntas

nostra ageret; sed id metuebat vnum, ne si Deus omnia præsciret, nihil voluntas nostra contingenter, & potestate ad vtrumlibet indifferẽti faceret. Eodem sensu confutato Ciceronis argumento concludit: *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præsciuit, quid futurum esset in nostra voluntate.* Id est, falsò igitur colligebat Cicero nihil fieri à nobis contingenter, & cum indifferentia; quia Deus præsciuit quid faciendum esset à nobis contingenter, & cum indifferentia. Si alium his verbis sensum affingas, hæc S. Augustini conclusio, quæ Ciceronianæ argumentationis caput petit, ne Ciceronem attinget quidem. Monere ista breuiter debui, ne cùm postea occurrent hæc verba, *esse in potestate: esse in voluntate*, aliorsum à lectoribus acciperentur.

Redeo ad Ciceronis argumentationem, cuius vitium nemo philosophiâ leuiter imbutus non videt. Hæret his in verbis: *Si certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit, fato fiunt omnia quæ fiunt.* Rectè concluderet, si omnes illæ causæ, quorum ordo certus est, essent necessariæ: sed cùm ex iis plurimæ sint fortuitæ, ac liberæ, pessimè inde colligit fato omnia fieri. Neque enim fatum illud libertatis & fortunæ inimicum quarumlibet causarum ordo est, sed necessariarum dumtaxat, atque naturalium. S. Augustinum audi. *Non est consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiúsque præscientiâ continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita omnes qui rerum causas præsciuit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit.* Quem locum sancti Augustini commentator Leonardus Coequæus ita illustrat. *Ex præscientia Dei potiùs libertatem in nobis, & contingentiam in rebus, quàm contrarium colligi docet. Quemadmodum enim præsciuit Deus*

nos aliquid facturos, ita libera voluntate facturos praeuidit. In ordine enim causarum etiam praeuidet nostras voluntates &c. *Praescientia illius aeterna non modò ad actiones voluntatis, vel ad effectus causarum contingenter agentium terminatur, verùm etiam ad modum eorum, quòd scilicet liberè & contingenter à voluntatibus nostris, vel causis contingentibus procedere debeant.* Falſum ergo, quod Cicero colligebat, nihil fore contingens, aut ſimplici neceſſitate ſolutum, ſi Deus cauſarum omnium ordinem prænoſcat. Nam cùm in illo ordine noſtras voluntates videat, & alias cauſas quamplurimas ſine neceſſitate & contingenter acturas, agent illæ ſine dubio contingenter, & ſine neceſſitate. *Quomodo igitur,* inquit S. Auguſtinus, *ordo causarum, qui praescienti certus est Deo, id efficit vt nihil sit in nostra voluntate, cùm in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostrae voluntates?* Eadem ratio pro cauſis fortuitis facit. Nam quomodo ordo cauſarum, qui præſcienti certus eſt Deo, efficit vt nihil ſit fortuitum, cùm in ipſo cauſarum ordine magnum locum habeant cauſæ fortuitæ?

Supereſt ſcrupulus, qui Ciceronem malè habet. Capere ille non poteſt, quî fieri poſſit, vt res fortuita, & libera certiſſimè eueniat. Reſpondet S. Auguſtinus euenturam certiſſimè, quia ille euenturam præſciuit, *cuius praescientia falli non potest.* Quod rurſus capite ſequenti ſub finem pluribus probat. Ac ne forte ex illa neceſſitate, quâ res præſcitas neceſſariò euenire ait, adhuc libertatis interitum Cicero extimeſcat, docet neceſſitatem illam pendere à noſtra libertate, quia & ipſa prę́ſcientia pendet quodammodo à nobis, éſtque in noſtra poteſtate ſitum efficere vt Deus hoc, vel illud præſciuerit: *Neque enim,* inquit, *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum praesciuit: imò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat: quia ille cuius praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praesciuit, qui si nolit, vtique non peccat: sed*

si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuerit. Nihil afferri validiùs potuit ad præscientiam cum libertate consociandam. Nam quis tam cæcus est, vt non videat libertati non repugnare necessitatem illam, quæ est in nostra potestate, ac libertatis indifferentia? Atqui necessitas illa peccandi, quæ ex præscientia manat, est in nostra potestate: quia & ipsa præscientia peccati quodammodo est in nostra potestate, nam quemadmodum integrum nobis est peccare aut non peccare; ita quoque integrum quodammodo est nobis efficere, ut Deus peccatum nostrum præuiderit, aut non præuiderit. Ergo necessitas, quæ oritur ex præscientia, libertati non repugnat.

Ex hoc cum Cicerone conflictu S. Augustinus colligit, quàm inanis sit & vanus Stoicorum timor, qui ex eadem præscientia inimicam libertati necessitatem formidabant. Quod ab ipso disputationis ingressu monuerat. *Nec timemus*, inquit, *ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest. Quod Cicero timuit vt oppugnaret præscientiam: & Stoici, vt non omnia necessitate fieri dicerent, quamuis omnia fato fieri contenderent.* Aliud enim nihil fati nomine, quàm causarum ordinem Dei præscientiæ subiectum appellabant. Pertinax verò sit, & imperitus, qui necessitatem illam, quam ex præscientia timebant Stoici, coactionem physicam interpretetur; siquidem & ex hoc S. Augustini loco constat, Stoicos eandem cum Cicerone necessitatem timuisse, & ex superioribus manifestum est, Ciceronem de illa tantùm necessitate fuisse sollicitum, quæ voluntatem ad vnum alligat, alterius partis adempta potestate. Testatur quoque S. Augustinus Stoicos de illa tantùm necessitate à voluntatibus nostris arcendâ laborasse, cui causas naturales subiiciunt; quæ sanè non coactio, sed simplex est necessitas. *Vnde*, inquit, *nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici*

laborauerant causas rerum ita distinguere, vt quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: itaque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Illi nimirum, cui causæ naturales subiiciuntur.

Negat S. Augustinus causam fuisse cur Stoici ex præscientia hanc necessitatem libertatis inimicam metuerent. Atque id ex superiori cum Tullio dimicatione quasi consectarium deducit. *Vnde*, inquit, *nec illa necessitas formidanda est, quam formidando, Stoici* &c. Quia cùm duplex sit necessitas, quarum altera non est in nostra potestate, altera est in nostra potestate: prima quidem libertati est infensa, at ex præscientia non sequitur: secunda verò ex præscientia sequitur, sed libertati non repugnat. De prima ita loquitur: *Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit, quod potest: sicut est necessitas mortis.* His verbis necessitatem omnem complectitur, quæ ex voluntate ad vtrumlibet indifferenti nec oritur, nec pendet. Atque hanc Diuina præscientia liberis voluntatibus non inferri, sic probat: *Manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, aut perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus. Quo primitus pertinet & ipsum velle: nam si volumus, est: si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Posteriora hæc verba, quæ Aduersariis rixandi materiam præbent plana sunt, & explicata, quia vt capite 1. fusè demonstraui, idem est apud S. Augustinum volitionem fieri cùm volumus, & ita fieri, vt possit non fieri.

Ne qua hîc tamen difficultatis vmbra remaneat, iuuabit meminisse, quo sensu hanc propositionem Aduersarius interpretetur: *Voluntas habet in potestate gratiam sanitatis, quia si vult, illâ vtitur: si non vult, non vtitur:* nimirum, ex eius mente τὸ, *si vult*, non coactionem tantùm, sed & simplicem necessitatem ex-

cludit, cúmque voluntatis nutum significat, quo sine vlla necessitate ita ad vnum inclinat, vt perinde ad aliud vergere possit. Ego verò contendo S. Augustinum eodem esse explicandum sensu, cùm docet volitiones Diuinæ præscientiæ subiectas, esse nihilominus in nostra potestate, quia adhuc fiunt si volumus: non fiunt, si nolumus. Quod vt dilucescat. Age quæstionem illam de præscientia, quam vniuersè sanctus Augustinus proponit, ad illam Aduersarij propositionem accommoda: ita vt quæstio sit: An præscientia Dei, quâ præuidebat Michaëlem vsurum gratiâ sanitatis ad perseuerandum, ademerit illi voluntatis indifferentiam, & libertatem ad vtrumlibet his verbis expressam: *Michaël si vult, vtitur gratiâ sanitatis ad perseuerandum: si non vult, non vtitur.* Sit, inquam, ista quæstio, cui generalem S. Augustini solutionem ita applices. Si necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est Michaëlem ea necessitate non obstringi, cùm ad perseuerandum gratiâ sanitatis vtitur, quâ illum Deus vsurum præuiderat; quia non obstante Diuinâ præscientiâ, vtitur gratia si vult: si non vult, non vtitur; non enim vteretur, si nollet. Si ita S. Augustini verbis respondeas, vel ipsius Aduersarij confessione non coactionem tantùm, sed & simplicem necessitatem excludes; Ergo & S. Augustinus cùm vniuersè hanc solutionem adhibuit, non coactionem tantùm, sed & simplicem necessitatem exclusit En S. Augustini mentem circa primam illam necessitatem, quam libertatis hostem fatetur, sed ex Dei præscientia sequi negat.

De altera verò necessitate, quæ voluntatis ad vtrumlibet indifferentis actum sequitur, adeóque in nostra potestate est, ita scribit. *Si autem illa definitur esse necessitas, secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita*

ſit aliquid, vel ita fiat, ſicut à Deo præſcitum eſt, *neſcio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Quantùm hallucinetur Aduerſarius cùm his verbis neceſſitatem antecedentem exprimi pugnat, vel hoc vno argumento ſatis conſtat, quòd S. Auguſtinus vt ſuperiorem neceſſitatem libertati repugnare concedit, at ex præſcientia ſequi negat: ita hanc ex præſcientia ſequi non diffitetur, at libero arbitrio non repugnare contendit. Quis autem putet S. Auguſtinum conceſſiſſe, ſimplicem & antecedentem neceſsitatem ex Diuina præſcientia in liberas volitiones refundi? Accedit, quòd illa S. Auguſtini verba eam tantùm neceſsitatem ſonent, *ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid vel ita fiat,* ſicut à Deo præſcitum eſt. quæ ex omnium ſenſu non eſt antecedens, ſed conſequens tantùm. Exempla verò, quæ ſubnectit, nihil Aduerſarios iuuant, vt ſuperiori paragrapho demonſtraui.

SECTIO II.

Sancti Auguſtini ſententia de libertate Dei & Beatorum explicatur.

NOVVS Doctor magni facit ea argumenta quæ ex Dei, & Beatorum libertate repetit: at illa Catholicis Doctoribus, quos ſuprà appellaui, tam leuia viſa ſunt & inania, vt Caluiniſtas ſugillarint, quòd telis tam imbellibus veritatem oppugnarint.

PARAGRAPHVS I.

An ex S. Augustini mente Diuina libertas cum simplici necessitate consistat.

RELIGIOSVM verò Caluinum, qui in communem de libero arbitrio sententiam câ re excandescit, quòd Diuinam libertatem angustioribus spatiis circunscribat. Ferre non potest, eas actiones libero Dei arbitrio subtrahi, quæ naturali necessitate existunt: nec antè acquiescet, quàm vicerit, amorem illum, quo se Deus, suámque bonitatem necessariò amat, esse liberrimum, non ea tantùm libertate, quam Scotus eiúsque partiarij cum necessitate conciliant, quæque in spontaneum incidit, sed strictiori illa, quam Patres vulgò ad meriti, aut demeriti rationem deposcunt. Quod cùm præfidenter asseruit l. 2. Inst. cap. 3. & l. 4. in Pigh. pag. 175. addit continuò: *Neque id est nostrum commentum, sic antè nos Augustinus.* Pari ardore pro Diuinæ libertatis amplitudine certarunt Caluini assecelæ Molinæus in Clypeo art. 9. Zacharias Vrsinus q. 1. de libero arbitrio. Scharpius l. 2. cap. 2. Chamierus tomo 3. l. 2. cap. 4. Et Zanchius l. 1. tract. Theologicor. cap. 6. vbi aduersùs Pontificios, qui simplicem necessitatem cum libero arbitrio stare negabant, ita inuehitur acer ac vehemens Caluinianæ opinionis propugnator. *An non Deus necessariò bonus, iustus, & clemens est? Et nunquid propterea liber non est Deus, veréque libero præditus arbitrio?* Hanc Caluinistis opinionem multo antè delineâtat Ioannes Wieleffus cap. 28. 3. Trial. *Deus*, inquit, *non illibertatur quicquam facere, licèt absolutè necessariò illud fiat. Sicut non illibertatur producere Verbum, vel Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.*

En quos habeant principes, qui in Deo cum necessi-

tate

tate simplici non libertatem tantùm aliquam, vt Scoti discipuli, sed liberum arbitrium strictè sumptum committunt. Quos eo magis pudere debet, quòd, vt Caluino pressiùs adhæreant, negant cum illo hoc suum esse commentum, sed puram putámque S. Augustini doctrinam: atque hæc ipsa tanti Doctoris testimonia adhibent, quæ Caluinistæ perpetuò crepant, quæque Doctores Catholici dudum illis extorserunt. Primarium est illud ex libro de natura & gratia cap. 46. vbi quod Pelagius dixerat: *voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari quidquid naturali necessitate constringitur*: ita S. Augustinus castigat: *Et hîc nonnulla quæstio est. Per quam enim absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus nescio quâ & bonâ constrictione naturæ: nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Lib. 6. de grat. Christi cap. 7.

Duplex huic loco à Catholicis aduersùs Caluinum scribentibus solutio adhibetur. Prima est Guillelmi Estij, quem ego Aduersariis frequentiùs oppono, quòd illorum Antesignanus cùm recentes Theologos vel contemnat fastidiosè, vel atrociter criminetur, hunc ferè vnum impensè ornatéque commendet. Sic ille in 2. dist. 24. §. 2. hanc Caluinistarum obiectionem soluit: *Dicendum crediderim id quod Pelagius dixerat, voluntatis arbitrio priuari, quidquid naturali necessitate constringitur, non tam improbari ab Augustino, quàm in dubitationem quandam vocari. Dicit enim: Et hîc nonnulla quæstio est. Ideo autem non immeritò dicit de eo nonnullam esse quæstionem, quia Pelagius non distinguebat inter voluntatem & liberum arbitrium, vt patet ex eius verbis ibidem paulò superiùs recitatis. Itaque secundùm Pelagium non erat voluntas, vbi erat naturalis necessitas. Hoc autem optimè refellit Augustinus, dum probat interdum voluntatem esse etiam in eo, quod necessariò habetur, aut appetitur, qualis est iustitia respectu Dei, & beatitudo respectu nostri.*

PARAGRAPHVS I.

An ex S. Augustini mente Diuina libertas cum simplici necessitate consistat.

RELIGIOSVM verò Caluinum, qui in communem de libero arbitrio sententiam eâ-re excandescit, quòd Diuinam libertatem angustioribus spatiis circunscribat. Ferre non potest, eas actiones libero Dei arbitrio subtrahi, quæ naturali necessitate existunt: nec antè acquiescet, quàm vicerit, amorem illum, quo se Deus, suámque bonitatem necessariò amat, esse liberrimum, non ea tantùm libertate, quam Scotus eiúsque partiarij cum necessitate conciliant, quæque in spontaneum incidit, sed strictiori illa, quam Patres vulgò ad meriti, aut demeriti rationem deposcunt. Quod cùm præfidenter asseruit l. 2. Inst. cap. 3. & l. 4. in Pigh. pag. 175. addit continuò: *Neque id est nostrum commentum, sic antè nos Augustinus.* Pari ardore pro Diuinæ libertatis amplitudine certarunt Caluini assecelæ Molinæus in Clypeo art. 9. Zacharias Vrsinus q. 1. de libero arbitrio. Scharpius l. 2. cap. 2. Chamierus tomo 3. l. 2. cap. 4. Et Zanchius l. 1. tract. Theologicor. cap. 6. vbi aduersùs Pontificios, qui simplicem necessitatem cum libero arbitrio stare negabant, ita inuehitur acer ac vehemens Caluinianæ opinionis propugnator. *An non Deus necessariò bonus, iustus, & clemens est? Et nunquid propterea liber non est Deus, veréque libero præditus arbitrio?* Hanc Caluinistis opinionem multo antè delineârat Ioannes Wicleffus cap. 28. 3. Trial. *Deus*, inquit, *non illibertatur quicquam facere, licèt absolutè necessariò illud fiat. Sicut non illibertatur producere Verbum, vel Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.*

En quos habeant principes, qui in Deo cum necessitate

tate simplici non libertatem tantùm aliquam, vt Scoti discipuli, sed liberum arbitrium strictè sumptum committunt. Quos eo magis pudere debet, quòd, vt Caluino pressiùs adhæreant, negant cum illo hoc suum esse commentum, sed puram putámque S. Augustini doctrinam: atque hæc ipsa tanti Doctoris testimonia adhibent, quæ Caluinistæ perpetuò crepant, quæque Doctores Catholici dudum illis extorserunt. Primarium est illud ex libro de natura & gratia cap. 46. vbi quod Pelagius dixerat: *voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari quidquid naturali necessitate constringitur*: ita S. Augustinus castigat: *Et hîc nonnulla quæstio est. Per quam enim absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus nescio quâ & bonâ constrictione naturæ: nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.*

Lib. 6. de grat. Christi cap. 7.

Duplex huic loco à Catholicis aduersùs Caluinum scribentibus solutio adhibetur. Prima est Guillelmi Estij, quem ego Aduersariis frequentiùs oppono, quòd illorum Antesignanus cùm recentes Theologos vel contemnat fastidiosè, vel atrociter criminetur, hunc ferè vnum impensè ornatéque commendet. Sic ille in 2. dist. 24. §. 2. hanc Caluinistarum obiectionem soluit: *Dicendum crediderim id quod Pelagius dixerat, voluntatis arbitrio priuari, quidquid naturali necessitate constringitur, non tam improbari ab Augustino, quàm in dubitationem quandam vocari. Dicit enim: Et hîc nonnulla quæstio est. Ideo autem non immeritò dicit de eo nonnullam esse quæstionem, quia Pelagius non distinguebat inter voluntatem & liberum arbitrium, vt patet ex eius verbis ibidem paulò superiùs recitatis. Itaque secundùm Pelagium non erat voluntas, vbi erat naturalis necessitas. Hoc autem optimè refellit Augustinus, dum probat interdum voluntatem esse etiam in eo, quod necessariò habetur, aut appetitur, qualis est iustitia respectu Dei, & beatitudo respectu nostri.*

Et hanc esse mentem Augustini probabile fit ex eo, quia cùm Pelagius nominasset liberum arbitrium, ipse tamen hoc vocabulo dißimulato, tantummodo voluntatem nominauit, de qua sciret verba sua nullam habitura dubitationem: nec poterat Pelagius hanc Augustini obiectionem remouere, nisi voluntatem à libero arbitrio distingueret. Ex hac interpretatione S. Augustini sensus est, non esse vsquequaque verum, quod generatim à Pelagio affirmatum fuerat, sed nonnullam quæstionem discussionémque mereri. Quatenus enim dicebat ad voluntatem non pertinere quidquid naturali necessitate constringitur, falsum dicebat. Quatenus verò illud ipsum liberi esse negabat arbitrij, rectè negabat. Quamobrem hæc eius verba non atrociter S. Augustinus exagitat, sed ea tantùm asserit nonnullam mereri quæstionem, siue distinctionem, quâ voluntas à libertate secernatur.

Altera solutio est Scribonij, Puteani, Bellarmini, aliorúmque ferè omnium, qui hunc contra Hæreticos locum pertractârunt. Aiunt S. Augustinum eo loci voluisse, eum qui vult beatitudinem constringi quidem necessitate quoad specificationem, quia non potest velle miseriam; non ideo tamen priuari libero arbitrio; quia potest quoad exercitium velle, & non velle beatitudinem. Clarissimè illud tradit S. Thomas quæst. 6. de malo art. vnico. *Bonum*, inquit, *perfectum, quod est beatitudo, voluntas non potest non velle, ita scilicet quòd velit eius oppositum: potest tamen non velle actu, quia potest auertere cogitationem beatitudinis in quantum mouet intellectum ad suum actum, & quantum ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult. Sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum à se repellere, cùm vellet.* Pari quoque ratione aiunt Deum velle iustitiam ex necessitate quoad specificationem quandam, quia non potest velle iniquitatem: sed non ideo priuari libero arbitrio, quia potest & quoad exercitium, quædam iusta facere & non facere; & quoad specificationem

ex multis iustis vnum alteri præferre, illúdque eligere.

Cui interpretationi fidem conciliant quæ Aduersarius eodem loci ex S. Augustino nobis opponit. Nam ex iis constat S. Augustinum Pelagianos sæpe vexare, quòd ad liberum arbitrium contrarietatis indifferentiam requirerent, illúdque omne libertate spoliarent, quod perinde bonum & malum velle non potest. Atque id Aduersarius ipse fatetur, aitque S. Doctorem non alia ratione frequentiùs, aut validiùs quàm Diuinæ libertatis exemplo hunc Pelagianorum errorem reuincere. Sic l. 1. Operis imperfecti pag. 150. *Si liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum, & malum: liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle; de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Cùm igitur Pelagiani in illa essent hæresi, vt quidquid æqualem boni & mali potestatem non habet, libero spoliarent arbitrio, cautè S. Augustinus affirmanti Pelagio, *voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari, quidquid naturali necessitate constringitur*, sic occurrit: *Et hîc nonnulla quæstio est* &c. Nam verba Pelagij vera quidem sunt, si obuio & quem præ se ferunt sensu exponantur, ita vt illud omne libero arbitrio priuari significent, quod ad vnum aliquid in indiuiduo naturali necessitate affigitur. At si alio sumantur sensu, eóque spectent, vt illud omne libertate exuant, quod ad vnum aliquid in genere naturali necessitate alligatur, sunt falsissima, & huic Iuliani sententiæ affinia; *liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum, & malum.* Aliud ergo nihil S. Augustinus superioribus verbis statuit, quàm quod vnanimi Theologorum omnium consensu sancitum est, quódque S. Anselmus his verbis expressit in Dialogo de libero arbitrio cap. 1. *Quoniam liberum arbitrium Diuinum peccare non potest; non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij posse peccare.*

Libro 1. de Hæresi Pelagiana cap. 1.

PARAGRAPHVS II.

An ex mente S. Augustini libertas cum simplici necessitate in Beatorum voluntate cohæreat.

CALVINISTÆ à Diuina libertate ad Angelicam delabuntur. Ex qua ita colligunt, *Annon etiam Angeli in cœlo* (Zanchij verba sunt l. 1. cap. 6.) *& animæ Beatorum necessariò volunt, quæ volunt, nempe iusta tantùm & voluntati Dei consentanea? Num ideo dixeris propter hanc necessitatem illos non esse libero arbitrio præditos?* Quam rationem teste Valdensi l. 1. art. 1. c. 25. ita Wicleffus premebat: *Est libertas in Angelis, qui tamen ad agendum, quod agunt, summâ necessitate trahũtur.* Aduersarius verò, qui id vnum agit decumano in opere, vt quod Hæretici pressiùs dixere, fusiùs exponat, caput integrum huic argumento impendit, quod ita auspicatur: *Sed libertas Beatorum, siue hominum, siue Angelorum, multò inuictiùs demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublatâ omni omnino indifferentiâ & contrarietatis, & contradictionis, non officere in doctrina Sancti Doctoris libertati arbitrio.* Sed quibus id tandem S. Augustini locis efficit? Iis nempe, quos à Caluinistis emendicauit. Quos inter præcipuus est ille ex l. 22. de Ciuitate Dei cap. vltimo: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit.* Alterum adiicit ex Enchiridio ad Laurent. cap. 150. *Sic oportebat priùs hominem fieri, vt & bene velle posset, & malè: nec gratis si bene, nec impunè si malè. Postea verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio: multo quippe*

Libro. 6. de grat. Christi cap. 8.

liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Atque hinc Aduersarius certissimè confici putat, libero arbitrio cum simplici necessitate bene conuenire.

Sed dudum est quòd hæc S. Augustini testimonia à simili Caluinistarum calumnia Doctores Catholici vindicarunt. Quos inter Guillelmus Estius, cùm ea sibi ex Caluinistarum persona opposuisset, ita soluit: *Ad secundum Augustini locum respondemus, non esse sensum quòd Beati habituri sint arbitrium liberum ad non peccandum: quæ phrasis significaret ipsum etiam liberum esse ad peccandum, quod manifestè falsum est. Sed significat iis verbis Augustinus, per necessitatem non peccandi non auferri Beatis liberum arbitrium, sed potiùs confirmari, magísque liberum effici. Qui enim peccare non possunt multò sunt liberiores in electione bonorum, dum inter ea sine errore, & periculo peccati eligunt quod volunt, quàm si peccare possent. Quod patet in Deo, qui peccare non potest, & tamen ad eligendum opposita liberrimam habet voluntatem. Ad hoc significandum subiungit Augustinus in Enchiridio hæc verba: multo quippe liberius erit arbitrium* &c. Eandem huic loco interpretationem adhibet S. Augustini commentator, cùm ait, Futuram *in Beatis libertatem non quidem contrarietatis, sed contradictionis, non quoad specificationem actus, sed quoad exercitium actus. Sunt enim determinati*, inquit, *ad bonum, indeterminati tamen ad hoc, vel illud bonum: & ad agendum, vel non agendum.* Quod apprime consentit cum iis quæ tradit S. Thomas in 2. distinct. 7. art. 1. in quo de Beatorum arbitrio disputat. *Dicendum*, inquit, *quòd rationalis potestas dicitur esse oppositorum, quæ sub electione cadunt, quorum proprium est liberum arbitrium.* Tum: *Apud Angelos qui ipso fine perficiuntur, impossibile est esse voluntates alicuius eorum, quæ à fine deordinantur, cuiusmodi est voluntas peccati. Sed tamen possunt velle hoc, vel illud, quorum neutrum à fine deordinat, & sic saluatur proprietas rationalis potestatis, in quantum*

possunt hoc facere, vel non facere, quamuis non possint in hæc opposita bonum & malum. Et quæst. 24. de veritate articulo 1. ad 16. *Si aliqua creatura, immobiliter adhæreret Deo, non propter hoc priuatur libero arbitrio: quia potest adhærendo multa facere, vel non facere.* Quæ Guillelmus de Rubione his verbis expressit in 2. dist. 25. q. 1. art. 2. *In Beatis est vsus liberi arbitrij, non respectu actus beatifici, qui non est in eorum potestate; sed respectu omnium aliorum in eorum potestate existentium, vt videlicet possint ab iis in esse poni, vel non poni.*

Quæres, quid causæ sit, cur sanctus Augustinus tam sæpe voluntatem tantò liberiorem esse dicat, quantò sanior fuerit, & peccati vinculis extricatior? Respondeo, multiplicem ab illo distingui libertatem. Prima est, quam à natura insitam habemus, quámque nec Diuinâ præscientiâ corrumpi, nec Astrorum impressionibus violari, nec opprimi peccato, nec Diuinâ gratiâ lædi aduersùs Ciceronem, Astrologos, Manichæos, & Monachos Adrumetinos defendit. Secunda, est libertas gratiæ, quæ voluntatem dæmonis ac peccati seruitute expedit, & omnibus ad bene agendum præsidiis instruit: de qua cum Pelagianis dimicauit. Tertia, est libertas gloriæ, quam libro 22. de Ciuitate cap. vltimo sic describit. *Sed quia peccauit ista natura, cùm peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit.* De hac triplici libertate eleganter Bernardus libro de gratia & libero arbitrio. *Triplex est nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate. Hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ, in prima restauramur à gratia, media nobis reseruatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ, vel gloriæ.* Hinc liquet S. Augustinum de natiua libertate non loqui, cùm ait maiorem fore in cælo libertatem. Nam vt scitè Bernardus eodem loco: *Libertas à necessitate, æquè & indifferenter Deo, vniuersæque tam bonæ, quàm malæ conuenit crea-*

turæ: nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur, nec maior in iusto est, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine. Sed de vtraque alia libertate loquitur, vt Theologi docent in 2. dist. 7. & S. Augustini Commentator ad hunc locum: *Perfectius,* inquit, *erit liberum arbitrium in Beatis, in quibus triplex hæc libertas reperietur.*

Quamquam & ipsa quoque libertas à necessitate aliquatenus dici potest in Angelis maior, quàm in hominibus. Primò, quia in Beatis est ordinatior. *Manet ergo,* inquit Bernardus, *libertas voluntatis, vbi etiam sit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior.* Quod S. Thomas ita expressit 1. parte q. 62. art. 8. *Quod liberum arbitrium diuersa eligere possit seruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius: sed quod eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis. vnde maior libertas arbitrij est in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Secundò, quia libertas à necessitate multò faciliùs erumpit in actum, cùm aliæ libertates duæ opem illi ac subsidium ferunt. *Cæterùm,* inquit Bernardus, *libertas arbitrij, vt suprà liquidò apparuit, cunctis pariter ratione vtentibus conuenit: non minor, quantum in se est, in malis, quàm in bonis: tam plena in hoc sæculo, quàm in futuro. Sed & hoc apertè monstratum esse puto: quòd hæc ipsa tamen libertas tandiu quodammodo captiua tenetur, quamdiu illam duæ aliæ libertates minimæ, aut minùs plenæ comitantur.* Quam ob causam S. Augustinus ait lib. 14. de Ciuit. cap. 11. *Arbitrium voluntatis tunc esse verè liberum, cùm vitiis peccatísque non seruit.* Tertiò, quia peccandi possibilitas non est propriè dicta potentia, sed impotentia, vt ex S. Augustino colligitur 5. de Ciuit. cap. 10. Ergo liberum arbitrium quod non habet adiunctam peccandi possibilitatem, minus habet impotentiæ, atque adeo potentius est; Ergo & liberius. Siquidem libertas potestatem sonat, & illud

liberum dicitur, quod est in potestate. Hinc S. Augustinus cùm loco citato l. 22. de Ciuitate Dei dixisset Beatos habituros arbitrium magis liberum, continuò illud explicans subiicit: *Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare. Hoc autem nouissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit.* Eodem fortasse allusit Bernardus his verbis: *Manet ergo libertas voluntatis, vbi fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro suo modo in creatura, quàm in creatore, sed in illo* POTENTIOR. Triplici hoc sensu ipsa quoque natiua libertas maior quodammodo est in patria, quàm in via.

Libro 6. de grat. Christi cap. 9.

Nihil ergo ex superioribus S. Augustini locis noua opinio commodi capit: nihil antiqua detrimenti. Sed neque ex iis, quæ nouus Doctor congerit, vt in Christo libertatem cum necessitate componat. Nam eò spectant vniuersi, vt Christum peccare non posse, & nihilominus libertate præditum esse confirment. Quamobrem quidquid inde difficultatis enascitur, solutum est abundè, cùm de Diuina, & Angelica libertate disseruimus.

Restat aliud Caluini argumentum, quod Gabriel Pennottus libro 1. cap. 17. ita proponit, & soluit: *Verùm obiicit Caluinus, quoniam diabolus, & damnati peccant, & tamen necessariò peccant, cùm sint in malo obstinati. Respondetur, diabolum & damnatos minimè peccare in eo, quod omnino vitare non possunt. Licèt enim sint in malo obstinati: tamen habent quosdam actus, quos liberè exercent. Dato autem, & non concesso, quòd etiam modò propriè peccent, in his solùm peccare poterunt, in quibus habent libertatem, non necessitatem.*

PARS-

PARAGRAPHVS III.

Ventilatur postrema eáque leuissima noui Doctoris ratio ex Diuina libertate desumpta.

PVDVIT, opinor, Aduersarium nihil hactenus de suo protulisse, nec extra signata à Caluino vestigia pedem fixisse. Nunc vires experiri suas, quidque proprio marte & ingenio possit tentare aggreditur. Contendit ille, Deum omni prorsus libertate spoliandum esse, si valet Scholasticorum opinio, qui ad libertatis essentiam pertinere aiunt indifferentiam exercitij, seu agendi & non agendi potestatem. *Sola*, inquit *indifferentia agendi, & non agendi restat, quæ propriè est exercitij. Sed & ista in Deo prorsus periit, hoc ipso quo semel immobili voluntate voluit, atq; statuit quid in singulis circunstantiis agendum sit, quam retractare non potest. Quapropter si hoc duntaxat est esse liberum, indifferentem esse ad agendum & non agendum, liber fuisse Deus dici potest: liber verò esse non potest. Immo verò nec liber fuisse dici potest. Quando enim liber fuerit, cùm ab æterno, hoc est sine vllo initio, semper ad agendum, vel non agendum determinatus fuerit.* Lib. 6. de grat. Christi cap. 11.

Fidem hîc tuam Catholice lector. An non aliquem ex profana vetustate Philosophum Diuinæ libertati procaciter obtrectantem audire videris? Nam quo ista spectant, nisi vt agendi & non agendi indifferentiam, quam hominibus ademit, Deo quoque eripiat? Quod profectò facere non potest, quin certissima sacrarum litterarum oracula proculcet, & Sanctorum Patrum, atque Conciliorum Anathemata suum in caput accersat. Sed hanc eius argumentationem pressiùs expendamus. Duplici principio nititur. Primum est, Deum nunquam habuisse indifferentiam agendi ad extra, vel non agendi. Secundum, etsi eiusmodi indifferentiam Deus habuisset aliquando, illam tamen hoc ip-

ſo periiſſe funditus, quo ſe ad agendum, vel non agendum immobili voluntate applicuit. Ex quibus hanc argumentationem concinnat. Ex Scholaſticorum opinione liberum arbitrium eſt indifferentia agendi, & non agendi: Atqui in Deo nec eſt, nec fuit indifferentia agendi, & non agendi; Ergo ex Scholaſticorum opinione nec eſt, nec fuit in Deo liberum arbitrium. Cuius argumenti vis omnis in minorem incumbit. Quamobrem de illa tantùm hoc loco confligendum: nec iam quærendum mihi: An diuina libertas in indifferentia poſita ſit, ſed id vnum diſputandum: An eiuſmodi agendi ad extra, & non agendi indifferentia in Deo reperiatur. Nam ſi reperiri demonſtrauero, victus eſt Aduerſarius, eiúſque ratio profligata.

Fateor, capere non poſſum quâ fronte affirmet, Deum non habere indifferentiam agendi ad extra, & non agendi; nam id ſine flagitio, hæreſi, & impietate pronuntiari non poſſe, perſuadet 1. quòd Ariſtoteles, Auicenna, Auerroes, aliíque ex profana philoſophia doctiſſimi viri Sanctorum Patrum & Theologorum execrationibus plectantur, quòd agendi ad extra, & non agendi indifferentiam Deo eripuerint. Vt referunt Albertus in libro de cauſis. Carthuſ. in 1. diſt. 45. q. 1. Scotus in 1. diſt. 8. q. 4. Gregor. in 1. diſt. 42. q. 3. a. 1. Ochamus, & Gabriel in 1. diſt. 43. q. 1. a. 2. Heruæus quodlib. 2. q. 3. Ferrarienſ. l. 2. contra gentes c. 23. & Sonzinnas l. 12. Metaph. q. 30. & 41. Perſuadet 2. quòd Abailardus & Wicleffus, cùm eundem errorem denuò excitaſſent, Conciliorum decretis, & populorum omnium conſenſu damnati ſunt, teſte Alfonſo à Caſtro verbo *Futurum contingens*. Perſuadet 3. quòd infiniti ſint Scripturæ loci, qui Deo agendi, & non agendi indifferentiam aſcribunt, quos congerunt S. Thomas l. 2. contra gentes cap. 23. & Valdenſis l. 1. c. 15. & 16. Perſuadet 4. quòd Sancti

Patres eandem indifferentiam Deo tribuant. Sic aiunt Deum potuisse redimere mundum, & non redimere: incarnari, & non incarnari: hominem condere, & non condere. Qua de re S. Augustinum consule Epistola 3. ad Volusianum circa medium. Libro de spiritu & littera cap. 1. L. 13. de Trinit. cap. 10. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 95. quibus ex locis multa expressit Hugo Victorinus Summæ sentent. tractatu 1. c. 14. vbi fusissimè probat Deum habere agendi ad extra & non agendi indifferentiam. Persuadent 5. rationes plurimæ, quas ad eandem indifferentiam Deo vindicandam proferunt SS. Patres, Theologi, & Philosophi. Atque inprimis S. Thomas l. 2. contra gentes cap. 23. & 26. Scotus l. 1. sent. dist. 8. q. 4. & dist. 44. q. vnica. Henricus in Summa art. 45. q. 3. & 4. Durandus in 1. dist. 43. Et ex Philosophis Plotinus Enneade 6. l. 8. cap. 4. 7. 8. Et Iamblicus lib. de Mysteriis § 9. Quas ego consultò prætereo, quòd obuiæ sint, & facilè cuilibet ea de re cogitanti in mentem veniant. Persuadet 6. quòd nemo sit, qui si communem sensum consulat, non statuat pari indifferentia Deum posse velle creare Angelum, aut non velle creare: quâ homo potest velle deambulare, aut non velle deambulare.

Quamobrem mirari subit impensè quî Aduersarius adduci potuerit, vt contra tot oracula pugnaret. Si inuictum aliquod, & inauditum hactenus argumentum proferret, ferendum esset vtcunque, quòd tali præsidio armatus manifestæ veritati obluctaretur. Sed nihil profert nisi tralatitium, & à profanis aliquot Philosophis decantatum millies, atque à Theologis clarissimè enodatum. *Deus*, inquit, *ab æterno, hoc est sine vllo initio semper ad agendum, vel non agendum determinatus fuit.* Ergo *indifferentia agendi, & non agendi in Deo prorsus periit.* Diu est quòd hoc argumento Theologorum Scholæ circumsonant: soluitur vulgò in 1. dist.

8. & à quibusdam, vt à Guillelmo Estio, dist. 45. Norunt & illud Philosophiæ tyrones, nam ab iis etiam dissoluitur, qui faciliorem illis, ac breuiorem philosophiam conscripsere. Instar sit omnium, qui alios, vt dignitate, ita & acumine ingenij, & dicendi perspicuitate vincit, Episcopus Vaurensis D. de Raconis disp. de mundo q. 2. prop. 1. Responsionis summa est. Quamlibet determinationem, aut necessitatem causæ alicuius naturali indifferentiæ non repugnare, sed eam tantùm, quæ antecedens est. Nam causa indifferens ad vtrumlibet est ea, quæ in actu primo spectata, & omnibus ad agendum prærequisitis instructa neutram adhuc in partem propendet. Hæc est natiua agendi & non agendi indifferentia, quæ consequenti determinatione non violatur. Quare si Deus ab æterno creaturam aliquam condidisset, quod fieri posse pugnat S. Th. 1. p. 2. q. 46. a. 2. & q. 3. de potent. art. 14. quamuis nullum assignari tempus posset, quo Deus ad illam creaturam producendam determinatus non foret, illam tamen cum indifferentia produceret; quia in priori naturæ nihil haberet prorsus, quo ad illam producendam necessariò determinaretur. Addit Bagnes 1. parte q. 19. art. 10. duobus modis aliquid dici indifferens. Primò negatiuè, quatenus ex se naturáque sua non est determinatum. Secundò priuatiuè, quatenus aptum est determinari, at nondum est determinatum, sed adhuc manet in potentia ad vtrumlibet. Quâ ex distinctione ita propositum argumentum soluit, vt dicat, Deum respectu creaturarum semper esse indifferentem negatiuè, quatenus ex se, suáque substantia nihil habet, quo ad volendum aliquid extra se determinetur. At nunquã fuisse indifferentem priuatiuè, quia quidquid vult, ab æterno voluit. Quæ vbi copiosè disputauit: tum validè probat posteriorem hãc indifferentiam nihil ad rationem liberi arbitrij pertinere, ac proinde Deum circa creaturas liberrimum

esse, licèt circa illas nunquã priuatiuè indifferens fuerit.

Parum est Aduersarium fregisse rationibus, & Theologorum, atque Philosophorum auctoritate: armandus est ipse in sese, & ex opinionis suæ decretis configendus. Fatetur Deum Angelo, & homini primitus dedisse arbitrij indifferentiam ad agendum, & non agendum, quæ nec Diuinâ gratiâ, nec alio quolibet impulsu violaretur. Ponamus igitur, quod fieri posse non negauerit, Angelum aliquem in primo creationis suæ instanti ex illa arbitrij indifferentia bene operari. Hoc si fecerit, licèt nullum sit instans, in quo ad agendum determinatus non fuerit, habere tamen agendi & non agendi indifferentiam, atque ex illa operari, vel ipsius Aduersarij iudicio, dicetur. Nam vt ipse docet libro de gratia primi hominis & Angel. cap. 15. Angelum aut primum hominem agere cum indifferentia ad vtrumlibet, aliud nihil est, quàm sine vlla antecedenti necessitate agere. Ergo & Deus respectu volitionis mundi habet indifferentiam ad vtrumlibet, quia sine vlla antecedenti necessitate vult mundum condere. Vnde sic vlterius colligo: Aduersarius Deo tribuere debet indifferentiam illam agendi & non agendi, quam primo homini, & Angelis datam fuisse concedit: Atqui indifferentia illa agendi & non agendi, quam primo homini & Angelis datam fuisse concedit, illa ipsa est, vt sæpius monet, quam ad liberum arbitrium Theologi requirunt; Ergo Deo tribuere debet indifferentiam illam agendi, & non agendi, quam ad liberum arbitrium Theologi requirunt. Quid hîc ergo procaciter pugnat periisse funditus in Deo indifferentiam illam agendi & non agẽdi, in qua Theologi liberi arbitrij rationẽ ponũt?

Pergit nihilominus, atque inde validiùs multo, & ingeniosiùs argumentum fabricatur. Ait se *velut veram illam responsionem amplecti, quâ dicunt* Theologi, *idcirco Deum nunc esse liberum, quia in illo instanti rationis,* actualem determinationem antecedente, *liber, hoc*

est indifferens fuit, & ex propria se libertate determinauit: in qua determinatione propter naturæ voluntatísque constantiam immutabilis permanet. Quâ ex doctrina Theologos, sic tanquam proprio gladio, confodit. *Hoc si,* inquit, *Scholasticis sufficit, nulla ratio superest, cur non & perpetuam illam iustitiæ voluntatem seu amorem beatificum, quo beati Angeli, & homines peccare non possunt, liberrimam voluntatem esse concedant. Est enim certissimum Angelos, & homines qui beati sunt: ita liberâ indifferentíque voluntate iustitiam elegisse, propriáque se libertate determinâsse ad diligendam iustitiam, vel in ea perseuerandum, sicut Deus ad opera, quibus vel creaturas, vel aliquid in creaturis operatur.* Et paulò pòst: *Non enim imaginandum est aliam Beatis infundi cum beatitudine voluntatem, quæ propter perpetuam determinationem non sit libera; sed eadem omnino voluntas libera, seu amor iustitiæ liberrimè susceptus in hac vita, sine vlla mutatione firmior, & ardentior permanet.* Quid est in leuioribus Theologiæ elementis balbutire, si hoc non est? Singulæ ferè lineæ plurimis erroribus consperguntur. Quos vt dispungam,

Obseruandum 1. Homines omnes, qui ex hac vita in cælum feliciter euolant, in habituali quidem charitate emori, at non in actuali. Quot sunt enim, qui aut dormientes, aut de Deo nihil cogitantes à sicariis iugulantur? Quot repentinâ opprimuntur morte? Quot ardentiori morbo correpti ratione priùs, quàm vitâ priuantur? Quamobrem scire ab Aduersario velim, quî tam audacter affirmet, actum amoris iustitiæ, quem Beati in patria habent, illum ipsum esse, quem hâc in vitâ liberrimè susceperunt. Nam etsi illud de iis affirmari posset, qui actuali Dei dilectioni immoriuntur, de aliis certè falsissimum est.

Obseruandum 2. eos quoque, qui in actu charitatis moriuntur, eundem in cælo ex communiori Theologorum opinione non continuare, sed alium longè præstantiorem exercere. Hinc est, quòd S. Thomas 2. 2. q.

24. art. 7. ad 3. asserit actum charitatis viæ substantialiter discrepare, ab actu charitatis patriæ, eodem nempe modo, quo linea, & superficies differunt. Quia, inquit, *charitas viæ sequitur cognitionem fidei: & charitas patriæ sequitur visionem apertam.* Quam opinionem sequuntur eius interpretes Caietan. 1. p. q. 82. art. 2. & Ferrariensis 3. contra gentes cap. 62. & alij complures Theologi, qui ea ratione nituntur, quam perstrinxit S. Thomas, quámque Dionysius Carthusianus ita proponit in 1. dist. 17. q. 8. *Quoniam charitas viæ, & patriæ in substantia sua omnino eiusdem est rationis, non autem operatio eius, quæ est dilectio: quia dilectio sequitur cognitionem, propter quod aliud, ac altius genus cognitionis inducit aliud genus dilectionis* &c.

Obseruandum 3. eos qui asserunt actum charitatis in via susceptum manere posse in patria, affirmare pariter eundem de libero, fieri non liberum. Ita Medina 3. parte q. 19. art. 3. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 18. n. 8. & Bagnes 2. 2. q. 28. art. 8. qui ita loquitur *Actus charitatis in via est actus liber formaliter respectu immediati obiecti, in patria verò non est actus liber formaliter.* Fatetur tamen actum charitatis patriæ esse liberum radicaliter, quatenus Beati per actus voluntatis liberos beatitudinem adepti sunt. Sic homicidium ab ebrio commissum in radice liberum dicitur, quatenus ille libera voluntate vino se obruit. Verùm de illa libertate non loquimur, cùm quærimus, an amor beatificus liber sit: sed de libertate formali, quam illi Theologi idcirco negant, quòd à visione beatifica, quæ eius principium est, necessariò inferatur. Neque verò ad hanc libertatem amori beatifico conciliandam valere aliquid potest, quòd idem actus liberè aliàs in via inceperit. Nam formalis libertas actus, pro aliquo instanti, æstimari præcisè debet ex indifferentia causæ in priori naturæ illius instantis. Solent enim Philosophi quodlibet instans temporis, in quo agere causa dicitur, in duo na-

turæ instantia partiri, atque in primo, quod prius naturæ appellant, ea spectare omnia, quæ ad agendum prærequisita sunt: in secundo, quod posterius naturæ vocant, causam vt actu agentem considerare. Si in priori illo naturæ nihil est, quod actionem necessariò inferat, libera est formaliter; si verò in eodem priori aliquid est, quod causam ad agendum determinet: libera non est formaliter. Quocirca prioritas naturæ, ex qua causæ indifferentiam metimur, non in primo tantùm actionis instanti, sed in quolibet alio spectari debet, in quo causa liberè operari dicitur.

Obseruandum 4. paulo aliter de liberis Dei volitionibus esse disserendum; nam cùm æternitas, quâ mensurantur, tota sit instar puncti, earum duratio prorsus indiuisibilis est, atque adeo de illis eodem modo loqui debemus, quo de humana volitione vno tantùm (si fieri potest) instanti existente. Quemadmodum enim hæc volitio hoc ipso tota esset libera, quo in priori naturæ eius productionem antecedente, nihil esset quod illam necessariò inferret: ita etiam Diuina volitio hoc ipso tota est libera, quo in priori naturæ æternam eius productionem antecedente, Deus ad volendum est indifferens. Quod profectò non sufficeret, si Diuina volitio intrinsecam ac realem durationem haberet, ex multis instantibus conflatam. Nam tunc ad explorandum an tota esset libera, videndum esset, an in singulis instantibus nihil foret antecedens, quod illam necessariò inferret.

Hinc nata sunt apud Theologos opinionum diuortia. Nam qui diuinas volitiones vt æternitate indiuisibili mensuratas spectarunt, statuerunt Deum etiam hoc instanti esse indifferentem ad volendum & non volendum; quia in priori naturæ indiuisibilis æternitatis nunc existentis nihil est quod Deum antecedenter ad volendum determinet. Quam opinionem sequitur S. Thomas q. 6. de veritate art. 3. ad 10. vbi asserit

ſerit Deum poſſe nunc prædeſtinaſſe, quos non prædeſtinauit, aut non prædeſtinaſſe, quos prædeſtinauit. *Quia actus prædeſtinationis cùm menſuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, ſicut nunquam eſt futurum: vnde ſemper conſideratur vt egrediens à voluntate per modum libertatis.* Et in 1. diſt. 39. q. 1. art. 1. eiuſdem aſſertionis eandem reddit rationem. Accedunt Albertus 1. p. q. 63. membro 3. art. 2. Alexander 1. p. q. 27. membro 7. Scotus in 1. diſt. 4. q. vnica ad 1. Durandus diſt. 40. q. 1. n. 7. & 8. Richardus in 1. diſt. 40. art. 2. q. 2. Ocham eadem diſtinct. q. vnica in medio, Gregorius, Adam, Marſilius, Gabriel Maior, & Nicolaus de Orbellis eadem diſtinct. 40. Quibus non obſcurè fauet Magiſter diſt. 40. cap. 3. Eandem ex recentioribus opinionem tuentur Driedo de concordia liberi arbitrij cum prædeſt. par. 2. cap. 2. Albertus Pighius l. 8. de lib. arb. cap. 1. Vega l. 12. cap. 22. & 23 Corduba 1. quæſtionarij q. 55. dub. 12. & Bagnes q. 14. art. 13. Alij verò qui Diuinas volitiones ſpectarunt, prout in aliquo tempore reali aut imaginario exiſtentes, ſtatuerunt Deum quidem indifferentem fuiſſe ad eas primò producendas, non verò ad continuandas. Quia Diuinæ volitionis durationem quibuſdam quaſi ſucceſſiuis inſtantibus metiuntur, quorum in primo Deus liberè vult; quia nihil eſt antecedens, quod volitionem neceſſariò inferat: in aliis verò omnibus eandem volitionem liberè non continuat; quia ad id ſua immutabilitate neceſſariò determinatur. Ita Capreolus in 1. diſt. 38. q. vnica art. 2 Concluſ. 6. Palacius eâdem diſtinctione diſp. 2. Ledeſma tractatu de auxiliis diſp. 2. difficult. 1. dub. 6. & Zumel. 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 5. Concl. 5.

His obſeruatis ſatis opinor elucet, quàm ſit inepta Aduerſarij argumentatio. Nam, vt leuiora omittam, atque ad ipſum difficultatis caput aggrediar, falſiſſimum eſt actum amoris, qui in via ſuſceptus manet in

patria, hoc ipso semper esse liberum, quo in priori naturæ antequam primò produceretur in via, nihil fuit quod illum necessariò inferret. Neque ad id euincendum aliquid confert, quod plurimi Theologi aiunt, hoc ipso volitionem Dei semper esse liberam, quo in priori naturæ, æternam eius productionem antecedente, Deus indifferens fuit ad volendum, aut non volendum. Nam qui ita opinantur Theologi liberas Dei volitiones spectant, vt æternitate indiuisibili mensuratas, atque adeo de illis eodem prorsus modo loquuntur, quo de humana volitione vno tantùm instanti existente. Igitur non minùs est insulsa Aduersarij ratiocinatio, quàm si ita colligeret. Ad hoc vt volitio vno tantùm instanti existens semper sit libera, satis est vt in priori naturæ illius productionis causa sit indifferens; Ergo ad hoc vt volitio per plurima instantia continuata, semper sit libera, satis est vt in priori naturæ primæ productionis causa sit indifferens. Errauit verò tam imperitè, quia quod Philosophiæ tyronibus notissimum est, vel ignorauit, vel dissimulauit: nimirum, libertatem volitionis pro aliquo instanti, non aliunde quàm ex priori naturæ eiusdem instantis esse æstimandum; adeóque volitionem æternitate indiuisibili mensuratam tota æternitate liberam esse, si in priori naturę eiusdem æternitatis indiuisibilis voluntas sit indifferens: sicut volitio vno tantùm instanti existens, semper est libera, si in priori naturæ illius instantis causa est indifferens. At volitiones quæ sunt in tempore, & pluribus instantibus durant, non sunt semper liberæ, nisi in priori naturæ singulorum instantium causa sit indifferens. Quod adeò verum est, vt qui Theologi Diuinas volitiones vt tempore reali aut imaginario mensuratas, & pluribus quasi instantibus durantes spectarunt, eas liberè quidem primò produci dixerint, at non liberè continuari; quia in priori naturæ productionis nihil est quod illas necessariò inferat, est verò in priori naturæ

continuationis. Ex quo ſequitur eundem actum charitatis, qui in via liber fuit, in patria eſſe neceſſarium. Nam voluntas, quæ in via ſpectatis omnibus ad agendum prærequiſitis indifferens erat ad hunc actum exercendum, aut non exercendum: nunc in patria cum omnibus actionis principiis ſpectata non eſt indifferens; ſiquidem clara Dei viſio, quæ illius amoris principium eſt, voluntatem neceſſariò determinat.





DISPVTATIONIS DE LIBERO ARBITRIO

LIBER TERTIVS.

IN QVO NOVVM DOGMA Theologorum auctoritate labefactatur.



NOVA de libertate opinio cùm primùm superiori ætate emersit in lucem, vnius sancti Augustini præsidium ambitiosè quæsiuit. Credo quòd Lutherus, qui illam è Wicleffi cineribus rediuiuam excitarat, etsi alios Ecclesiæ Doctores impudenter ac proteruè abdicaret, nollet tamen S. Augustino, quem aliàs Patrem habuerat, palam & apertè bellum indicere. Hinc illa vox eius libro de seruo arbitrio: *Augustinus totus meus est.* Ac cùm eadem opinio suis quasi è cunabulis egressa adoleuit, cùm à Caluino elegantiori expolita cultu volitare per Galliam, & in vulgus impunè spargi cœpit, creuit illi cum viribus ambitio, & primos Ecclesiæ Patres, sin minus ad præsidium, ad pompam certè & ornatum sibi asciuit. Vnde Caluinus qui libro 2. Institu-

tionum Patres omnes, vno excepto Augustino, sibi abiudicârat, eosdem postea libro 2. de libero arbitrio causæ suæ patronos esse gloriatur; atque eos maximè, quos Lutherani, vt sibi nimis infensos suffragij iure depellunt, Origenem scilicet, quem Lutherus in Conuiuialibus vt immeritum liberi arbitrij præconem diris deuouet. Tertullianum, quem Adam Scultetus libro 7. cap. 42. ait *liberum arbitrium ita euehere, vt Pelagius ipse vix ausus fuerit pari libertate de eo pronuntiare.* Cyprianum, quem Scultetus idem libro 8. c. 24. & Lutherus in Conuiuialibus, vt *infirmum Theologum* reiiciunt. Hilarium, de quo Magdeburgenses Centuria 4. cap. 10. *Hilarius de libero arbitrio satis cautè non loquitur.* Basilium, de quo Lutherus in Conuiuialibus, *Basilius nihil valet, totus est Monachus, ne pilo quidem illum redimerem.* Quibus alios complures Chamierus addit Tomo 3. libro 3. c. 16. atque in primis Irenæum, quem tamen Magdeburgenses carpunt Centuria 2. cap. 10. quòd *liberum arbitrium admittat.* Clementem Alexandrinum, de quo iidem Magdeburgenses Centuria 3. c. 1. *Corruptionem naturæ adeò ignorauit, vt nusquam non liberum arbitrium asserat.* Chrysostomum, quem Lutherus in Conuiuialibus *loquaculum*, & Magdeburgenses Centur. 5. cap. 5. *Bonorum operum Encomiastem, & liberi arbitrij patronum* vocant. Iustinum, quem Scultetus libro 1. cap. 17. ait *ex Platonis philosophia de libertate voluntatis humanæ opinionem* hausisse. Hos, inquam, Patres, quos noua de libertate opinio, cùm in cunis esset, sibi conciliare desperauerat, adulta postmodum, & confirmata audacter arrogauit.

Sed nihil æquè eius audaciam prodit, ac insignis illa temeritas, quâ Scholasticos etiam Theologos defendere ausa est sibi. Scholasticos, inquam, quos vt coniuratos hostes primùm execrabatur, quos Caluinus, & primi eius asseclæ, vt Sophistas, & libertatis ad vtrumlibet vindices explodunt. Quanquam non omnes fi-

mul, eadémque quasi operâ sibi conciliandos suscepit; sed eos pertentauit sigillatim, & alios ex aliis sibi adiungere conata est. Ac primò Magistrum sententiarum aggreditur Caluinus ipse libro 2. Institutionum, eúmque sententiæ suæ fundum contestatur. Tum alij ex Caluino profecti Hæretici pro se quisque Scholasticorum aliquem opinioni suæ illigare tentauerunt. S. Thomam Ioannes Scharpius libro 2. de libero arbitrio cap. 2. Bonauenturam & Gabrielem Dauid Pareus libro 3. de libero arbitrio cap. 4. Scotum eiúsque discipulos, quotquot ferè ex Caluini secta pugnatricem Theologiam adamârunt, vt ex Puteano constat Tomo 1. in 1. 2. q. 10. dub. 2. Quibus & Henricum à Gandauo, Richardum à Media-villa, Thomam de Argentina, alióſque complures nouus Dogmatistes adiecit libro 6. de gratia Christi.

Hos ego nouæ factioni extorquere conabor, vbi monuero, nihil illam ex Scholasticorum auctoritate sperare præsidij, si de aliis noui Dogmatis partibus agatur. Nam apertè satis indicat eas à quingentis ferè annis Scholasticorum omnium consensu fuisse reiectas. *At* Libro proœmiali cap. 30. *fortè*, inquit, *respondebunt mihi Scholasticorum sententias, quæ hîc ab Augustino videntur esse reprobatæ, iam à quingentis ferè annis per vniuersam Ecclesiam fuisse familiares.* Tum ita respondet, vt non inficietur Scholasticos Theologos à quingentis annis, quas ipse tuetur; opiniones reiecisse; sed hoc vnum ait, *nullâ Scholasticarum opinationum vetustate, quantocumque patrocinantium numero roborata, quibuscumque locis diffusa, quotcumque ætatibus propagata, fidem Catholicam* (ad quam opiniones suas pertinere putat) *labefactari, aut maculari.* Quapropter cùm de peccandi necessitate, ignorantia inuincibili, præceptorum impossibilitate, gratia sufficienti, aliísque eiusmodi quæstionibus disserit, adeo Scholasticos in opinionis suæ communionem non vocat, vt eos vbique atrociter insectetur. Vnam de libero arbitrio con-

trouersiam Scholasticorum auctoritate disceptari cupit: vnam eorum munire sententiis ac firmare conatus est. Sed eos hac in parte non modò nihil fauentes, sed etiam infensiores habet; vt posteriori hoc libro paucis demonstrabo.

CAPVT PRIMVM.

S. Thomam nouo Dogmati adeo nihil suffragari, vt illud confutet validißimè, & Hæreticum esse pronuntiet.



MAGNI hac in parte momenti esse debet S. Thomæ auctoritas, quem etsi nouus Doctor toties proscindit, quoties Theologiam Scholasticam, cuius ipse præcipuus auctor est & princeps, criminatur, fateri tamen coactus est, eius summam esse *Augustinum contractum certáque proportione naturalibus principiis alligatum.* Quare in eius opinionem paulo diligentiùs est inquirendum: tum reliquos, qui ab eius ætate floruerunt, Theologos, pressiùs excutiam. Superiores verò non expendam sigillatim, sed illos cum S. Thoma & posterioribus Theologis, qui eorum opinionem laudant, & sequuntur, coniungam. Libro proœmiali cap. 21.

SECTIO I.

S. Thomas nouam opinionem confutat, & reiicit.

ANTEQVAM sancti Doctoris testimonia, quibus Caluinistæ abutuntur, exponam, placet eius de libertate sententiam constituere, & quantum à nuperæ

opinionis fabulis abhorreat, multiplici ratione conuincere.

PARAGRAPHVS I.

Probatur primùm ex eo loco, vbi disertè nouam opinionem Hæreticam esse pronuntiat.

QVÆRIT S. Doctor quæstione 6. de malo art. vnico: *Vtrum homo habeat liberã electionem suorum actuum, aut ex necessitate eligat.* Respondet in corpore: *Dicendum quod quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur, non enim omne necessarium est violentum; sed solùm id cuius principium est extra.* Non aliis verbis suam sententiam exprimunt Aduersarij. Audiant ergo quid de illa sentiat S. Thomas. HÆC AVTEM OPINIO EST HÆRETICA: TOLLIT ENIM RATIONEM MERITI ET DEMERITI IN HVMANIS ACTIBVS. *Non enim videtur esse demeritorium, vel meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, vt vitare non possit.* Nihil hîc ambigui. Hæreticam esse affirmat. Rationem addit inde petitam, quòd meritum aut demeritum non sit, vbi quis *sic ex necessitate agit, vt vitare non possit.* Quam rationem exposui superiùs contra nouum dogmatistam asserentem, mereri hominem & demereri, dum id facit, quod vitare non potest. Eandem S. Thomas ita proponit quæst. 24. de veritate art. 12. *Secundùm Augustinum nullus peccat in eo quod vitare non potest, quia iam hoc esset necessarium.*

Parum fuit S. Doctori opinionem illam Hæresis notare, eam quoque vt Philosophorum iudicio damnatam proscribit. *Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim*

non

non sit aliquid liberum in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium. Vbi obseruandum est liberum non opponi coacto, sed illi qui necessitate mouetur ad volendum. *Ad huiusmodi autem positiones ponendas inducti sunt aliqui homines, partim quidem propter proteruiam, partim propter aliquas rationes Sophisticas, quas dissoluere non potuerunt.* Vtra ex causa ad hanc opinionem noui Dogmatistæ accesserint, Lectoris iudicium esto.

Suam porrò de illa censuram vt tueatur, probat hominem ex necessitate non moueri ad volendum. *Quemadmodum*, inquit, *in rebus naturalibus inuenitur forma, quæ est principium actionis, & inclinatio consequens formam, quæ est appetitus naturalis, ex quibus sequitur actio: ita in homine inuenitur forma intellectiua, & inclinatio voluntatis consequens formam apprehensam, ex quibus sequitur exterior actio: sed in hoc est differentia, quia forma rei naturalis est forma indiuiduata per materiam, vnde & inclinatio ipsam consequens est determinata ad vnum: sed forma intellecta est vniuersalis, sub qua multa possunt comprehendi. Vnde cùm actus sint in singularibus, in quibus nullum est, quod adæquet formam vniuersalis, remanet inclinatio voluntatis indeterminatè se habens ad multa.* Adeóque penes ipsam est ad vnum potiùs, quàm ad aliud se determinare. *Quantum ergo ad exercitium actus, primò quidem manifestum est quòd voluntas mouetur à se ipsa.* At quia voluntas non se mouet ad volendum, nisi iam aliquid velit, ait illam ex voluntate finis mouere se per consilium ad alia volenda. *Cùm ergo voluntas se consilio moueat, consilium autem sit inquisitio quædam non demonstratiua, sed ad opposita viam habens, non ex necessitate voluntas se ipsam mouet.* Statuit autem voluntatem moueri ad primum actum, seu ad volendum consiliari à bona fortuna, seu à Deo: *qui cùm omnia moueat secundùm rationem mobilium, vt leuia sursum, & grauia deor-*

sum: etiam voluntatem mouet secundùm eius conditionem, non ex necessitate; sed vt indeterminatè se habentem ad multa. Ex quibus *patet quòd si consideretur motus voluntatis ex parte exercitij actus, non mouetur ex necessitate.* Iam verò quod pertinet ad specificationem actus: *Si apprehendatur aliquid vt bonum conueniens secundùm omnia particularia, quæ considerari possunt, ex necessitate mouebit voluntatem, & propter hoc homo ex necessitate appetit beatitudinem, quæ secundùm Boëtium est status omnium bonorum congregatione perfectus. Dico autem ex necessitate quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum, non autem quantum ad exercitium actus; quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine* &c. *Si autem sit tale bonum, quod non inueniatur esse bonum secundùm omnia particularia, quæ considerari possunt, non ex necessitate mouebit, etiam quantum ad determinationem actus. Poterit enim aliquis velle oppositum, etiam de eo cogitans.* Quare concludit: *Sic ergo quantum ad aliqua voluntas ex necessitate mouetur ex parte obiecti, non autem quantum ad omnia: sed ex parte exercitij actus, non ex necessitate mouetur.*

Hæc rationum summa quibus S. Doctor probat, voluntatem non coactione tantùm, sed etiam simplici necessitate esse expeditam. Quibus & multum accedere roboris posset ex iis, quæ in solutionibus argumentorum addit; at ea prætermitto, ne longior sim, vnum tantùm perstringo. Obiectum fuerat: *Si ergo voluntas hominis immobiliter mouetur à Deo, sequitur quòd homo non habeat liberam electionem suorum actuum.* Respondet ad 3. *Deus mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam in omnibus prouidentia Diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter, inquantum Deus omnia mouet proportionabiliter, vnumquodque secundùm suum modum.* Illud

ipſum eſt quod defendo, Deum mouere Angelorum & hominum voluntates *indeclinabiliter, infallibiliter, certiſſimè*, ita tamen vt *non inducatur neceſſitas, ſed maneat libertas.*

PARAGRAPHVS II.

Probatur ſecundò ex iis locis, quibus voluntati naturæ ſimul, & liberæ potentiæ rationem tribuit, negátque ad liberum arbitrium pertinere quod neceſſariò volumus.

CONTENDIT Aduerſarius *fieri non poſſe, vt eadem potentia voluntatis circa finem verſetur vt natura, & in ea quæ ſunt ad finem vt potentia libera.* Manifeſtè igitur à S. Thoma diſſidet, cuius eſt iſtud effatum pluribus conſignatum locis, & multiplici ratione ſtabilitum. Prima quidem parte quæſt. 41. art. 2. ad 3. ſic loquitur: *Voluntas in quantum eſt natura quadam aliquid naturaliter vult, ſicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem.* Et quæſtione 2. de potentia art. 3. *Voluntas in quantum voluntas, cùm ſit libera, ad vtrumlibet ſe habet, poteſt enim voluntas agere, vel non agere: ſic, vel ſic facere: velle, & non velle.* Quid expreſſius pro communi ſententia dici potuit? *Et ſi reſpectu alicuius hoc voluntati non conuenit, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas eſt, ſed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid, ſicut ad finem vltimum, quem non poteſt non velle. ſicut voluntas humana non poteſt non velle beatitudinem, nec poteſt velle miſeriam.* Vnde voluntas beatitudinis in homine naturalis eſt, non libera. *Voluntas*, inquit 1. parte quæſt. 60. art. 2. in corpore, *naturaliter tendit in ſuum finem vltimum: omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cùm quidquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult, ſicut*

Libro 7. de grat. Chriſti cap. 13.

finem, est dilectio naturalis: dilectio autem ab hac deriuata, quæ est boni quod diligitur propter finem, est dilectio electiua. Ergo fallitur, qui ait docuisse S. Thomam ipsam quoque finis voluntatem electiuam esse & liberam.

Eadem inculcat quæst. 22. de veritate art. 5. *Natura autem, & voluntas hoc modo ordinata sunt, vt ipsa voluntas quædam natura sit, quia omne quod in rebus inuenitur, natura quædam dicitur. Et ideo in voluntate oportet inuenire non solùm quod voluntatis est, sed etiam quod naturæ est: hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ, vt à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Vnde & voluntati inest naturalis quidam appetitus sibi conuenientis boni. Et præter hoc* HABET APPETERE ALIQVID SECVNDVM PROPRIAM DETERMINATIONEM, NON EX NECESSITATE, QVOD EI COMPETIT IN QVANTVM VOLVNTAS EST. Potuitne disertiùs opinionem nostram confirmare, quâ asserimus, voluntatem eatenus tantùm esse liberam, quatenus vult aliquid *secundùm propriam determinationem, non ex necessitate?*

Sed illud ipsum clariùs adhuc tradit 1. p. q. 19. a. 10. in corp. *Dicendum,* inquit, *quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu.* NON ENIM AD LIBERVM ARBITRIVM PERTINET, QVÒD VOLVMVS ESSE FELICES, *sed ad naturalem instinctum.* Quid igitur garriunt Aduersarij? quid clamant, certum esse ex S. Thoma nos habere libertatem etiam respectu eorum, quæ naturali necessitate appetimus; atque adeo ad liberum arbitrium pertinere quòd volumus esse felices?

PARAGRAPHVS III.

Probatur 3. ex iis locis, quibus ait libertatem esse dominium, & proprium eius actum electionem.

DVPLICI telo nouam opinionem S. Doctor perimit 1. parte quæst. 82. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd sumus domini nostrorum actuum, secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, vt dicitur 3. Ethic.* VNDE APPETITVS VLTIMI FINIS NON EST DE HIS, QVORVM DOMINI SVMVS. Animaduerte 1. affirmare sanctum Thomam, *quòd sumus domini nostrorum actuum secundùm quòd possumus hoc, vel illud eligere*; cúmque inde colligere: *Appetitum vltimi finis non esse de his, quorum domini sumus.* Animaduerte 2. illum quoque asserere: *Electionem non esse de fine.* Vtrumque tamen Aduersarius negat. Nam & appetitum vltimi finis ait esse electionem: & omnem prorsus voluntatis motum quantalibet necessitate expressum in dominio & potestate voluntatis esse defendit.

Nec illum pudet hanc opinionem suam S. Thomæ adscribere, qui libro 1. contra gentes cap. 68. his illam verbis manifestè reiicit. DOMINIVM QVOD HABET VOLVNTAS SVPRA SVOS ACTVS PER QVOD IN EIVS EST POTESTATE VELLE, VEL NON VELLE, EXCLVDIT DETERMINATIONEM VIRTVTIS AD VNVM. Et libro 2. cap. 47. *Substantiæ intellectuales se agunt ad operandum. Hoc autem est proprium voluntatis, per quam substantia aliqua est domina sui actus, vtpote in ipsa existens agere, & non agere.* Dominium voluntatis in actum explicat per potentiam agendi & non agendi. Hinc est quòd docet voluntatem eatenus habere dominium in actum, quatenus ad illum se determinat. *Determinatio*, inquit in 2. dist. 25.

q. 1. art. 1. *actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur.* VNDE REMANET SIBI DOMINIVM SVI ACTVS. Idem accuratè explicat quæst. 22. de veritate art. 5. Nam cùm statuisset voluntatem, vt natura est, aliquid necessariò velle: nempe finem vltimum: opponit contrà: *Ex eo quod aliquid est voluntarium dicitur esse in nobis, ita quòd nos domini illius sumus: sed illud quod est in nobis, cuius domini sumus, possumus velle, & non velle; Ergo omne quod voluntas vult, potest velle, & non velle; & ita non de necessitate aliquid vult,* Respondet ad 7. *Dicendum quòd ratio illa procedit de voluntate secundùm quòd voluntas est, hoc enim proprium est voluntati, inquantum est voluntas, quòd sit domina suorum actuum.* Ergo voluntati inquantum natura est, non conuenit esse dominam suorum actuum, adeóque appetitus finis vltimi, amor sui ipsius in Deo, processio Spiritus sancti, aliæque eiusmodi volitiones, quas Sanctus Thomas ait proficisci à voluntate, vt natura est, non sunt liberæ; quia non oriuntur à voluntate, vt domina sui actus.

Leuius non est ad nouitium errorem præfocandum quod S. Thomas de electione docet. Ait 1. parte, q. 83. art. 3. in corp. *Proprium liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere alio recusato, quod est eligere.* Et 1. 2. quæst. 13. art. 2. in corp. *Cùm electio sit praacceptio vnius respectu alterius, necesse est quòd electio sit respectu plurium, qua eligi possunt, & ideo in iis, quæ sunt penitus determinata ad vnum, electio locum non habet.* Hinc colligit art. 3. *Finem non cadere sub electionem.* Et artic. 6. *Electio autem cùm non sit de fine, sed de his quæ sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum: & ideo homo non ex necessitate, sed liberè eligit.* Age modò, cum hac doctrina S. Thomæ concilia si potes, quod noua Theologia sciscit, voluntatem nostram libera electione finem vltimum appetere: Beatos

libera electione Deum amare: & Patrem ac Filium libera electione Spiritum sanctum producere.

PARAGRAPHVS IV.

Probatur 4. ex iis locis, in quibus Deo, Angelis & homini liberum arbitrium adscribit.

DISPVTAT 1. parte, quæst. 19. art. 10. de Diuina libertate, & quærit, *vtrum Deus habeat liberum arbitrium.* Respondet in corpore articuli: *Dicendum, quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum, vnde & alia animalia, quæ naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moueri. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate, vt suprà ostensum est, respectu illorum, quæ non necessitate vult, liberum habet arbitrium.* Ergo ex mente S. Thomæ Deus liberum arbitrium non habet respectu illorum, quæ necessitate vult. Quanta est igitur Aduersarij temeritas, qui quolibet pignore contendit, amorem quo Deus necessariò se ipsum amat, & productionem Spiritus sancti ad liberum arbitrium pertinere? Superiori loco affinis est alter ex libro 1. contra gentes cap. 88. *Deus alia à se non ex necessitate vult, vt suprà ostensum est; Deo igitur liberum arbitrium habere competit.* Nimirum, respectu illorum, quæ non necessitate vult.

Idem quærit in 2. dist. 25 quæst. 1. art. 1. & breuissimè controuersiam dirimit in hæc verba: *Ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, vel non facere possit: & hoc Deo conuenit: bona enim quæ facit, potest non facere.* Nullus hîc tergiuersandi locus, eatenus tantùm libertatem arbitrij Deo attribuit, quatenus bona quæ facit, potest non facere. Num vt ait quæst. 16. de

malo artic. 5. *Deus tanquam proprium finem naturaliter vult suam bonitatem, nec potest non velle eam. Sed quia ad bonitatem eius ordinari possunt diuersi modi, & ordines rerum, voluntas eius non sic fertur ad vnum in suis effectibus, quin quantum est de se poßit ferri in aliud.* ET SECVNDVM HOC COMPETIT DEO LIBERTAS ARBITRII. Quid ad hæc verba recentes Theologi? His enim S. Thomas manifestè innuit, Deo liberum arbitrium non competere respectu bonitatis suæ, quam *naturaliter vult, nec potest non velle.*

Quærit rursus quæstione 24. de veritate art. 3. *vtrum liberum arbitrium sit in Deo:* Respondet in corpore articuli: *Oportet dicere in Deo liberum arbitrium inueniri, similiter & in Angelis,* NON ENIM IPSI EX NECESSITATE VOLVNT. Vnde quartum argumentum, quod erat eiusmodi: *Liberum arbitrium est potentia ad oppositos actus se habens: sed Deus non se habet ad opposita, cùm sit immutabilis, nec in malum flecti poßit: ergo liberum arbitrium non est in Deo:* sic soluit: *Dicendum, quòd voluntas Diuina se habet ad opposita, non quidem vt aliquid velit, & postea nolit, quod eius immutabilitati repugnaret: nec vt poßit velle bonum, & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret:* SED QVIA POTEST HOC VELLE, ET NON VELLE. Si eam de libertate sententiam sanctus Thomas sequeretur, quam illi affingunt Aduersarij, nunquam asseruisset Deum esse liberi arbitrij, *quia potest hoc velle, & non velle:* & quia quidquid vult, *ex necessitate non vult:* & quia *voluntas eius se habet ad opposita, potéstque hoc velle, & non velle:* sed hoc vnum suæ opinioni confirmandæ argumentum adhibuisset: Deus est liberi arbitrij, quia quidquid vult, spontè vult, non coactè.

Non minus disertè nouæ opinionis iugulum petit, cùm eadem quæstione art. 1. de humana libertate disputat. *Nullus,* inquit, *debet puniri, vel præmiari pro eo, quod non est in eius potestate facere, & non facere: sed homo*

mo iustè à Deo præmiatur, vel punitur pro suis operibus: ergo homo potest operari, & non operari, & ita est liberi arbitrij. Nota posteriora hæc verba, quibus docet, ideo hominem esse liberi arbitrij, quòd potest operari, & non operari. Eodem loco sibi obiecerat 12. *Homo respectu eorum non habet libertatem, respectu quorum habet necessitatem: ergo ad peccata homo non est liberi arbitrij.* Neque respondet, vt Aduersarij solent, non repugnare libertati simplicem necessitatem, sed ait, hominem habere quidem necesse peccare aliquo modo, nullius tamen respectu habere necessitatem.

Sed nunquam ad rem nostram aptiùs loquutus est, quàm quæst. 22. de verit. art. 6. in corpore. *Cùm autem*, inquit, *voluntas dicatur libera, in quantum necessitatem non habet; libertas voluntatis in tribus considerabitur, scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle, vel non velle; & quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc, vel illud, & eius oppositum; & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, vel malum: sed quantum ad primum horum, inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ, respectu cuiuslibet obiecti. Secundum verò horum est respectu quorumdam obiectorum, scilicet respectu eorum, quæ sunt ad finem, & non ipsius finis, & etiam secundùm quemlibet statum naturæ. Tertium verò non est respectu omnium obiectorum, nec respectu cuiuslibet status naturæ, sed illius tantùm, in quo natura deficere potest.* Libertatem semper necessitati, coactioni nunquam, opponit.

Ac pro triplici necessitate triplicem quoque libertatem statuit. Prima, quæ simplicem necessitatem respectu actus excludit, & est libertas contradictionis, quâ potest voluntas actum promere, vel continere. Secunda, quæ necessitatem respectu obiecti remouet, quæ libertas contrarietatis latè sumptæ dicitur, quia penes illam est hoc, vel illud obiectum amplecti. Tertia, quæ determinationem respectu finis arcet, quæ libertas est contrarietatis propriè dictæ, quòd bonum inter ac ma-

lum, pari vtriusque asciscendi iure, suspensa sit. Suam hinc ementitæ libertatis laruam, si possunt, extundant Aduersarij?

Quam libertatem Deo, Angelis, & hominibus S. Doctor hactenus attribuit, eandem brutis abiudicat quæst. 24. de veritate art. 2. *Quia*, inquit, *cùm iudicium eorum sit determinatum ad vnum, per consequens & appetitus, & actio ad vnum determinatur. Vnde secundùm Augustinum mouentur visis, & secundùm Damascenum aguntur passionibus: quia naturaliter de tali viso, & de tali passione sic iudicant. Vnde necesse habent ab ipsa visione alicuius rei, vel à passione insurgente moueri ad fugiendum, vel prosequendum. Sicut ouis, viso lupo, necesse habet timere, & fugere: & canis, insurgente passione iræ, necesse habet latrare, & prosequi ad nocendum: sed homo non necessariò mouetur ab his, quæ sibi occurrunt, vel à passionibus insurgentibus, quia potest ea accipere, vel refugere: & ideo homo est liberi arbitrij, non autem bruta.* Sola ratio, cur homo sit liberi arbitrij, non verò bruta, est: *quòd insurgentibus passionibus, aut occurrentibus visis, non necessariò moueatur homo, bruta verò necessariò moueantur:* Ergo necessitas est, quæ opponitur libertati. Vnde quod obiectum fuerat, *bruta moueri præceptis, aut terreri minis*, quod libertatis indicium est, ita soluit ad 7. *Dicendum, quòd tam homines, quàm bruta beneficiis inducuntur, & flagellis prohibentur, vel præceptis & prohibitionibus, sed diuersimodè: quia in potestate hominum est, vt iisdem rebus similiter repræsentatis, siue sint præcepta, & prohibitiones, siue beneficia, & flagella, eligant, vel fugiant iudicio rationis: sed in brutis est iudicium naturale determinatum ad hoc, vt id, quod vno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur.* Dicit probari ex præceptis inesse homini liberum arbitrium, *quia iisdem præceptis eodem modo repræsentatis, in potestate hominis est, vt eligat, vel fugiat.* At ex iisdem probari non posse, bruta esse liberi arbitrij, quia id, quod eodem modo illis repræsen-

tatur, eodem semper modo agunt: nec est in eorum potestate agere, vel non agere. Quibus verbis communis liberi arbitrij notio & explicatur clarissimè, & validissimè comprobatur.

SECTIO II.

Aliquot S. Thomæ testimonia, quæ dudum à Caluinistis aduersùs communem de libertate opinionem proposita sunt, & à Catholicis Doctoribus soluta, ex S. Doctoris mente paulò fusiùs explicantur.

HABET illud error omnis, vt obstinatos faciat, quos semel imbuerit. Tam euidentibus S. Thomæ testimoniis nihil mouentur noui dogmatis opifices; sed patrocinari sibi S. Doctorem, & libero arbitrio solam coactionem opposuisse, insigni pertinaciâ vociferantur. Quòd si interroges: Quid ergo S. Thomas hæreticam, & erroneam esse docet opinionem illam, quæ statuit, homines ex necessitate eligere, non tamen cogi? Nihil ad rem respondebunt: sed fucum facere, & aliquot S. Thomæ testimoniis, quibus aliàs Caluinistæ pro eadem opinione confirmanda abusi sunt, se vtcunque tueri conabuntur. Qua in re nihil æquè illorum diffidentiam loquitur; quàm quòd ita S. Doctoris arbitrio totam hanc controuersiam dirimi volunt, vt eius mentem non ex iis locis exprimant, in quibus de libero arbitrio ex professo tractat: sed ex pluribus aliis, in quibus diuersa prorsus agit, nec de libertate, nisi strictim, loquitur. Hos ego ex Catholicorum, qui aduersùs Caluinistas scripserunt, mente, atque ipsius etiam Guillelmi Estij, quem præ cæteris Theologis Aduersarij prædicant, verbis explicabo.

PARAGRAPHVS I.

Soluuntur S. Thomæ testimonia, in quibus liberum arbitrium cum naturali necessitate coniungi videtur.

OPPONVNT Caluinistæ apud Guillelmum Estium in 2. dist. 24. §. 2. peruagatissimum S. Thomæ locum ex quæst. 10. de potentia art. 2. ad 5. vbi ita loquitur: *Naturalis necessitas, secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Augustinus docet in 5. de Ciuitate Dei cap. 10. Libertas enim voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur. Non est autem violentia, aut coactio in hoc, quòd aliquid secundùm ordinem suæ naturæ mouetur. Vnde voluntas liberè appetit felicitatem, licèt necessariò appetat illam. Sic autem & Deus suâ voluntate liberè amat seipsum: liberè ergo Spiritus sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Hunc S. Thomæ locum perpetuò crepant noui dogmatis fautores, eóque rem confici tam certò arbitrantur, vt cùm illum proposuêre, quasi partâ victoriâ, triumphum canant. Sed vmbratilis est illa, & imaginaria victoria. Nam quis putet, illo articulo, quo quærit S. Thomas, *vtrùm in Diuinis sit vna tantùm processio, vel plures*, grauissimam de libero arbitrio difficultatem examinari? At ne quis putet, tergiuersari me, & Aduersariorum more difficultatem eludere.

Ad obiectum locum, alióſque eiusdem sententiæ à Caluinistis propositos, respondent Catholici Doctores, atque imprimis Guillelmus Estius loco citato: *S. Thomas generaliùs loquitur de libertate voluntatis; dum dicit eam violentiæ, vel coactioni opponi, non autem naturali necessitati. Dicit enim quòd voluntas liberè appetit fe-*

licitatem, licèt necessariò eam appetat: & quòd Deus liberè sua voluntate amet seipsum, licèt id faciat necessariò: & quòd Spiritus sanctus liberè procedit à Patre, licèt procedat ex necessitate; non tamen dicit has esse actiones liberi arbitrij. Voluntas ergo generali modo dicitur libera quatenus spontanea est, & non coacta; voluntatis autem arbitrium non dicitur, nisi quatenus potest ad vtrumlibet. Responsionis summa est. S. Thomam libertatem à libero arbitrio distinguere: libertatis nomine, libentiam, vt ita dicam, intelligit, seu id, quod libet, id est, quod sponte fit, non coactè: atque ita libertati solam coactionem opponit, quia sola coactio voluntarium, seu libentiam tollit. Hoc modo, etiam quæ necessariò fiunt, possunt liberè fieri, id est, libenter. Sic Deus liberè amat seipsum, id est, libenter, non coactè. At liberi arbitrij nomine, eam solam potentiam comprehendit, quæ se habet ad opposita, & quæ potest velle, & non velle. Hinc primâ parte, quæst. 19. art. 10. in corpore, negat libero arbitrio fieri, quod necessariò fit. *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit; alia verò non ex necessitate, vt suprà ostensum est; respectu eorum, quæ non necessariò vult, liberum habet arbitrium.*

Vnde sic disputo: Ex loco quem opponunt Aduersarij: *Voluntas liberè appetit felicitatem, licèt necessariò appetat illam: & Deus suâ voluntate liberè amat seipsum.* Aliunde ex Summa, primâ parte quæst. 19. art. 10. *Liberum arbitrium habemus tantùm respectu eorum, quæ non necessariò volumus: adeóque non pertinet ad liberum arbitrium, quòd volumus esse felices. Nec Deus habet liberum arbitrium respectu eorum, quæ necessariò vult.* Ergo ex mente S. Thomæ diuersa sunt liberè velle, & libero arbitrio velle: libera voluntas, & liberum arbitrium. Quam

mentem suam ita exponit, quæst. 24. de veritate art. 1. ad 20. vt omnem scrupulum eximat. Ait enim nos habere liberam voluntatem respectu finis vltimi, *quia necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnat, secundùm August. 5. de Ciuit.* Negat autem nos habere liberum arbitrium respectu eiusdem finis vltimi, *quia non cadit sub electionem.* Ecce tibi distinguit S. Thomas liberam voluntatem à libero arbitrio: primum concedit stare posse cum necessitate naturalis inclinationis; secundum negat.

Confirmatur ex eo, quòd S. Thomas nusquam asserat necessitatem naturalis inclinationis non pugnare cum libertate arbitrij, aut electionis; sed tantùm cum libertate voluntatis. Ita quæst. 22. de veritate art. 5. ad 1. *Auctoritas illa est intelligenda, de necessitate coactionis quæ repugnat voluntati: non autem de necessitate naturalis inclinationis, quæ secundùm Augustin. in 5. de Ciuit. voluntati non repugnat.* Ibid ad 3. *Libertas secundùm Augustinum opponitur necessitati coactionis: non autem naturalis inclinationis.* Quæst. 23. de veritate art. 4. *Voluntas Diuina necessitatem habet, non quidem coactionis, sed naturalis ordinis, quæ libertati non repugnat, secundùm Augustinum.* Semper loquitur de libertate, seu libentia voluntatis, quando cum illa necessitatem conciliat: nunquam de libero arbitrio.

Instabis, S. Thomam electionem cum necessitate coniungere in 2. dist. 25. art. 1. ad 4. *Dico*, inquit, *quòd quædam ordinata sunt ad finem vltimum beatitudinis, quæ ipsi fini coniungunt, vt videre, amare, & huiusmodi: & respectu horum, erit* (in Beatis) *sempiterna & libera electio.* Respondeo, ex hoc loco effici non posse amorem beatificum esse formaliter liberum, & propriè dictam electionem, quin idem (quod tamen Aduersarius ipse ineptum esse fatebitur) de visione beatifica adstruatur. Nam illa duo, *videre*, & *amare*, S. Doctor coniungit, aitque respectu illorum futuram in

Beatis sempiternam & liberam electionem. Quapropter quemadmodum nemo affirmauerit S. Thomam hoc loco velle, visionem beatificam esse formaliter liberam electionem, aut ex aliqua libera electione antecedenti proficisci; ita nec asserere potest, eundem pugnare, amorem beatificum esse liberam electionem formaliter, aut ab aliqua libera electione antecedenti oriri. S. Doctoris mentem vt assequaris, obserua, agere illum eo loci de Diuina libertate, quam hac ratione probat: *Ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, vel non facere possit: & hoc Deo conuenit; bona enim quæ facit, potest non facere.* Eadem ratio non tantùm Angelis, per gratiam in bono confirmatis; sed etiam creaturæ quæ naturaliter Deo adhæreret, liberum arbitrium vindicat. Quia, vt ait quæst. 24. de veritate art. 1. ad 16. *Si aliqua creatura immobiliter adhæreret Deo, non propter hoc priuatur libero arbitrio: quia potest adhærendo multa facere, vel non facere.* Quo sensu liberam Beatis electionem tribuit in 2. dist. 7. art. 1. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd rationalis potestas dicitur esse oppositorum, quæ sub electionem cadunt: quorum proprium est liberum arbitrium.* Deinde; *Apud Angelos, qui ipso fine perficiuntur, impossibile est esse voluntates alicuius eorum, quæ à fine deordinantur, cuiusmodi est voluntas peccati. Sed tamen possunt velle hoc, vel illud, quorum neutrum à fine deordinat.* Est igitur in Beatis aliqua electio, non respectu ipsius finis, sed respectu eorum, quæ à fine non auertunt.

At hîc tamen emergit difficultas alia, quam ita proponit loco ab Aduersariis citato: *Electio est eorum, quæ sunt ad finem: sed veniente fine cessant ea, quæ sunt ad finem: Cùm ergo Beati fini vltimo coniuncti sint, videtur quòd ad eos non pertinet electio, & per consequens nec liberum arbitrium.* Respondet ad 4. *Dicendum, quòd illud quod est ad finem est duplex: quoddam enim est distans à fine, & quoddam est coniunctum fini.* Inter ea, quæ distant à fine, numerat fidem, & spem: quarum altera ad

intellectum, altera ad voluntatem pertinet. Quare cùm veniente fine, cessent ea, quæ ita sunt ad finem, vt ab eo distent; nihil Beati credendum, nihil sperandum eligere poterunt. Sed omnis eorum electio circa ea versabitur, quæ ita ordinantur ad finem, vt ab eo non distent, cuiusmodi sunt *videre* & *amare*. Nam multa sunt, quę liberè in Deo vident, & amant. Neque enim hîc agitur de visione beatifica, & amore beatifico. Quia ne ipsi quidem Aduersarij dicere audent, circa visionem beatificam futuram in Beatis liberam electionem, nisi fortè per actum reflexum, qui formaliter in Beatis liber est libertatę exercitij.

Quamobrem licèt Aduersariis concederem, quod ipsi euincere non possunt, S. Thomam agere de visione beatifica, & amore beatifico, nihil tamen essent consequuti. Nam continuò pugnarem loqui illum de electione reflexa; siquidem alia circa visionem beatificam, omnem prorsus in Beatis actum voluntatis antecedentem, ne ex Aduersariorum quidem opinione, electio esse potest. Verùm vt intelligas quî fieri possit, vt circa ipsam visionem beatificam libera electio versetur, animaduerte duplicem esse electionem liberam. Prima, strictè, & propriè dicta: éstque medij libera volitio ea, vi cuius medium ipsum ponitur, cùm posset absolutè non poni. Secunda, latè sumpta, ac minus propriè: & est libera volitio medij, quòd absolutâ necessitate, non autem vi eiusmodi voluntatis ponitur. Qualis videri potest illa, quâ quis, verbi gratiâ, morbum, quem necessariò pateretur, nec posset excutere, sed qui tamen esset medium aptissimum, immo necessarium ad animi salutem procurandam, liberâ voluntate vellet, cùm posset non ita velle. Hæc enim libera talis medij volitio, quædam vtcunque electio est, quia est libera volitio medij. Iam igitur ad argumentum dico, primum electionis genus, quoad visionem & amorem beatificum nec fuisse concessum Bea-

tis à sancto Thoma; neque verò potuisse concedi. Neque enim, opinor, vi electionis illius, quæ iis inesse dicitur, necessarios videndi, atque amandi actus eliciunt ita, vt possint absolutè non elicere: non igitur iisdem tribuitur electio visionis & amoris alia, quàm libera eorumdem actuum volitio: quatenus nimirum, visionem illam, & amorem, quibus necessariò Deo coniunguntur, voluntatis actu distincto, & reflexo, liberè volunt, cùm ab eo absolutè possent abstinere, quia voluntas illa non est necessaria necessitate exercitij, sed tantùm necessitate specificationis. Nam si eiusmodi voluntas esset necessaria necessitate exercitij, ergo ipsam Beatus, vtpote quæ connexionem haberet necessariam cum vltimo fine, necessariò vellet actu, & quidem actu nouo atque distincto: in quem rursus actum, quia peræquè necessarius esset, nouâ, necessariáque voluntate ferretur, processu in infinitum vitiosissimo.

PARAGRAPHVS II.

Explicantur S. Thomæ loci, in quibus libero arbitrio solam coactionem opponere videtur.

OBIICIVNT Caluinistæ apud eundem Guillelmum Estium, aliquot S. Doctoris testimonia, in quibus natiuam arbitrij libertatem eam esse docet, quæ coactionem excludit. Sic 1. parte, quæst. 83. art. 2. ad 3. ait: *hominem peccando liberum arbitrium perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem, quæ est à coactione, sed quantum ad libertatem, quæ est à culpa & miseria.* Quem locum aliósque à Caluinistis dudum obiectos acriùs vrget nouæ instaurator opinionis; atque identidem inculcat, quod S. Doctor habet in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 4. *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quòd cogi non potest.*

Sed dudum est quòd hæc tela in Caluinistarum manibus Doctores Catholici infregerunt. Respondet Guillelmus Estius, S. Thomam his in locis *posuisse coactionem pro necessitate*. Addit Pennottus libro 1. cap. 17. *Ante exortum errorem recentiorum dicentium, solam indifferentiam à coactione, & violentia sufficere ad constituendam veram libertatem*, Theologos necessitatem à coactione accuratè non distinxisse. *Verùm superuenientibus* NOVIS HÆRETICIS, *qui concessâ humanæ voluntati indifferentiâ, seu immunitâte à necessitate coactionis, nihilominus ipsam voluntatem subiiciunt necessitati naturalis inclinationis, & determinationis ad vnum, opus fuit hoc duplex genus necessitatis pressiùs distinguere. Nullúsque deinceps fuit inter Catholicos Doctores, qui admiserit solam indifferentiam à coactione sufficere ad veram libertatis rationem constituendam.*

Sed quandoquidem de S. Thomæ opinione digladiamur, age, locum illum consulamus ex 2. dist. 25. q. 1. art. 4. quo præcipuè noua secta gloriatur. *Liberum arbitrium*, inquit, *dicitur ex eo, quòd cogi non potest.* Quid porrò coactionis nomine intelligat continuò exponit in hæc verba: *Coactio autem, vt priùs dictum est, est duplex. vna compellens, & alia inducens, vel impellens. Hoc autem est naturale, & essentiale libero arbitrio, vt sufficienter non cogatur coactione compellente, & hoc sequitur ipsum in quolibet statu.* Coactio igitur illa, quam naturaliter & essentialiter liberum arbitrium excludit, est coactio sufficiens, seu compellens. De qua articulo 2. ita constituerat: *Dicendum quòd est duplex coactio, quædam sufficiens, quæ compulsio vocatur: quædam verò insufficiens, quæ vocatur impulsio. Sciendum est igitur quòd in partibus animæ quædam sunt, quæ compelli possunt: sed dupliciter. Quædam enim compelluntur ex subiecto, sicut illæ vires, quæ sunt organis affixæ: cùm enim sine organis operationes haberi non possint, compulsis organis, ipsæ virtutes prohibentur, vel compelluntur earum actibus violenter ex-*

tertis. Quædam verò sunt, quæ quidem subiecto non compelluntur, quia organis affixa non sunt, compelluntur tamen obiecto, sicut intellectus &c. qui demonstrationis vi cogitur. Voluntas autem neque subiecto cogi potest, cùm non sit organo affixa, neque obiecto: quantumcunque enim aliquid ostendatur esse bonum, in potestate eius remanet, eligere illud, vel non eligere. En cur voluntas, vt voluntas, non cogatur; *quia potest eligere, vel non eligere.* Hoc autem ipsum quid aliud est, quàm ad vnum non determinari? Vnde paulò pòst non obscurè significat voluntatem vt natura est cogi. Hanc enim rationem reddit, cur intellectus cogatur, voluntas non item; *Ratio est, quia obiectum intellectûs est verum: obiectum autem voluntatis est bonum. Inuenitur autem aliquod verum, in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, vt patet in dignitatibus: vnde intellectus non potest subterfugere quin illis assentiatur.* Et ideo ab iis cogitur. *Similiter etiam si proponatur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habeat, vt vltimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle.* Adeóque & ab illo patitur compulsionem sufficientem. *In his autem quæ ad finem vltimum ordinantur, nihil inuenitur adeò malum, quin aliquod bonum admixtum habeat: nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat, vnde quantumcunque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhærere, & fugere in contrarium.* Sícque ab obiecto non cogitur compulsione sufficienti. *Et inde est quòd in omnibus quæ sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit.* Ac proinde in hoc solo sufficientem compulsionem passa. Ex quibus meridiana luce clarius est, coactionem illam sufficientem, quam S. Doctor libero arbitrio inimicam esse ait, aliud nihil esse, quàm determinationem, quæ voluntati potestatem ad vtrumlibet eripit.

Alia est apud S. Doctorem coactionis notio, quæ

cùm violentiam hominis inclinationi contrariam importet, voluntati inferri non poteſt. De qua loquitur quæſt. 22. de veritate art. 5. ad 3. *Coactio*, inquit, *non eſt contraria intellectui ſecundùm ſuam rationem, ſicut & voluntati. Intellectus enim ſi habeat inclinationem in aliquid, non nominat ipſam inclinationem hominis; ſed voluntas ipſam inclinationem hominis nominat. Vnde quidquid fit ſecundùm voluntatem, fit ſecundùm hominis inclinationem, & per hoc non poteſt eſſe violentum. Sed operatio intellectûs poteſt eſſe contra inclinationem hominis, quæ eſt voluntas, vt cùm alicui placet aliqua opinio, ſed propter efficaciam rationum deducitur ad aſſentiendum contrario per intellectum.* Verùm certum eſt non hanc eſſe coactionẽ illam, quam compulſionem ſufficientem vocat, & de qua ita ſtatuit in 2. diſt. 25. quæſtione 1. artic. 4. *Naturale & eſſentiale eſt libero arbitrio, vt ſufficienter non cogatur coactione compellente.* Probatur 1. quòd affirmet, intellectum pati hanc compulſionem ſufficientem reſpectu cuiuſcumque obiecti ita euidentis, *vt intellectus non poſsit ſubterfugere, quin illi aſſentiatur.* Coactionem verò aliam tunc tantùm illum pati, cùm aduersùs voluntatis inclinationem vi rationum alicui rei aſſentiri cogitur. Probatur ſecundò, quòd aſſerat voluntatem idcirco compulſione ſufficienti non cogi; quia *quantumcunque aliquid oſtendatur voluntati eſſe bonum, in poteſtate illius remanet eligere vel non eligere.* Violentam verò coactionem aliam idcirco voluntati repugnare ait; quia cùm ſit ipſa hominis inclinatio, quidquid vult, ſecundùm hominis inclinationem eſſe oportet. Probatur 3. quòd affirmet omnem potentiam, quæ naturali appetitu in obiectum fertur, cogi ab illo compulſione ſufficienti; adeóque ipſam voluntatem, quatenus natura quædam eſt, compulſionem ab obiecto ſufficienter pati; quod profectò falſum eſt de coactione illa violenta, quæ hominis inclinationi aduerſatur. *Omnes aliæ vires animæ*, inquit in 3. diſt. 27. q. 1. a. 2. *cogun-*

tur à suis obiectis præter voluntatem; quia omnes aliæ habent appetitum naturalem tantùm respectu sui obiecti. Voluntas autem habet, præter inclinationem naturalem, aliam cuius est ipse volens causa. Ergo respectu inclinationis naturalis voluntas ab obiecto cogitur, compulsione nimirum sufficienti, quam in 2. dist. 25. q. 1. art. 4. *determinationem*, & necessitatem appellat.

Satis illud ipsum innuit, dum ait ad 5. *Virtutem coactiuam sufficienter super libero arbitrio non habere corpora cælestia;* quia *homo sapiens dominatur astris, & per sapientiam suam potest vitare ea, ad quæ astra disponunt.* Et quæst. 24. de veritate art. 12. ad 12. Scribit, *quòd cupiditas non potest intelligi esse cogens absolutè liberum arbitrium*, quia *potest illi resisti, licèt cum difficultate.* Quapropter in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 4. *Si consideretur*, inquit, *libertas secundùm quòd remouetur perfecta coactio*, SIC ERIT LIBERTAS A COACTIONE ET NECESSITATE, *quæ quidem per se, & semper liberum arbitrium sequitur.* Et ad 5. libertatem, quæ coactionem seu compulsionem excludit, vocat *libertatem necessitatis.* Item ad 1. *Libertas*, inquit, *à necessitate omnibus statibus communis est.*

Hæc certè omnia inuictè probant Guillelmum Estium, aliósque Doctores Catholicos ex sancti Thomæ mente ea loca explicasse, quibus Caluinistæ perperam abutebantur, vt solâ coactione liberum arbitrium deleri confirmarent. Instant nihilominus Aduersarij, aiúntque S. Thomam hac in parte Magistri opinionem sequi, quem certum est non aliam à libero arbitrio necessitatem repellere, quàm quæ coactio appellatur. Verùm testantur Guillelmus Estius, Pennottus, Scribonius alíque ferè omnes, qui aduersùs Caluinum Catholicam de libertate opinionem propugnarunt, nefandum Hæresiarcham hanc primùm Magistro sententiarum notam inussisse. Eius verba sunt libro 2. Institut. cap. 6. §. 6. *Pronuntiat tandem Lombardus, non li-*

beri arbitrij non esse, quòd ad bonum & malum, vel agendum vel cogitandum peræquè polleamus: sed dumtaxat quòd à coactione soluti sumus. Respondent Doctores Catholici calumniari illum insigniter, & *nihil præter consuetudinem agere mendacio assuetum.* Scribonij verba sunt disputatione de libero arbitrio quæst. 2. Porrò de Magistri sententia satis constare, cùm in 2. dist. 25. littera A ita pronuntiet: *Potestas ipsa, quam suprà diximus esse liberum arbitrium, libera est ad vtrumlibet; quia liberè potest moueri ad hoc, vel ad illud.* Et littera B ait, liberum arbitrium indeterminatum ad vtrumlibet esse debere: ac proinde cùm subdit liberum arbitrium opponi coactioni, coactionem pro necessitate ad vnum aliquid voluntatem alligante vsurpare. *Quæ quidem acceptio,* inquit Estius, *non est omnino aliena à communi vsu loquendi.*

PARAGRAPHVS III.

Exponuntur S. Thomæ testimonia, in quibus videtur solam à coactione libertatem ad meritum requirere.

NIHIL æquè Caluini opinionem subleuare videtur, quàm quod eius fautores ex S. Thoma opponunt apud Didacum Ruiz Tomo de Scientia Dei disputat. 45. sect. 4. S. Doctoris verba sunt in 3. distinct. 18. quæst. 1. art. 2. ad 5. *Liberum arbitrium Christi Domini, si esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis siue meriti; quia in illud non coactè sed sponte tendit; & ita est actus sui dominus.* Eundem locum importunè nobis occinunt nouæ opinionis architecti, atque inde pugnant, *Opus esse laude, vel vituperio dignum: meritorium, vel demeritorium, ex*

Libro 6: de grat. Christi cap. 24.

hoc, quòd est voluntarium, spontaneum, non coactum, tametsi sit determinatum ad vnum. Sed aduersùs hanc opinionem

Oppono 1. pugnare illam cum noui Doctoris principiis. Docet enim satis non esse ad vituperium, aut demeritum, vt quis sponte agat, sed requiri insuper aliquam libertatem ad vtrumlibet, quam ex Adamo in nostra deriuare peccata conatur. Hinc contendit peccandi necessitatem, quæ esset à natura insita peccatum excusaturam.

Oppono 2. pugnare eandem cum SS. Patribus, qui aduersùs Manichæos constanter docent, hominem laudis nihil, aut meriti habiturum, si sponte quidem, at naturali inclinatione bene ageret. Quod argumentum præcipuè vrgent S. Augustinus, Tertullianus, Clemens Romanus, & alij quos appellaui libro 2. cap. 3. sectione 2. paragrapho 1. Ex quibus ibidem demonstraui satis non esse ad meritum libertatem à coactione. Et sanè si ex Aduersarij opinione voluntas Christi, etiamsi ex vnione hypostatica ad aliquem virtutis actum eliciendum esset determinata, mereri tamen in illo actu potest, quia sponte, non coactè eum elicit; bona quoque anima in Manichæorum opinione, etiamsi naturali inclinatione bonum amaret, mereri tamen posset, quia sponte non coactè illud amaret. Quod tamen S. Augustinus, aliique Patres, vt ineptum, & à veritate, ac communi hominum sensu alienissimum reiiciunt.

Oppono 3. communem Scholasticorum consensum. Quos inter Nicolaus Ysambertus ita scribit Tractatu de Incarnatione disp. 2. de libertate Christi, art. 2. *Libertas humanæ voluntatis Christi Domini non est tantùm libertas à coactione, sed etiam à necessitate. Hæc propositio ita est certa, vt S. Thomas in quæstionibus disputatis quæst. 6. de malo, art. 1. dicat opinionem contrariam nostræ propositioni esse Hæreticam.* Eadem tradunt Alexander Pesan-

tius in 3. quæst. 18. disp. 2. & Petrus de Cabrera ibidem.

Oppono 4. plures S. Thomæ locos, in quibus constanter docet, Christum eatenus tantùm mereri potuisse, quatenus erat liber ad vtrumlibet. Sic quæstione 29. de veritate art. 6. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd licèt anima Christi esset determinata ad vnum secundùm genus moris; scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad vnum simpliciter: poterat enim hoc, vel illud facere, & non facere:* ET IDEO LIBERTAS IN EO REMANEBAT, QVÆ REQVIRITVR AD MERITVM. Et 3. parte quæst. 18. art. 4. ad 3. *Dicendum quòd voluntas Christi licèt sit determinata ad bonum: non tamen est determinata ad hoc, vel ad illud bonum: & ideo pertinet ad Christum eligere per arbitrium confirmatum in bono.* Quatenus nimirum ex pluribus bonis hoc vel illud eligere potest. Eo quoque loco, quem obiiciunt Aduersarij, cùm ita opponeretur: *Naturalibus non meremur propter hoc quòd sunt determinata ad vnum: sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum; Ergo ipse per liberum arbitrium mereri non potuit.* Respondet ad 5. *Dicendum, quòd liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad vnum secundùm numerum: sed ad vnum secundùm genus; scilicet ad bonum, quia in malum non potest.*

Instabis nihilominus. Quid ergo S. Doctor aliam continuò responsionem subtexit in hæc verba: *Vel dicendum quòd si etiam esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen* &c. Quibus verbis 1. admittit determinationem ad vnum numero, quam in priori responsione negauerat. 2. ait hanc determinationem nihil officere libertati aut merito. 3. rationem subiicit inde petitam, quòd hæc determinatio non impediat quò minùs sponte agat, & non coactè. Respondent nonnulli Catholici scriptores, atque hæc mens esse videtur Pesantij, & Cabreræ, S. Doctorem ex aliorum opinione postremam hanc solu-

ſolutionem adieciſſe; atque indicaſſe ſatis minùs ſibi probari, cùm in Quæſtionibus diſputatis & Summa, in quibus eandem aduersùs liberum Chriſti arbitrium obiectionem ſoluit accuratè, ne eius quidem mentionem fecit; verùm commodior alia, & ad S. Doctoris mentem magis accommodata adhiberi ſolutio poteſt. Quam vt intelligas, reuoca in memoriam, quæ ex quæſt. 22. de veritate art. 6. ſuperiùs recitaui. *Cùm voluntas*, inquit, *dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet; libertas voluntatis in tribus conſiderabitur: ſcilicet quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle; & quãtum ad obiectum, in quantum poteſt velle hoc, vel illud, & eius oppoſitum; & quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum, vel malum*. Libertas ad meritum requiſita non excludit determinationem ad bonum, vel ad obiectum. Imò & ſtare poteſt cum determinatione ad vnum numero obiectum; quia ſola indifferentia exercitij, quâ poſſet actum circa obiectum illud exerere, vel ſuſpendere; ad propriam libertatis rationem pertinet.

Hoc vnum S. Thomas ſpectat loco ab Aduerſariis citato. Nam in prima quidem reſponſione ait, Chriſto conuenire libertatem ad meritum neceſſariam; quia licèt determinatus ſit ad bonum in genere, libertatem nihilominus habet circa varia ſpecie & numero bona. *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad vnum ſecundùm numerum; ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum*. Eandem ſolutionem clarioribus verbis concepit 3. parte quæſt. 18. art. 3. ad 4. *Dicendum quòd voluntas Chriſt., licèt ſit determinata ad bonum: non tamen eſt determinata ad hoc, vel ad illud bonum; & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per arbitrium confirmatum in bono*. At in 2. ſolutione docet Chriſtum, etiamſi determinatus eſſet ad hoc numero bonum, non tamen amiſſurum rationem laudis ac meriti; Quid ita? Quia adhuc, inquit, *eſt actus ſui dominus*. Actus dominum dicit, non obiecti; quia ad vnum obiectum numero determina-

tum supponit, non ad actum. Porrò dominium illud in actum excludit determinationem ad agendum, aut non agendum, iuxta illud ex libro 1. contra gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum.* At non excludit determinationem ad vnum obiectum; quia illa stante potest adhuc agere, vel non agere; & ex illis contradictoriis duobus alterutrum eligere. Sicque perfecta dominii ratio conseruatur, de qua S. Thomas ita loquitur 1. parte quæst. 82. artic. 1. ad 3. *Dicendum quòd sumus domini nostrorum actuum, secundùm quòd possumus hoc, vel illud eligere.*

Neque huic interpretationi aliquid nocent hæc S. Doctoris verba: *Quia in illud non coactè, sed sponte tendit; & ita est actus sui dominus.* Nam illud *non coactè, sed sponte*, agendi necessitatem excludit, ut certissimè colligitur ex libro 1. contra gentes cap. 88. vbi libertatem Deo conuenire sic probat. *Liberum arbitrium dicitur respectu eorum, quæ non necessitate quis vult, sed propria sponte. Vnde in nobis liberum arbitrium est respectu eius quòd volumus currere, vel ambulare. Deus autem alia à se non ex necessitate vult, vt suprà ostensum est; Deo igitur liberum arbitrium habere competit.* Nimirum, respectu aliorum à se; quæ idcirco propria sponte velle dicitur; quia *non ex necessitate vult.* Eandem de Diuina libertate argumentationem ita expressit 1. parte quæst. 19. art. 10. *Dicendum quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum* &c. *Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate, vt suprà ostensum est, respectu illorum, quæ non necessitate vult, liberum habet arbitrium.* Ex quibus ita licet argumentum concinnare: Ex S. Thoma: *Liberum arbitrium dicitur respectu eorum, quæ propria sponte quis*

vult. Atqui ex eodem *non pertinet ad liberum arbitrium quòd volumus esse felices*; neque quòd *Deus suam bonitatem velit*; Ergo ex S. Thoma nec propria sponte volumus esse felices : nec Deus propria sponte suam bonitatem vult. Quia nimirum illud tantùm propria sponte fieri dicit, quod necessariò non fit, seu quod absque sufficienti compulsione fit.

Aliena verò à SS. Patrum vsu non est hæc spontanei notio, vt Guillelmus Estius inuictè probat in 2. distinct. 24. §. 2. vbi Caluinistis ita obiicientibus: *Prosper scribens contra Collatorem cap.* 19. *liberum arbitrium definit, quòd sit rei sibi placitæ spontaneus appetitus. Ex qua definitione apparet ad liberi arbitrij rationem sufficere, quòd voluntas sponte, & non coactè aliquid appetat, siue id faciat necessariò, siue non* (Hoc Caluinistarum argumentum ex S. Prosperi auctoritate sumptum totidem ferè verbis Aduersarius descripsit libro 6. de gratia Christi cap. 13.) Respondet Estius : *Prosperum illud vocare spontaneum, quod ita agit, vt possit non agere; vt pote nec violentiâ, nec naturali necessitate constrictum, ac determinatum in alteram partem. Vnde paulò pòst etiam de primo homine dicit, quòd se sponte bono priuauerit; per hoc volens significare, ita illum peccasse, vt potuerit non peccare.* Valida est aduersùs Caluinistas hæc instantia, pugnant enim Adamum non modò absque coactione; sed etiam absque necessitate peccasse; ac proinde affirmare debent in hac Prosperi sententia. *Adam sponte bono se priuauit,* vocem illam, *sponte*, non coactionem tantùm; sed etiam simplicem necessitatem excludere.

Denique vt intelligas S. Thomam eò loci non velle, Christum hoc ipso præcisè esse dominum sui actus, quò absque violentia, seu coactione propriè dicta agit, expende quæ habet in corpore articuli. Ait requiri ad meritum, *vt agens sit dominus suæ actionis. Aliàs per actionem suam non dignificatur ad aliquid habendum, nec laudatur: & ideo ea, quæ agunt per necessitatem naturæ, vel*

etiam per violentiam non merentur. Negat eum, qui agit per necessitatem naturæ, esse dominum sui actus; Ergo non vult eum omnem, qui agit absque violentia esse dominum sui actus. Nemo enim magis à coactione propriè dictâ solutus est, quàm qui naturali inclinatione & necessitate agit. Quapropter bona anima in Manichæorum opinione, etsi naturali inclinatione, atque adeo absque vlla vi bonum amaret, mereri tamen non posset; quia *agens per necessitatem naturæ, non est domina sui actus.*

Hæc sunt quæ aduersùs communem de libertate opinionem ex S. Thoma Aduersarii obiiciunt, quæ profectò ne proponere quidem essent ausi, si illum legissent Guillelmi Estii locum, in quo eadem S. Doctoris testimonia, à Caluinistis contra Catholicos obiecta, clarissimè exponit.

CAPVT SECVNDVM.

Reliqui Theologi S. Thomæ posteriores vt communem de libertate opinionem tuentur, ita nouam interimunt.

QVI supersunt Theologi duas à nobis tribuentur in classes. Prima eos complectetur, quorum auctoritatem Caluinistæ sibi arrogarunt: secunda reliquos comprehendet, quos à Caluinistis prætermissos noui Dogmatis opifex quasi de suo adiecit.

SECTIO I.

Expenditur opinio Scholaſticorum, quos Caluiniſtæ ſuarum partium eſſe gloriantur.

ADVERSARIOS hac rurſus ſectione cum Guillelmo Eſtio, aliiſque Doctoribus Catholicis, qui contra Caluiniſtas præliati ſunt, committam. Neque id moleſtè ferre debent. Nam trita & peruagata Caluiniſtarum argumenta, non alia, quàm veteri Catholicorum reſponſione indigent. Addam tamen nonnulla, quibus eorum ſententia confirmetur ampliùs, & illuſtretur.

PARAGRAPHVS I.

S. Bonauentura.

SANCTISSIMVM hunc & eruditiſſimum Theologum in opinionis ſuæ patrocinium Caluiniſtæ aduocāt apud Guillelmum Eſtium in 2. diſt. 25. §. 2. atque ex eius ſcriptis ea ipſa teſtimonia producunt, quibus Aduerſarii aures noſtras continuò verberant. Hæc ſunt Eſtij hanc illorum obiectionem proponentis verba: *Bonauentura in 2. diſtinctione 25. ad textum dicit, libertatem eſſentialem liberi arbitrij, eſſe libertatem à coactione. Et ſimilia repetit ad eandem diſtinct. art. 2. quæſt. 1. Si, inquit, loquamur de libero arbitrio ſecundùm quod liberum eſt, ſic concedo quòd poteſt eſſe non ſolùm reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarij; ſicut patet in Deo, & in Chriſto, & in Angelis, & in hominibus beatis. Cùm enim duplex ſit neceſſitas, videlicet coactionis & immutabilitatis; neceſſitas coactionis repugnat libertati arbitrij, non autem neceſſitas immutabilitatis* &c. *Et infrà: Actus liberi arbitrij*

vt liberum est, non solùm potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius in se est. Hæc ibi & alia quædam in eandem sententiam.

Fatebuntur nouæ opinionis vindices, hæc ipsa S. Bonauenturæ testimonia, à suo Doctore nobis opponi. Audiant ergo quid Caluinistis ea obiicientibus Guillelmus Estius responderit. *Ad nonum*, inquit, *Bonauentura docet quæst. 2. liberum arbitrium dupliciter posse considerari; vel vt liberum, vel vt deliberans. Et quidem quatenus liberum est, dicit esse posse respectu voluntarij, sicut patet in Deo, & Beatis; quia licèt in illis habeat necessitatem immutabilitatis, non tamen coactionis. Quatenus autem deliberans, non est, inquit, nisi de contingenti; quia nemo deliberat de necessario, & impossibili. Ex qua distinctione satis apparet, quo sensu dixerit liberum arbitrium, quatenus liberum est, respicere etiam necessaria, & habere posse actum necessarium. Nam illud, quatenus liberum, non aliud est, quàm quatenus voluntarium, & non coactum. Itaque perinde est atque si dicatur, voluntatem quatenus libera est à coactione, versari circa actiones etiam necessarias. Illud verò quatenus deliberans, id est, vt ipse exponit, quatenus consilians vtrum eligat hoc an illud, intelligitur de libertate, quæ propria est libero arbitrio, vt talis.* Hæc responsio, quam ex ipsius Bonauenturæ verbis Guillelmus Estius contexuit, manifestè ostendit quàm perperam & immeritò in tanti Doctoris auctoritate nouum dogma latebram quærat.

Lib. 6. de grat. Christi cap. 26.

Quid hîc agent Aduersarii clarissimis S. Bonauenturæ verbis, & Guillelmi Estii (cui multum tribuunt) auctoritate oppressi? Hunc si forte eiurent, Gabrielem illis adhuc opponam antiquiorem Theologum, atque ex iis vltimum, quos suæ patrocinari sententiæ iactant. Eodem planè modo Bonauenturæ sententiam, quo Estius, interpretatur. *Theologi*, inquit in 2. distinct. 25. quæst. vnica, *variè loquuntur de libertate. Quandoque enim accipiunt libertatem largissimè, vt*

distinguitur contra coactionem: ita quòd potentia dicitur producere liberè id, quod non producit coactè, hoc est, contra suum velle. Et sic non distinguitur contra principium necessarium necessitate immutabilitatis. de hoc suprà distinct. 7. per longum. De hoc loquitur S. Bonauentura quæst. 8. huius distinctionis dicens: Cùm duplex sit necessitas, coactionis & immutabilitatis. necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, necessitas verò immutabilitatis non &c. *Illo ergo modo idem est liberum, & voluntarium: & liberè producitur, quidquid producitur mediante voluntate. Sic, si voluntas creata produceret aliquem actum necessariò, sicut velle respectu finis secundùm quosdam, illum actum produceret liberè, non contingenter, sed voluntariè.* Tum subdit non hanc esse libertatem, quæ ad meritum, aut demeritum requiritur. *Libertas*, inquit, *accipitur etiam concorditer cum Philosophis, prout opponitur necessitati, non tantùm coactionis; sed etiam immutabilitatis. Hæc dicitur libertas contingentiæ. Sic accipitur, quando est principium meriti, & demeriti. Nam per hæc, quæ vitare non possumus, nec meremur, nec demeremur.* Si Gabriel à me conductus foret, vt quæ ex Bonauentura nouæ opinionis fautores nobis intentant, deprauari ab illis, atque alienum detorqueri in sensum demonstraret, non aliter loqueretur.

Pridem ergo fracta sunt illa argumenta, quæ ex Bonauenturæ auctoritate Aduersarius repetit, & illorum manibus fracta sunt, quorum auctoritatem, si constare sibi velit, abdicare non potest. Placet hîc tamen auctarij loco pauca delibare ex S. Bonauenturæ operibus, quibus constet liberum arbitrium propriè dictum ex eius sententia simplici necessitate pessumdari. Docet itaque 1. libro 1. distinct. 38. quæst. 1. præscientiam Dei nullam humanæ voluntati imponere necessitatem. Hæc illius verba sunt, ex quibus validum potest argumentum sumi: *Quidam dixerunt, quòd præscientia necessariò, cùm sit infallibilis, imponit necessitatem, & ideo abstulerunt liberum arbitrium.* Ait opinio-

nem illam, quæ ſimplicem ex Diuina præſcientia in voluntates noſtras neceſſitatem deriuat, liberum arbitrium interimere; Ergo exiſtimat libertatem illam, quæ liberi arbitrii propria eſt, ſimplici neceſſitate deleri. Quam ex Diuina præſcientia in humanas voluntates non refundi, ſic probat: *Diuina præſcientia eſt, & tamen non imponit rebus neceſsitatem. Omnia enim ſic præcognoſcit euentura, ſicut euentura ſunt: & ideo cùm multa ſint euentura contingenter, vt illa quæ ſunt à libero arbitrio, & à caſu, & fortuna, ſicut præſcit hæc eſſe futura ab iſtis, ſic præſcit modum contingentiæ ſecundùm quem ſunt ab iſtis.* Vnde hoc argumentum peto: Neceſſitas illa, quam S. Bonauentura his verbis ex Diuina præſcientia fluere negat, libero arbitrio ex eius opinione capitaliter eſt infenſa: Atqui illa neceſſitas, quam Bonauentura his verbis ex Diuina præſcientia fluere negat, eſt neceſſitas ſimplex: ea nimirum, quæ non minùs fortuitarum rerum contingentiæ, quàm libertati repugnat; Ergo neceſſitas ſimplex ex S. Bonauenturæ opinione libero arbitrio capitaliter eſt infenſa. Simillima ſunt quæ de prædeſtinatione tradit diſtinctione 40. eiuſdem libri quæſt. 1. vbi probat, prædeſtinationem liberum arbitrium idcirco non lædere, quia nullam illi neceſſitatem imponit.

Docet 2. peccatum idcirco eſſe liberum, quia vitari poteſt; nec illud peccatum fore, ſi vitari non poſſet. *Nemo*, inquit in 2. diſt. 41. q. 1. *etiam venialiter peccat in eo, quod nullo modo poteſt prohibere, nec etiam potuit præcauere.* Vnde ad illud Auguſtini: *Quædam neceſſitate facta ſunt improbanda.* Reſpondet: *Dicendum quòd Auguſtinus loquitur de neceſsitate venialium, non quantum ad hoc veniale, vel illud determinatè, ſed generaliter quantum ad peccata venialia.* Quia *nihil impedit, quòd ſit neceſsitas quædam in vniuerſali, & voluntas quodammodo in particulari: ideo auctoritas illa non obuiat his, quæ dicta ſunt.* Vides Bonauenturam vel ad peccatum veniale requirere

rere libertatem exercitij, quâ remotâ vllum fore peccatum negat: *Ex hoc patet*, inquit, *quòd si venialia rationem culpæ habent, hoc est, quia à voluntate in particulari, & diuisim vitari, & præcaueri possunt.* Quo fingi nihil potest nouæ opinioni magis aduersum: nisi fortè quod in eandem rem addit distinct. 28. quæst. 2. vbi docet nulli deesse homini gratiam, quâ peccatum vitare possit. *Hoc fuit*, inquit, *quod decepit Pelagium, quòd* LIBERVM ARBITRIVM NVNQVAM DESTITVITVR OMNI GRATIA GRATIS DATA: *Et ipse posse gratiæ attribuit ipsi naturæ; superbiâ enim excæcatus nesciuit distinguere inter dona naturalia, & gratuita.* Nempe Pelagius naturæ tribuebat, quòd possemus tentationi cuilibet resistere, & vitare quodlibet peccatum; cùm id gratiæ, *quâ nunquam destituitur liberum arbitrium* esset adscribendum. Quò pertinent quæ paulò inferiùs addit: *Si quæratur vlteriùs vtrum* (liberum arbitrium) *possit resistere, vel non, dicendum est, quòd de aliqua tentatione per se non potest. Si tamen consentiat, non est à culpa immune, propter hoc quòd* ADIVTORIVM GRATIÆ SIBI PRÆSTO EST.

Docet 3. Christum etsi peccandi libertate caruerit, veram nihilominus libertatem in exercitij indifferentia positam habuisse. Hæc eius verba libro 3. dist. 12. q. 1. *Sic decebat hominem in vniuersitate constitui, vt in prima constitutione haberet vertibilitatem arbitrij* (id est flexibilitatem ad bonum & malum) *secundùm legem communem. Sed Christus habuit aliquid supra hominem: ideo decuit, quòd sibi fieret aliquod speciale priuilegium, vt esset in eo liberalitas obsequij, sine vertibilitate arbitrij: sicut & in Diuina voluntate videmus, quòd liberaliter nobis bona impendit, & facit: nullam tamen in eo est ponere vertibilitatem.* Ait Christum eodem modo, *liberaliter*, obsecutum esse Deo, quo Deus nobis liberaliter bona impendit: At certum est Deum ad bonum nobis impendendum nulla necessitate determinari, cùm po-

tuerit homines non creare; Ergo censet voluntatem Christi licèt in bono esset confirmata libertatem exercitij habuisse. Eodem reuocatur quod habet libro 2. distinct. 7. q. 1. *Obiicitur quod rationales potestates sunt ad opposita. Dicendum, quòd verum est. Sed non ad omnia opposita; sed ad aliqua, vt pote ad aliquid facere, & non facere: ad incidere tunicam, & non incidere, vt dicit ipse Philosophus, & hoc modo liberum arbitrium confirmatum, ad opposita potest esse; & ideo rationalis potestas est sicut & antè. Quod ergo obiicitur, non est in malum & bonum; ergo non est ad opposita; manifestum est quòd ista ratio est peccans secundùm consequens.* Putat ergo liberum Christi arbitrium, etsi potestatem non habeat ad hæc opposita, *bonum, & malum;* habere tamen ad illa duo, *facere, & non facere.* Circa quæ natiua liberi arbitrij vis ac potestas versatur.

Pluribus S. Bonauenturæ testimoniis congerendis supersedeo, sufficiunt ista ad eius mentem enucleandam, & Guillelmi Estij confirmandam responsionem, quâ plures Seraphici Doctoris locos, quibus proteruè abutebantur Caluinistæ, ab eorum calumnia defendit.

PARAGRAPHVS II.

Ioannes Scotus, eiúsque discipuli.

GRAVISSIMVM opinioni suæ confirmandæ argumentum ex Scotistis Caluinistę repetunt apud Ioannem Puteanum Tomo 1. in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. *Pater & Filius*, inquiunt, *producunt necessariò Spiritum sanctum: & tamen certum est processionem istam nuncupari liberam à Scotistis. Ergo* &c. Respondet Puteanus Scotistarum opinionem Caluinistis nihil patrocinari. Quia, inquit, *liberum non sumunt in propria significatione, sed quatenus coincidit cum voluntario; ac proinde volunt Spiri-*

tum sanctum procedere à Patre & Filio liberè, id est sponte & non coactè.

Ne quis hîc tamen Scotistarum opinionem perperam à nobis exponi clamet, audi Petrum Aureolum Aquensem Cardinalem & Subtilis Doctoris non degenerem discipulum. Probat ille in 1. distinct. 1. capit. 5. art. 3. libertatem stare cum necessitate, atque adeo processionem Spiritus sancti, etsi necessaria sit, liberam nihilominus esse posse. At vt omnes intelligant, quo sensu libertatis nomen cùm ipse, tum alij Scotistæ vsurpent, quando ita pronunciant, addit: *Non est autem idem liberum, & dominatiuum actus, alioquin Pater & Filius non spirarent liberè, cùm non possint dominatiuè suspendere actum spirationis, nec etiam Deus liberè se amaret. Vnde ex hac deceptione oritur difficultas, quæ hodie habetur circa formalem rationem libertatis; quia putant homines quòd idem sit esse liberum, & habere dominium sui actus.* Aurea planè sunt isthæc Aureoli verba, & ad omnem huius loci difficultatem abstergendam accommodatissima. Fatetur ex Scotistarum opinione, nec Deum liberè amare se ipsum, nec Patrem ac Filium liberè Spiritum sanctum producere; si idem sit *esse liberum, & habere dominium sui actus.* Quid ergo ex Scotistarum sententia capere præsidij noua opinio potest; quæ cùm docet Deum liberè amare se ipsum, & Patrem ac Filium liberè Spiritum sanctum producere, liberum sumit pro dominio in actum?

Franciscus Mayronis Scotista non ignobilis simili distinctione huius quæstionis caliginem depellit. Distinguit in 1. distinct. 10. quæst. 1. difficultate 2. inter liberum, & liberum arbitrium. Liberum accipit pro voluntario, & spontaneo. Sed *liberum arbitrium*, inquit, *est præcisè circa illa, circa quæ voluntas potest aliter se habere, scilicet, circa contingentia.* Et post pauca: *Habere se ad opposita est conditio liberi arbitrij, vt addit supra libertatem.* Eadem repetit in 2. distinct. 25. Vnde Guil-

lelmus de Rubione acerrimus quoque Scoti propugnator in 2. distinct. 25 quæst. 1. art. 2. de libero Beatorum arbitrio ita statuit: *In Beatis est vsus liberi arbitrij, non respectu actus beatifici: qui non est in potestate ipsorum; sed respectu omnium aliorum in eorum potestate existentium, vt videlicet possint ab eis in esse poni, vel non poni.* Ex quibus ita disputo: Scotus eiúsque discipuli quando libertatem cum necessitate conciliant, non agunt de ea libertate, quæ liberi arbitrij propria est, quæque definitur, dominium & potestas in actum; Ergo nihil Aduersariis patrocinantur, qui nobiscum de hac postrema tantùm libertate confligunt. Vna hac responsione quidquid ex Doctore Subtili Aduersarius nobis opponit labefactatur.

Libro 6. de grat. Christi cap. 25.

De ea verò libertate, quæ liberi arbitrij propria est, & dominium seu potestas in actum definitur, clarissimè opinionem suam Scotus expressit in 1. dist. 38. *Voluntas*, inquit, *inquantum est actus primus libera est ad opposita.* Item: *Actus primus* (nempe voluntas) *consideratus in illo instanti, in quo est prior naturaliter actu secundo*, (nempe volitione) *ita ponit illum in esse tanquam effectum suum contingenter, quòd vt prior naturaliter posset æquè ponere aliud oppositum in esse.* Deinde: *Libertatem igitur voluntatis nostræ in quantum est ad oppositos actus, concomitatur potentia, tam ad opposita successiuè, quàm ad opposita pro eodem instanti: hoc est, quòd alterutrum possit ponere in esse, sine altero.* Quæ antè ex eo probauerat, quòd *voluntas in vno instanti causat velle, & non necessariò, ideo contingenter.* Et in 2. dist. 25. quæst. vnica plurimis validísque rationibus probat, voluntatem nostram ex se esse indifferentem ad opposita, ita vt ipsa ad vnum oppositorum contingenter se determinet, adeóque eo ipso instanti, quo vnum asciscit, repudiare illud possit, aliúdque eligere. Quæ omnia clariora sunt, quàm vt vlla possint Aduersariorum tergiuersatione eludi.

PARAGRAPHVS III.

Gabriel Biel.

DAVID Pareus Caluinisticæ in Germania factionis primipilus, agit more suo, id est, audacissimè imponit, cùm libro 3. de libero arbitrio cap. 4. Caluini de libertate sententiam Gabrielis auctoritate defendit. Vix est enim vllus inter Theologos, qui frequentiùs atque validiùs illam profliget. Nec Aduersarium tamen puduit, hunc quoque in opinionis suæ præsidium adlegere, & semilacerum, maléque intellectum ex eo testimonium producere, quem vbi huius Theologi sententiam clarissimis eius verbis exposuero, contra nouam opinionem militare demonstrabo. Libro. 6. de grat. Christi cap. 33.

De libero arbitrio fusissimè disputat Gabriel in 2. distinct. 25. Ac primò varias libertatis notiones ita distinguit. *Theologi*, inquit, *quandoque libertatem accipiunt largissimè, vt distinguitur contra coactionem: itaque potentia dicitur producere liberè id, quod non producit coactè: hoc est contra suum velle. Et sic non distinguitur contra principium necessarium necessitate immutabilitatis.* Tum: *Cùm duplex sit necessitas, coactionis, & immutabilitatis: necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, necessitas verò immutabilitatis, non.* Post pauca. *Illo ergo modo idem est liberum & voluntarium. Et liberè producitur quidquid producitur mediante voluntate. sic, si voluntas creata produceret aliquem actum necessariò, sicut velle respectu finis secundùm quosdam, illum actum produceret liberè non contingenter, sed voluntariè.* En opinor satis graphicè depictam Aduersarij libertatem, quam quidem maximè stricto & proprio sensu ita describendam esse contendit, non autem *largissimè*, contrà quàm Gabriel hîc loquitur.

Affert autem paulò pòst aliam libertatis rationem, quam Theologis æquè & Philosophis vsitatam esse af-

firmat. *Accipitur etiam concorditer cum Philosophis* libertas, *prout opponitur necessitati, non tantùm coactionis, sed etiam immutabilitatis.* Hanc autem sic paulò antè cum Philosophis definierat, *Potentia libera, vt distinguitur contra naturalem, est potentia indifferens ad opposita, quæ scilicet habet in sua potestate vtrumque oppositorum, scilicet facere & non facere.* Pergit autem: *Hæc dicitur libertas contingentiæ. Sic accipitur, quando est principium meriti & demeriti. Nam per hæc quæ vitare non possumus, nec meremur nec demeremur.* Hæc profectò si nouæ opinioni consentanea sunt, totus hic liber Dogmatistam approbat. Quid enim aliud querimur, quid aliud obiicimus, quàm nouam libertatem, tollere meritum omne & demeritum: siquidem per hæc quæ vitare non possumus nec meremur, nec demeremur? Hoc autem cùm præfractè neget Dogmatista, quâ fronte Gabrielem à se stetisse gloriatur?

Huc adde locum alterum non minùs insignem ex distinct. 10. in 1. sentent. quæst. 2. vbi S. Augustinum sibi obiicit, qui in Enchiridio ait: *Liberiorem esse voluntatem, quæ non potest seruire peccato,* & Anselmum; *Liberior est voluntas,* inquit, *quæ à rectitudine declinare non potest:* hinc enim colligi fortè posset, vt ait, *Libertatem esse respectu necessariorum.* Ita porrò nodum hunc explicat. *Solutio Gregorij,* inquit, *est quòd Augustinus ibi loquitur de libertate opposita seruituti peccati & miseriæ: quia ibidem paulò antè dicit: Liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Aliter potest dici. Liberior est voluntas confirmata in bono: non respectu illorum actuum, ad quos necessariò determinatur: sed respectu aliorum actuum.* Et post pauca sic concludit. *Non ergo intendunt sancti, quòd voluntas respectu illius actus, ad quem necessariò se habet, liberè operetur: sed quòd voluntas Beati sit libera simpliciter, & liberior quàm priùs, ex eo, quia minùs potest nunc impediri in executione multorum actuum à causis extrinsecis, quàm in via propter illam confirmationem

in bono. En quàm parum fuerit ſolicitus hic Auctor, ſi quidem Dogmatiſtæ fides eſt, *vtrum voluntas immutabili firmitate quippiam vellet?* qui teſtatur *nunquam intendiſſe ſanctos*, id eſt Auguſtinum & Anſelmum, *quòd voluntas reſpectu illius actus, ad quem neceſſariò ſe habet, liberè operetur.*

Sed alio præterea ex loco reuincendus eſt Aduerſarius. Eâdem quæſt. 2. dubio 2. quærit Gabriel, *vtrum libertas voluntatis ſit quid diſtinctum à voluntate; & an repugnet neceſſitati.* Sic autem reſpondet. *Libertas non eſt conditio intrinſeca potentiæ, ſed eſt nomen connotatiuum, vel conceptus ſupponens pro voluntate, connotando aliquid poſſe fieri contingenter ab eadem.* Mox: *Conuenit ergo libertas rei perfectæ, non in ordine ad quodcumque, ſed in ordine ad id, ad quod contingenter ſe habet, & non neceſſariò.* Poſt hæc an dubitabit quiſquam, quin veriſſimè Dogmatiſta dixerit, *parum fuiſſe ſolicitum Gabrielem*, cùm libertatis rationem explicuit, *vtrum voluntas immutabili firmitate quippiam vellet?*

Conſentiunt quæ tradit diſt. 25. in ſecundum ſententiarum, vbi ſic habet corollario 3. & 4. *Sola voluntas*, inquit, *eſt potentia libera. patet: quia omnis alia potentia ad ſuum effectũ determinatur: itáque poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poteſt non agere.* Certè ſi quid hæc probat ratiocinatio, ne voluntatem quidem liberam eſſe demonſtrat, quandoquidem ex Dogmatiſta non ea minùs ad ſuum effectum, quàm alia quælibet potentia determinatur. Pergit porrò Gabriel, & pauciſſimis verbis impoſitam ſibi calumniam penitus refellit. *Voluntas non reſpectu cuiuſlibet velle eſt cauſa libera. Patet de obſtinatis & damnatis: ſimiliter de voluntate confirmatorum in Beatis: quia reſpectu actus, quem non habet in ſua poteſtate, non eſt libera.* An ergo potuit hic actum beatificum exiſtimâſſe meritorium, vt perſuadere vult Aduerſarius, quem ne liberum quidem eſſe credidit? Longè plura proferri poſſent ex hoc Theologo, quæ videre

studiosus Lector potest in 1. dist. 38. art. 1. 2. dist. 7. a. 2.

Sed accedo ad eum locum, quem vnum in opinionis suæ confirmationem Aduersarius producit, in quo satis indicat quàm leuiter & oscitanter Doctorem hunc attigerit, nec seriò conatus sit eius mentem penitus perceptam habere. Nempe multos Auctores ille delibauit, atque eorum nomina magna ambitione & apparatu percensuit, parum solicitus de ipsorum mente, modò eorum verbis cum aliqua specie & pompa abuti posset. Ait igitur Gabrielem existimâsse, *actum beatificum esse posse meritorium*, atque ad obiectionem libertatis sic respondisse in 3. distinct. 18. art. 3. *Negetur quòd actus beatitudinis sit simpliciter necessarius, quia siue sit immediatè à Deo, siue elicitus à voluntate est liberè elicitus & ita contingens. Est tamen immutabilis & perpetuus, contingenter non necessariò, quia à voluntate Diuina perpetuò conseruatur, cuius certitudinem habet Beatus per Diuinam reuelationem. Est ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur. Non autem immutabilis, id est impossibilis mutari. posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.*

Quid totum hoc, quæso, pro Aduersario facit? Ait Gabriel actum beatitudinis ita necessarium esse, vt contingens quoque, adeóque liber sit. Verùm, si actus ille immutabilis omnino esset, nulláque ex parte contingens; nonne ab Aduersario etiam liber diceretur, quo modo Spiritus sancti productio libera est, etiamsi absoluta necessitate, non autem contingenter fiat? Non ergo bene Aduersario conuenit cum hoc Auctore, qui ad libertatem contingentiam requiri affirmat. Sed vt Gabrielis mentem percipiamus funditus, appareátque hunc eius locum nihil Aduersariis suffragari,

Obseruandum est, Gabrielem in actu beatifico duo distinxisse. Alterum quidem quod sit à solo Deo, alterum quod sit à voluntate. Circa secundum, non circa primum liberum putat esse Beatum. *Clara Dei visio*, vt ait distinct. 7. in 2. *& perfecta dilectio est in Beato à solo*

Deo;

Deo: Cuius rei affert rationem distinct. 1. in 1. quia *cùm voluntas sit omnino libera, & liberè ac contingenter agat, posset se se facere non beatam, cessando ab actu beatifico, si esset in eius potestate actus beatificus.* ex quibus ita rem totam concludit: *Respectu actus beatifici solus Deus est causa effectiua* Caue tamen putes, cùm legis visionem & dilectionem Beati esse à solo Deo effectiuè, Gabrielem credidisse, voluntatem & intellectum ad huiusmodi actus nullo modo concurrere. Contrarium enim docet distinct. 7. in 2. a. 1. cùm ait, *licèt actus beatificus non sit in potestate Beati, non tamen ideo cogitur; quia illo actu formaliter vult & diligit Deum non minùs, quàm si esset ab eius propria voluntate causatus.* Dicitur itaque actus beatificus esse à solo Deo, non quòd à voluntate non fiat, cùm per illum formaliter velit, & diligat, sed quòd non sit in voluntatis potestate.

Alterum verò quod à Gabriele dicitur esse à Beati voluntate, *sunt omnes actus accidentaliter se habentes ad beatitudinem*, vt loquitur ibidem a. 2. *hoc est, sine quibus manere potest beatitudo in confirmatis :* quia circa illos liberè potest voluntas contingentérque versari. Imò in Beato agnoscit beatificum quemdam actum esse ab ipsius voluntate, nimirum actum approbationis & complacentiæ circa dilectionem beatificam, qui quidem actus liber sit, adeóque sit in potestate voluntatis. Sic enim loquitur loco à nouo Dogmatista citato: *Actus beatificus, qui est præmium, est immediatè à Deo : & ille non est meritorius : sed cum illo est alius actus fruitionis à voluntate elicitus eiusdem obiecti beatifici, qui etiam dicitur beatificus, licèt priore, qui à solo Deo est, sit imperfectior, quia est obiecti beatifici in se clarè visi: & ille est meritorius, & de illo intelligendæ sunt conclusiones.* Vides hîc poni actum aliquem beatificum, qui à voluntate fit, actu beatifico, qui à Deo est, imperfectiorem, eúmque solum esse meritorium, quippe qui sit in potestate voluntatis vt fiat vel non fiat. Im-

perfectior autem est altero, quia ille pro obiecto Deum habet, hic verò aliquid creatum, nempe visionem Dei & formalem beatitudinem.

Præterea, etiamsi vnus actus esset beatificus in Beato, agnoscit tamen Gabriel reperiri aliquid in eo quod à Deo sit, aliquid quod à voluntate oriatur. Etsi enim entitas actus sit à Deo, vult tamen *tendentiam in obiectum beatificum* esse à voluntate, id est, liberum esse voluntati per eum actum tendere ad obiecta creata, vel non tendere. Obiecta autem *beatifica* dicuntur, quia pertinent ad beatitudinem, & in Verbo simul cum Deo videntur. Ita loquitur ibidem. *Alio modo potest dici secundùm illam opinionem, quòd in anima Christi fuit tantùm vnus actus fruitionis Dei: & hic à Deo creatus & beatificus, qui nihilominus in Christo fuit meritorius. Consequenter dicitur quòd fuit in potestate voluntatis, quantùm ad tendentiam in obiectum, non quantùm ad esse elicitum.* Id affert postea, quod fraudulenter, aut imperitè interpretatur Aduersarius. *Nam voluntas per hunc actum creatum liberè & complacenter tendit in obiectum beatificum, licèt non liberè contradictoriè: & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.* Nempe tendit liberè Beatus per actum fruitionis Dei in obiectum beatificum, ita tamen, vt non possit quidem cessare ab eiusmodi actu, quod explicauit per hæc verba *non liberè contradictoriè*, sed tamen possit manente illo actu, non tendere ad obiectum beatificum, scilicet secundarium, ad quod ferri non necessariò debet. Quod ipsum quoque apertissimè indicauit his verbis: *Est in potestate voluntatis quãtum ad tendentiam in obiectum, non quidem quantum ad esse elicitum*, id est, quantum ad ipsam actus entitatem.

Ex his quæso quid colligi potest in gratiam noui dogmatis? Si enim existimauit hic Auctor, actum beatificum, etsi necessarius sit, liberum esse, atque adeo meritorium, vt Dogmatista prædicat, cur non dixit amorem beatificum totum liberum esse, totúmque

meritorium? cur tendentiam in obiectum liberam solùm esse, productionem verò amoris non esse liberam affirmauit? Certè si productionem amoris liberam & meritoriam esse ideo negauit, quia si esset in potestate voluntatis, *posset illa se se beatam non facere cessando ab actu beatifico*: tendentiam in obiectum beatificum liberam idcirco dixisse necesse est, quòd hæc sit in potestate voluntatis, adeóque contingens, à qua nimirum voluntas abstinere possit. Iam si totum Christi meritum huic contingenti tendentiæ connexum esse voluit, non necessariæ productioni: nonne luce ipsa clarius est huius Auctoris mentem ab Aduersario fuisse deprauatam?

SECTIO II.

Explicatur sententia Theologorum, quos à Caluinistis prætermissos nouus Doctor de suo adiecit.

TANDEM aliquid occurrit, quod nemine reclamante sibi nouus Doctor arroget. Quæ protulit hactenus, repetunt, & sibi erepta queruntur præcipui Caluinisticæ nationis proceres: at quæ mox subiiciet, eorum nemo, quòd sciam, vindicare sibi potest. Quanquam non idcirco gloriari insolentiùs debet. Nam & fortè quidam sunt Caluinistarum libri, mihi quidem ignoti, qui illum hac quoque in parte plagij conuincant. Deinde magni laboris, & exquisitæ laudis non est, ex posterioribus aliquot Theologis pauca quædam decerpere testimonia iis simillima, quæ Caluinistæ ex Thoma Aquinate, Bonauentura, aliisque selegerant. Denique quidquid ex illis Theologis libauit, tam infirmum est ac debile, si cum superioribus componatur, vt meritò arbitrari quis possit non illud à Caluinistis ignoratum fuisse, sed neglectum.

Paragraphvs I.

Henricus à Gandauo.

Etiamne hunc Auctorem nouæ libertatis vindices appellant? Etiámne ex eius auctoritate firmamenti aliquid sperant, atque præsidij? Certè nupero dogmati tam est infensus, vt de illo potiùs abdicando, quàm de mutilis aliquot eius testimoniis corradendis cogitandum Aduersariis fuerit.

Ait enim primò Henricus quodlib. 1. quæst. 16. *Fuisse omnium concordem opinionem, quòd necessitas violentiæ possit impedire voluntatem à prosecutione actus exterioris. Sed quòd nullomodo possit eam euellere à suo actu interiori.* Deinde: *Fuit tamen*, inquit, *aliquorum opinio, quòd necessitari posset* (voluntas) *vt moueretur ad aliquid: non tamen per inferens violentiam, quia non omne necessarium est violentum, sed solùm id, cuius principium est extra vim inferens passo non conferente, sed in contrarium agente.* Est hæc profectò pura puta Dogmatistæ opinio, nec eam ipse verbis aliis, quàm hic Theologus expressisset. Videamus autem quid de eiusmodi opinione sentiat Henricus; si eam probat, certè Aduersarium approbauit; sin minùs, discant Aduersarij aut pudentiores esse, aut callidiùs fraudes suas contexere. Pergit Henricus. Et est opinio ista contraria omni Philosophiæ, non solum Theologiæ. Tollit enim omne meritum, deliberationem, consilium, admonitionem, exhortationem, *& cætera eiusmodi.* Totus hic locus ex eo S. Thomæ videtur expressus, quo non fidei tantùm, sed etiam humanæ rationi, eam opinionem aduersari pronuntiat, quæ solam à coactione libertatem homini adscribit. Vterque verò tam inuictè nouam opinionem debellat, vt nihil prorsus habeant eius fautores, quo tam claræ veritatis lucem obscurent.

Ait 2. eodem loci voluntatem nulla necessitate eligere quod ratio proponit: & affert celebre illud S. Augustini exemplum ex libro 12. de Ciuitate Dei, duorum scilicet qui cùm æqualiter affecti animo, & corpore sint, æqualiter visâ aliquâ pulchritudine tententur, inæqualiter tamen se gerunt, & eorum vnus consentit, alter verò in voluntate pudica stabilis perseuerat. Causam verò huius inæqualitatis cum S. Augustino non aliam affert, quàm vtriusque libertatem. Sic enim concludit: *Super libertatem ergo arbitrandi in ratione oportet ponere libertatem eligendi arbitratum in voluntate: vt voluntas nulla necessitate eligat etiam quod ratio sentiat, dum tamen tale bonum non proponat quod finis est, vel in quo necessariam connexionem ad finem præcipiat, vt sine illo finem adipisci non valeat.* Non igitur existimauit hic Auctor alterius quidem, qui tentationi consensit, voluntatem ad peccandum necessariò determinatam esse, vti nec alterum qui resistit, necessariò restitisse, vt docet Aduersarius, sed vtrumque *nulla necessitate elegisse*, vel consentire, vel resistere.

Aliud addit ex S. Augustino testimonium in hæc verba: *Vnde dicit Augustinus libro 3. de libero arbitrio. Quæcumque causa est voluntatis si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An aliud fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo potest cauere? Peccatur autem, caueri ergo potest.* Ex duplici illo testimonio sic colligo: Fatetur Aduersarius libertatem à necessitate in iis S. Augustini locis exprimi; adeóque non illa posse homini lapso tribui, quin ei libertas à necessitate adscribatur: At Henricus vtrumque homini lapso tribuit; Ergo Henricus libertatem à necessitate homini lapso adscribit.

Ait 3. quæst. 17. *Bonum apprehensum nullo modo posse ex ratione boni cogniti necessitare voluntatem in appetendo,*

appetitu deliberato, qui fit per consensum, licèt forte posset eum necessitare ad appetendum appetitu deliberante ex apprehensione simplici praecedente iudicium, & sententiam rationis. Sed iste, inquit, *appetitus aut non est peccatum, sed infirmitas quaedam in voluntate ex primo peccato, aut si est peccatum, non contingit nisi ex aliquo peccato voluntatis praecedente, scilicet ex hoc, quod non erat diligens ad sibi praecauendum, aut ad rationem dirigendam, ne talia praesentaret inconsulta. sed hoc omnino non est in nostra potestate à quo mens tangatur, & à quo illico voluntas afficiatur.* Hinc ergo colligendum est, idcirco primos illos & indeliberatos volũtatis motus peccata non esse, quia necessarij sunt, adeóque nec sunt in nostra potestate: contra verò voluntatem in appetendo appetitu deliberato, qui fit per consensum peccare posse, quia non necessitatur. Ibidem docet, *eandem fuisse naturam liberi arbitrij hominis in statu innocentiae, & modo. Licèt enim*, inquit, *libertas eius per peccatum modò sit debilitata: hoc nihil facit ad variationem speciei.* Atqui profitentur Aduersarij in statu innocentiae liberum arbitrium non coactione tantùm, sed etiam simplici necessitate solutum fuisse, ergo & eiusdemmodi esse hoc in statu fateri debent, si quam huic Auctori fidem adhibitam volunt.

Quartò, quaerit quodlibeto 12. quaestione 27. *Vtrum sufficiat ad libertatem arbitrij, quòd potuit impedire ne ab alio actuaretur de necessitate.* Agit enim contra eos, qui arbitrantur voluntatem necessariò ab intellectus cognitione abripi; quíque nihilominus *nituntur saluare liberum arbitrium voluntatis dicendo, quòd voluntas habet per se liberum dominium super determinationem sui actus.* Quatenus *mouet se ad actus intelligendi, vel ad sistendum in ipsis, vel ad desistendum ab ipsis, & intelligendo aliquid vel sub vna ratione, vel sub alia.* Adeóque liberam eatenus tantùm esse, quatenus impedire potuit ne ab intellectu necessitaretur. Et respondet, ad libertatem istud non sufficere; *quia ad hoc quòd aliquid dicatur esse*

verè ex libero arbitrio, oportet quòd sit à libero arbitrio, vt à mouente proximè, & sic voluntas est domina suorum omnium actuum. Negat actum illum esse liberum, & in dominio voluntatis, qui ab intellectus cognitione necessariò infertur, licèt in voluntatis potestate fuerit illam cognitionem suscipere, vel abiicere; Ergo multum abest à noua opinione, quæ amorem Dei ex visione beatifica necessariò manantem propriè liberum esse defendit.

Quintò, nouam opinionem clarissimis verbis elidit in Summa articulo 45. quæst. 4. vbi docet: *Voluntatem Dei esse liberi arbitrij: & hoc non respectu sui ipsius: sed respectu aliorum à se. non respectu sui, quia in Deo, neque in eis qui Deum vident apertè per speciem, non cadit electio vera de volendo Deum: & hoc ideo quia in Deo videtur omne bonum, & omnis boni bonum, à quo omne aliud bonum deficit: imò ipso viso nihil potest ei præferri: sed ipse simplici libertate & amoris naturalis allectione, quasi solus amatur immutabilis necessitatis comitatione. Respectu autem creaturæ & aliorum à Deo, est in voluntate Dei libertas arbitrij: non solùm quia liberè & sponte velit alia à se, & non necessariò, necessitate quasi præueniente, aut subsequente, siue comitante: neque etiam iudicio rationis determinante: sed quia velit ea voluntate determinante se ipsam, & liberè alterum alteri præferente: eo quòd vnumquodque eorum accidentaliter ordinatur in finem, qui est ipse.* Vides quomodo à libero arbitrio excludat hic Doctor omnem necessitatem: vt propterea Deum dicat respectu sui, vti & Beatos, liberum non habere arbitrium, quia ad amorem Dei necessariò determinantur, licèt libertatem in iis etiam hoc respectu aliquam agnoscat, prout libertas scilicet spontaneum & voluntarium significat.

De huius adhuc Auctoris mente dubitari à quoquam posse non arbitror. Nam & ea, quæ in contrarium Dogmatista profert, tam inania sunt, vix vt persuadere possit hæc à se seriò produci.

Locum citat ex quæst. 17. quodlibet. 5. vbi sic ait Henricus: *Potest liberum arbitrium duplici respectu considerari: vno videlicet in quantum respicit voluntatem vt elicientem actum volendi: alio in quantum respicit obiectum vt terminum eius. Et secundùm vtrumque respectum indicanda est ipsa arbitrij libertas. Si liberum arbitrium consuleretur in primo respectu, sic dico, quòd voluntas dicitur liberum abitrium, quia absoluta est ab omni coactione ipsam impediente, & contristante in sua actione.* Fatemur quoque, cum hoc Auctore, ad liberum arbitrium requiri, vt voluntas ab omni coactione absoluta sit; sed id sufficere cum omnibus Theologis, & cum hoc Doctore constanter negamus. Nam cùm Henricus dixisset liberum arbitrium duplicem includere respectum, primum, quia fauere suæ sententiæ videbatur, attulit Aduersarius, de secundo, quia opinionem suam funditus euertebat, cautè tacuit. Sic ergo pergit Henricus. *Si autem consideretur liberum arbitrium in secundo respectu, sic dico, quia voluntas dicitur libera, quia indifferens ad diuersa & contraria, sine omni determinatione restringente ipsam ad alterum eorum.* Mirare Lector Aduersarij fidem, & ex hoc agnosce, quàm prudenter & circumspectè sit ipsi credendum. Certè ad liberum arbitrium indifferentiam hanc requisiuisse Henricum constat ex sum. a. 45. q. 4. vbi libertatem à libero arbitrio sic distinguit: *Oportet videre quomodo se habeat ratio arbitrij ad rationem libertatis.* Mox. *Est ergo sciendum, quòd arbitrari est duobus vel pluribus propositis per indifferentiam respectu alicuius, alterum alteri præferre respectu illius.* Post pauca. *Finito arbitrio rationis, adhuc restat voluntati suum arbitrium, quo potest sequi arbitrium rationis, vel ipsi contrariari liberâ electione,* Deinde. *De libero igitur arbitrio quantum pertinet ad voluntatem, dicimus quòd nihil est aliud quàm libera potestas voluntatis ad eliciendum, hoc est, ad aliquid alteri præferendum, vt nomine arbitrij nihil significetur nisi potestas voluntatis ordinata ad actum eligendi.* Hinc colligit in Deo quidem

quidem esse & in Beatis libertatem respectu amoris Dei, sed non esse liberum arbitrium, quia in hoc amore necessitatem patiuntur. Nimis ergo proteruè faciunt, qui Doctorem hunc in nouæ libertatis præsidium euocant.

PARAGRAPHVS II.

Richardus de Media-Villa.

DOCTOREM hunc suæ causæ patrocinari quàm falsò affirment Aduersarij, clarissimè, ni fallor, ostendam, vbi obseruauero, varia eum libertatis genera distinxisse in 2. distinct. 38. a. 2. q. 1. vbi quærit *vtrùm voluntas in quantum libera velit necessariò finem:* Nam ab ipso ingressu monet, *Ad intelligentiam huius articuli sciendum, quòd præter libertatem quæ est à culpa, & à miseria potest distingui libertas duplex, scilicet in libertatem quæ est à naturali determinatione, & in libertatem quæ est à coactione.* Postquam illa duo ita distinxit, sic pergit. *Loquendo de libertate à coactione voluntas est simpliciter libera respectu finis, naturalis enim determinatio voluntatis ad volendum finem, in nullo repugnat tali libertati. Libertatem autem à naturali determinatione non habet voluntas respectu finis, quamuis eam habeat respectu eorum quæ sunt ad finem.* Non poterat procedere clariùs. Iam videndum est an prima illa libertas à coactione, quâ voluntas vult necessariò finem, sit ex huius Theologi sententia, liberi arbitrij propriè dicti; an sufficiat ad meritum vel demeritum: denique an respectu eorum quæ sunt ad finem, non aliam, quàm à coactione libertatem admiserit. Quòd si conuinco adeò non hæc docuisse Richardum, vt contrarium omnino professus sit, nonne effecero, splendidè Dogmatistam in hoc celebri Theologo citando imposuisse? Videamus iam autem quid ille de his omnibus senserit.

Ac primò quidem, an sit actus liberi arbitrij respectu finis loco citato ita definit: *Ad videndum clarius quæstionem. Primò intendo declarare, quòd voluntas naturaliter vult finem. Secundò, quòd hoc non obstante liberè vult finem. Tertiò, quòd hoc non obstante non est propriè loquendo actus liberi arbitrij respectu finis.* Postremam hanc partem ita probat: *Actus liberi arbitrij propriè dicti est eligere. Sed secundùm Damascenum oportet omnino consilium antecedere electionem &c. Et secundùm Philosophum non consiliamur de fine; Sequitur ergo quòd actus liberi arbitrij propriè dicti non est respectu finis.* Adeóque ex huius Auctoris mente libertas à coactione, quæ voluntati conuenit respectu finis, non est vera & germana arbitrij propriè dicti libertas, nec ad electionem sufficit. Illud ipsum accuratè tradit in 2. distinct. 25. art. 3. quæst. 2. nam ibi distinguit liberum, ab electiuo, *probátque arbitrij nostri, vt liberi, omne bonum esse obiectum.* Ad id verò quod obiiciebatur 2. in hæc verba: *Quod non est obiectum actus eligendi, non est obiectum liberi arbitrij, quia eligere est proprius actus liberi arbitrij: Sed electio non est finis, sed eorum, quæ sunt ad finem secundùm Philosophum 3. Ethic. Ergo finis non est obiectum liberi arbitrij.* Respondet. *Cùm dicitur quòd illud, quod non est obiectum actus eligendi, non est obiectum liberi arbitrij, dico quòd verum est, sub ratione quâ deliberatiuum: bene est tamen obiectum eius, sub ratione quâ liberum.* Quanta est igitur Aduersariorum cæcitas & stupor, qui cùm affirment, omnem prorsus voluntatis actum, etiam illum, quo finem vltimum necessariò amamus, electionem esse, Richardum nihilominus, qui contrarium prorsus disertissimè asserit, suarum esse partium vociferantur.

Secundò, docet Richardus libertatem à coactione non sufficere ad meritum, vel demeritum. Quærit enim in 4. distinct. 49. art. 1. q. 5. *Vtrum voluntas in appetendo beatitudinem mereatur*, sicque concludit: *Ho-*

minem appetere beatitudinem contingit dupliciter. Vno modo in generali in quantum appetit aliquod bonum sufficientissimum. Alio modo in speciali in quantum determinatè appetit illud bonum in speciali, in quo est verè omnis sufficientiæ plenitudo: sicut in clara Dei visione & perfecta eius fruitione. In appetendo beatitudinem primo modo non est meritum, quia sic naturaliter ab intellectu cognoscitur, & à voluntate appetitur: itaque circa hoc nec intellectus potest errare in cognoscendo, nec voluntas in appetendo. In appetendo beatitudinem modo secundo est meritum, quia sic nec naturaliter cognoscitur, nec naturaliter appetitur, sed respectu eius contingit esse errorem in intellectu, & obliquitatem in affectu; quia & intellectus potest opinari non esse beatitudinem in illo bono vbi verè est, & eam esse in illo bono vbi verè non est, & ex consequenti voluntas potest appetere beatitudinem vbi verè non est, & eam non appetere vbi verè est. Nihil video dici posse ad quæstionem nostram expressius. Si enim idcirco non meretur voluntas appetendo beatitudinem in generali, quia illam naturaliter sic appetit, vt non possit eam non appetere; certè ad meritum non modò libertatem à coactione, quam ille qui vult beatitudinem in generali habet, sed libertatem quoque à necessitate determinante requiri dicendum est.

Tertiò Richardus idem in 2. distinct. 38. art. 2. q. 2. aliam admittit libertatem, respectu finis, aliam respectu eorum, quæ sunt ad finem: *Omnibus fidelibus*, inquit, *certum est voluntatem respectu eorum quæ sunt ad finem liberam esse non tantùm à coactione, sed etiam à naturali necessitate.* Atqui nouus Doctor pugnat eamdem penitus esse libertatem respectu finis, & eorum quæ sunt ad finem; respectu beatitudinis, & eorum quæ ad beatitudinem conducunt, in quibus nimirum omnibus solam à coactione libertatem agnoscit; non ergo cum *fidelibus omnibus* sentit, sed pudendo schismate à fidelium turba diuiditur. De huius Theologi men-

te dubitare adhuc quemquam posse non arbitror; penitúsque mirum est ausum esse Aduersarium scribere Richardum *non inter postremos in sententia sua asserenda extitisse*. Nam quæ pro eius auctoritate sibi vindicanda producit, nihil prorsus illum adiuuant.

Libro 6. de grat. Christi cap. 28.

Ait 1. Richardum docere, *actus qui versantur circa finem esse liberos*. Sed vidimus quâ libertate liberos esse dixerit; libertate nimirum à coactione, quam liberi arbitrij propriè dicti libertatem esse negat.

Ait 2. *omnes omnino actus humanos* ex Richardi mente in 2 dist. 25. art. 3. q. 1. *esse actus liberi arbitrij*. Verùm cur silet, quod eodem loci Richardus tradit, *actus qui sunt in homine naturales* (cuiusmodi est appetitus vltimi finis) *non dici propriè actus humanos?*

Ait 3. eundem admittere *electionem respectu eorum, quibus manent Beati coniuncti fini*. At cur dissimulat electionem illam ex Richardi mente non esse respectu finis, vt eo ipso loco quem appellat: nimirum, in 2. dist. 25. art. 2. q. 2. ad 6. manifestè docet, vbi etiam addit, *Beatos eligere quosdam actus, quos maximè conuenit habere illos, qui sunt perfectè coniuncti cum fine: cuiusmodi actus sunt, electorum salutem optare, & pro eis orare.* Qui actus in Beatis liberi sunt saltem libertate exercitij.

Ait 4. ex Richardi opinione, *necessitatem non tollere rationem meriti, dummodo absit coactio*. Falsò id obiicit, nec enim hoc vnquam docuit Richardus. Asserit quidem in 3. distinct. 12. a. 2. q. 1. ad 2. *quòd quamuis necessitas coactionis tollat rationem meriti, vel demeriti, necessitas tamen quæ est ex perfectione bonitatis, non tollit rationem meriti in viatore*. Quæ certè duo intelligenti cuilibet toto discrepare cælo videbuntur. Aliud enim est, *necessitatem coactionis tollere rationem meriti & demeriti*, quod omnes facilè cum Richardo concedent: aliud verò, *dummodo absit coactio, necessitatem non tollere rationem meriti & demeriti*, siue solam necessitatem coactio-

nis meritum & demeritum impedire: quod nec Richardus, nec vllus vnquam Catholicus affirmauit.

Quod autem Richardus addit, *necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti & demeriti in viatore*, de illa necessitate dicit, quæ ita voluntatem ad bonum in genere alligat, vt liberam illi relinquat optionem huius vel illius boni optandi, quam necessitatem nihil merito, libertati nihil officere communis est & certa Theologorum opinio.

PARAGRAPHVS III.

Thomas de Argentina.

QVAM asseueranter nouus Theologus pronuntiat Thomam de Argentina opinionem de libertate suam *verbis perspicuis tradidisse*, tam verè affirmem, nihil ab eo dici, quod nouæ sententiæ non aduersetur. Neque verbis dumtaxat meis fidem adhiberi volo, hunc ipsum Auctorem, qualis fuit, repræsento. Libro. 6. de grat. Christi cap. 29.

Quærit lib. 2. distinct. 25. art. 2. *Vtrùm voluntas, prout est idem quod liberum arbitrium, posit per motum suum peccare, nullo existente errore in ratione.* Respondet autem posse peccare. Quia, inquit, *si voluntas non posset oppositum illius eligere, quod dictatum & iudicatum est à ratione: tunc voluntas non esset potentia libera libertate contradictionis; falsitas consequentis patet: consequentiam probo per Aristotelem 9. Metaph. vbi ipse in hoc ostendit, differentiam potentiarum rationalium & irrationalium: quia irrationales necesse est agere, vel pati, quando actiuum vel passiuum appropinquat: rationales verò non est necesse. Et sequitur. Hæ quidem, scilicet irrationales, vna vnius factiua, id est, determinata sunt ad vnum: illæ verò, scilicet rationales, contrariorum.* Hæc sunt opinor *verba perspicua* non ad nouæ, sed ad veteris communísque sententiæ confirmationem. Quibus Aduersariorũ opinio prorsus

cludetur, si rationis loco, voluntatis motum indeliberatum ponas: hoc modo: *Si voluntas non posset oppositum illius eligere*, ad quod per motum indeliberatum allicitur, *tunc voluntas non esset potentia libera libertate contradictionis: falsitas consequentis patet, consequentiam probo: quia esset determinata ad vnum.*

Sed quæstionem totam multò adhuc expressiùs definit eodem artic. cùm ait: *Si voluntas non posset eligere contra iudicium rationis, & necessariò in omni sua electione se conformaret iudicio rationis, tunc periret omne meritum & demeritum. consequentia patet: quia* EX HIS QVÆ NECESSARIÒ A NOBIS FIVNT, NEC MEREMVR NEC DEMEREMVR. *Vnde ea quæ purè nobis insunt à natura, non sunt in nostra potestate, sed de necessitate eueniunt: ideò secundùm Philos. 3. Ethic. ex puris naturalibus nec laudamur, nec vituperamur.*

Non potuerunt meo iudicio clariora proferri contra nouam opinionem: hîc enim contendit periturum omne meritum & demeritum, laudem & vituperationem, si voluntati necessitas inferatur, *ex his enim, quæ necessariò à nobis fiunt nec meremur nec demeremur.* Quid aliud autem Aduersario cum omni Theologorum turba obiicimus? Affert deinde Bernardi testimonium. *Præterea*, inquit, *Bernardus in libro suo de libero arbitrio ait, Ratio data est voluntati, vt instruat illam, non vt destruat: destrueret autem, si ei vllam necessitatem imponeret, quò minùs liberè pro arbitrio sese moueret siue ad bonum siue ad malum: si vnquam horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset.* Destruitur, inquit, voluntas, id est, liberum arbitrium, dum ei necessitas imponitur, & impeditur liber ille motus ad bonum & malum. Libertatem igitur Aduersarij destruunt, qui liberrimam voluntatis inclinationem necessitatis vinculis alligant.

Priori articulo eiusdem distinctionis ait, voluntatem respectu cuiuscumque obiecti, excepto fine vltimo, *Li-*

bertatem habere consentiendi in actum, vel dissentiendi ab actu, solùm enim, inquit, *respectu illius quod mouet voluntatem sub ratione vltimi finis, voluntas non habet huiusmodi in potestate.* Non igitur necessitatur voluntas ad alium actum, quàm ad eum qui versatur circa finem, quẽ propterea negat *esse in voluntatis potestate,* quod ipsum tamen Dogmatista tam pertinaciter affingit. Sed videamus an quæ ipse profert, tam *perspicua* sint, quã quæ retulimus, & an maiorẽ hîc, quàm in aliis omnibus fidem mereatur.

Opponit igitur locum ex dist. 25. in 2. a. 1. vbi legitur: *Potentia quæ est essentialiter libera aliquo modo est sui ipsius motiua, sed voluntas est essentialiter libera, vt inferiùs intẽdo declarare dist.* 38. Ex quo Aduersarius conficit voluntatem semper remanere propriè liberam, cùm talis sit eius essentia: quàm absurdè autem & ineptè, patet ex hoc eodem Auctore qui præcedenti dist. a. 3. sic voluntatem à libero arbitrio distinxerat. POTENTIA VOLITIVA, VT EST VOLVNTAS, TENDIT IN FINEM, VT AVTEM VINDICAT SIBI NOMEN LIBERI ARBITRII, TENDIT IN EA QVÆ SVNT AD FINEM &c. *Voluntas & liberum arbitrium est vna & eadem potentia habens aliud & aliud officium, quorum ratione vnius dicetur simpliciter velle, ratione verò alterius dicetur liberè eligere.* Ex his constat quàm insulsè ratiocinetur Aduersarius, qui voluntatem finis liberum velit arbitrium appellari; & volitionem nullam esse credat, quæ non sit libera libertate arbitrij & electionis, cùm tamen hic Auctor dicat, *voluntatem circa finem liberè non eligere. sed tantùm circa ea, quæ sunt ad finem.* Etsi enim voluntas & liberum arbitrium eadem essentialiter potentia sint: tamen hæc, prout diuersa obit munera, diuersa quoque nomina sortitur.

Opponit secundò, ex eodem Auctore Christum eatenus mereri potuisse, quatenus sponte, non coactè agebat. Respondeo tam falsum illud esse, quàm quod maximè. Nam, vt vidimus, conceptis verbis af-

firmat in 2. distinct. 25. art. 2. *Ex his, quæ necessariò à nobis fiunt nec mereri nos, nec demereri.* Vnde colligit quòd *si voluntas non posset eligere contra iudicium rationis, & necessariò in omni sua electione se conformaret iudicio rationis, tunc periret omne meritum, & demeritum.* Et tamen in ea hypothesi libertas à coactione illæsa permaneret; Ergo ex huius Auctoris mente libertas à coactione ad meritum non sufficit. Quid igitur, inquies, sibi volunt hæc eius verba ex 3. distinct. 12. *Quamuis necessitas coactionis tollat rationem meriti, necessitas tamen immutabilitatis proueniens ex perfectione virtutum, non tollit rationem meriti, sed auget.* Respondeo, sermonem esse de illa necessitate, quæ voluntatem ad bonum in communi affigit, quæ necessitas, si coactionis esset, omne prorsus meritum adimeret: at cùm simplex dumtaxat necessitas est, meriti rationem adeò non minuit, vt augeat potiùs, & amplificet. Nam cùm ad meritum requiratur, primò, vt quod agimus voluntarium sit; secundò, vt sit liberum libertate exercitij: felix illa necessitas, quæ voluntatem ad bonum in communi adstringit, vt nihil nocet libertati exercitij, ita voluntarij rationem plurimum auget. Vnde hæc eiusdem Auctoris verba ex 3. distinct. 18. art. 3. *Christus & quilibet in gratia confirmatus, licèt determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipsum.* Voluntariè quidem tendit in bonum in communi, quia necessitas, quæ Christi voluntatem ad bonum addicebat, non coactio, sed simplex dumtaxat necessitas erat: liberè verò in hoc vel illud bonum, quia pari vtriusque eligendi potestate præditus erat.

PARAGRAPHVS IV.

Dionysius Carthusianus.

TANTA fuit Aduersarij in huius Auctoris exploranda mente cæcitas, aut incuria, vt ne vnum quidem eius verbum exceperit, sed ex longiori Alberti loco, quem integrum Carthusianus describit in 2. dist. 25. breuem laciniam his comprehensam verbis referat: *Quatuor sunt status libertatis, seu liberi arbitrij, in homine. Vnus ante peccatum, secundus sub peccato, tertius sub gratia, quartus in gloria. Atque in omnibus his iudicio meo, libertas à coactione, seu necessitate, æqualiter manet in homine, propter libertatem voluntatis, quam si homo amitteret, peccatum eius non esset peccatum.* Et paulò pòst addit, *hominem non cadere nisi electione propriæ voluntatis, non necessitate coactionis.* Hinc Aduersarius certò confici putat, ex Carthusiani mente homines hoc in statu non alia, dum peccant, libertate præditos esse, quàm quæ propriè dictæ coactioni aduersatur.

At istud est nimis imperitè Carthusianum interpretari? qui expresse ait, *hominem non cadere nisi electione propriæ voluntatis*, tantúmque abest à nouo Dogmate, vt in Summa libro 2. art. 14. scribat: IN HIS QVÆ AD VNVM DETERMINATA SVNT NON SORTITVR ELECTIO LOCVM. Ergo ex eius mente homo, qui non peccat nisi electione propriæ voluntatis, non peccat necessariò. Subruit quoque aliud nouæ opinionis fundamentum, dum eodem loci asserit, *Electionem non esse de fine, sed de his quæ sunt ad finem.* Reliqua verò propemodum omnia labefactat, cùm addit: *Quamuis homo aliqua necessariò velit, quia finis respicit voluntatem*, NIHIL TAMEN DE NECESSITATE ELIGITVR: *tum quia omne, de quo est electio, ordinatur ad aliud, & sic non est simpliciter perfectum, ac bo-*

num, sed secundùm aliquam considerationem adiici potest, tum quia rationales potentiæ, in quantum huiusmodi, sunt indifferentes & liberæ secundùm Philosophum. Si *nihil de necessitate eligitur,* si *rationales potentiæ sunt indifferentes,* quomodo libertas electionis, & propria rationalis potentiæ indifferentia cum simplici necessitate cohæret?

Docet etiam in 2. dist. 25. quæst. 2. ex sententia S. Thomæ, voluntatem liberam ad vnum nunquam addici, nisi ex apprehensione finis vltimi, & beatitudinis, in reliquis autem nulla necessitate, aut determinatione circumscribi; ac proinde licèt Deus infinita virtute sua voluntatem creatam immutet, & conuertat, eam tamen nullam pati necessitatem. *In vniuersis,* inquit, *quæ cadunt sub electione, libera manet voluntas, in hoc solùm determinationem sortita, quod beatitudinem naturaliter appetit, non tamen determinatè in isto, aut in illo. Sic ergo quamuis Deus sua infinita virtute voluntatem creatam immutet, afficiat, & multipliciter imprimat in eandem, non tamen necessitat eam.* An ista cum Aduersarij Dogmate conueniunt?

Illud ipsum paulò fusiùs exponit in Summa libro 2. art. 11. Quærit enim: *An voluntas moueatur de necessitate à suo obiecto, & à Deo.* Ad primam partem ita respondet: *Voluntas dupliciter mouetur: vno modo quantum ad exercitium sui actus, & sic à nullo obiecto de necessitate mouetur. Potest enim vnusquisque de quolibet obiecto non cogitare, & per consequens id non velle. Alio modo mouetur quantum ad specificationem sui actus, & sic ab aliquibus de necessitate mouetur, ab aliquibus autem non. Nam ab eo, quod vniuersaliter & totaliter bonum est, de necessitate mouetur: si verò proponatur voluntati aliquid, quod non est secundùm omnem considerationem bonum, in illud non necessariò fertur, sed potest illud non velle, in quantum concipitur vt non bonum. Patet igitur quòd voluntas nihil de necessitate desiderat, nisi bonum omnino perfectum, quod*

est beatitudo. Et huic tamen Auctori suam opinionem Aduersarius affingit, quâ docet nullam esse in homine corrupto libertatem à necessitate? Quod ad secundam quæstionem Carthusianus respondet nouo Doctori nihilo minùs incommodat. *Secundùm Dionysium*, inquit, *Prouidentia Dei omnia conuenienter disponit, nec naturas corrumpit, nec naturales proprietates tollit. Cùm ergo voluntati conueniat esse liberam, atque ad vtrumque oppositorum potentem, palam est quòd non mouetur à Deo per necessitatem.* Nihil hîc commentariis opus est. Clara sunt & explicata verba. Ait *palam esse quòd* homo *non mouetur à Deo per necessitatem.* quia alioquin voluntatis libertatem, *quâ ad vtrumque oppositorum potens est, corrumperet.*

Denique ex ipsius Alberti mente statuit in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad arbitrij libertatem non sufficere vt non cogatur aliqua necessitate. *Itaque non sufficit ad liberum arbitrium non cogi necessitate ad opus, nec hoc, quod agat non ex necessitate naturæ, imò requiritur quòd agat ex libera electione liberóque consilio.* Atqui negat in Summa libro 2. art. 14. *in his, quæ ad vnum determinata sunt, electionem sortiri locum.* Ergo ex eius opinione liberum arbitrium non est respectu eorum, quæ sunt ad vnum determinata. Hinc est quod ibidem hæc Alberti verba approbat: *Liberum arbitrium non est, nisi de operabilibus per nos, quæ sunt in nobis, id est in nostra potestate quoad facere & non facere, & quorum nos domini sumus, & causa.*

Ex quibus liquet Dionysium Carthusianum, cum Dionysio Cisterciensi consentire, qui in 2. dist. 24. q. vnica articulo 1. conclus. 5. arbitrij libertatem ita definit: *Arbitrium dicitur liberum; quia positis omnibus extrinsecis ad suum actum agere requisitis, liberè potest agere, vel non agere.* Qua definitione noua libertas præfocatur.

PARAGRAPHVS V.

Marsilius de Inghen.

CONSTAT sibi nouus Doctor, & pari vbique infelicitate & incuria Theologorum mentem inuestigat. Marsilium opinionis suæ testem appellat, qui ab illa tam longè abest, vt in 2. q.16. a.2. voluntatis libertatem in eo positam asserat, quòd *omnibus eisdem existentibus voluntas potest in actum, & potest in non ipsum.* Quam opinionem suam inde confirmat, quòd hæc propositio ab Stephano Episcopo Parisiensi anno 1226. ex Theologorum sententia damnata sit: *Voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moueri, & mouente sic disposito, quòd natum sit mouere, impossibile est voluntatem non velle.* Hinc Marsilius colligit voluntatem positis omnibus ad agendum prærequisitis posse actum promere, vel suspendere.

Clarissimè illud ipsum tradit articulo 2. cuius hæc secunda conclusio: *Non ex eo adaquatè voluntas dicitur libera, quia potest in effectum, & etiam in non ipsum. Patet, quia ita agentia naturalia essent libera, vt caliditas calefacit, cùm excedit resistentiam, & non calefacit, vbi non excedit.* Tertia verò: *Neque ex hoc est libera adaquatè, quia sua cognitione quandoque fertur in hoc, quandoque in eius contrarium; quia ita facit canis: prohibente coquo non inuadit carnes, quas inuaderet, & comederet, nisi alius prohiberet.* Quarta denique conclusio nouæ opinioni penitus aduersa docet, libertatem voluntatis in eo esse collocatam, quòd *positis causis efficientibus ex parte obiecti, & repræsentationis ad ipsius acceptationem, voluntas potest ipsum non acceptare: item positis illis sufficientibus ad obiecti refutationem, ipsum potest non refutare.* Vnde articulo 6. ait: IDEO LIBERAM VOCARI VOLVNTATEM, QVIA OMNIBVS EODEM MODO SE

HABENTIBVS POTEST IN OPPOSITA. Idem repetit quæst. 17. prope finem. & quæst. 22. art. 2.

Quare in 2. quæst. 3. art. 2. cùm docuisset ita Angelum potuisse produci, vt in primo instanti suæ creationis, *positis causis sufficientibus, & eo modo, quo sufficiunt ad esse electionis, liberè potuerit poni electio mala in primo instanti*, negasśetque de facto peccasse Angelos in primo instanti, etiamsi peccare potuerint: ad id quod obiiciebatur, non esse potiorem rationem, cur Angelus peccauerit post primum instans, quàm in primo instanti, si in illo potuit peccare, ita respondet: *In hoc non requiritur aliqua alia ratio, quàm libertas arbitrij, quâ ad tempus non est abusus Angelus per auersionem, sed postea est abusus.* Eandem hominis lapsi conditionem esse docet cùm in 2. quæst. 16. art. 2. de hoc statu ait: *Causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas nunc acceptans, quod ante non voluit acceptare, eisdem existentibus impellentibus.* Quo nihil efficacius dici potuit ad nouam opinionem elidendam, nihil ad communem confirmandam accommodatius.

Tam exigui verò momenti sunt, quæ ex Marsilio Aduersarius opponit, vix vt responsionem mereantur. Omnium summa his Marsilij verbis continetur ex 2. quæst. 16. art. 2. *Libertas creaturæ rationalis est ipsamet creatura, vt libertas Angeli est ipse Angelus. Quod patet: quia solo Angelo remanente, omnibus aliis ab eo seclusis, maneret ipse liber, & non esset tunc liber per libertatem superadditam, cùm omnia alia sint seclusa.* Vnde Marsilius colligit, *non esse possibile, vt voluntate remanente, Deus eius libertatem auferat, quia, vt dictum est, voluntas est sua libertas.* Sed quid ista, quæso, nouæ opinioni commodant? Neque enim ait Marsilius fieri non posse, vt voluntas non sit libera in actu secundo, id est, vt operetur non liberè; sed tantùm ait, libertatem in actu primo, seu potentiam liberam, diuidi à voluntate non posse, quia cum illa prorsus est idem.

Quod Aduersarius addit ex Marsilio in 3. quæst. 12. art. 2. plus illi nocet, quàm fauet. Triplex necessarium Marsilius distinguit, & cum merito comparat. Necessarium est, inquit, *primò quia coactum, & in hoc nullus meretur. Secundò, quia à natura inexistens, sic quòd aliter fieri nequit, sicut grauis inclinatio est deorsum, & hominis inclinatio in scire per intellectum, & in bonum per affectum, & in talibus homo etiam non meretur. Tertio modo dicitur necessarium quia ineuitabile, non tamen per naturam, sed per gratiam in bonum confirmantem.* Dixi nihil istud Aduersario suffragari, quia postrema illa necessitas, quam negat meritum adimere, est tantùm necessitas consequens, cuiusmodi est illa, quam electis prædestinatio, & rebus contingenter futuris Diuina præscientia imponit. Dixi insuper hunc locum illi nocere; quia disertissimè Marsilius negat satis esse ad meritum libertatem à coactione, cùm ait hominem in his non mereri, quæ naturali inclinatione appetit. Atque vt intelligas Marsilium eam quoque exercitij libertatem in confirmatis admittere, quam conspirans Theologorum sententia ad meritum exigit, consule quæ scribit de B. Virgine in 2. quæst. 17. sub finem totius quæstionis: *Virgo Maria*, inquit, *post conceptum saluatoris non potuit ferri in malum, erat tamen libera in facere, & non facere.*

PARAGRAPHVS VI.

Nicolaus de Orbellis, Stephanus Brulefer, & Petrus Capulleius.

QVIDQVID est in arte bellica ingeniosæ fraudis, quidquid stratagematum, callet Aduersarius, & in rem suam peritè admodum expromit. Quæ Theologorum testimonia, quasi acerrimos pro opinione sua milites, prima in acie ostentarat, in extremam modò veste mu-

rata, aliisque sub signis iubet succedere, vt numerosioris exercitus speciem adumbrent. Verùm si illud ad ostentationem & pompam aliquid facit, ad pugnam certè & conflictum plurimùm nocet. Nihil est ergo quòd inani illo & ambitioso Auctorum numero terreamur, nihil quòd in Nicolao de Orbellis, Stephano Brulefer, & Petro Capulleio nouos hostes, nobísque hactenus inuisos formidemus. Quidquid enim ex iis Aduersarius producit, eorum non sunt, sed ipsissima sancti Bonauenturæ & sancti Thomæ verba, quæ superiùs exposui.

Ex Stephano quidem Brulefer istud opponit: *Actus liberi arbitrij deliberantis, quamuis possit esse circa necessarium, semper est contingens. Actus verò liberi arbitrij, vt liberum est, non solùm potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius in se.* Agnoscis, opinor, sancti Bonauenturæ verba, quæ à Caluinistis contra communem de libertate opinionem obiecta, clarissimè ex ipsius Bonauenturæ mente Guillelmus Estius explicuit. Cur igitur nouus Theologus dissimulat hæc ex Seraphico Doctore à Stephano Brulefer recitari? Cur silet aliud quoque testimonium, quod ex Nicolao de Orbellis refert, sancti quoque Bonauenturæ esse? Cur hæc testimonia, quæ cùm S. Bonauenturæ opinionem expenderet, integra retulerat, rursus hîc describit? Satis erat profectò obiter monuisse eadem Seraphici Doctoris verba à Stephano Brulefer, & Nicolao de Orbellis laudari & probari. Satis, inquam, illud homini fuisset, qui mallet agere sincerè, quàm imperiti lectoris oculos ambitioso nominum atque titulorum apparatu perstringere.

Similis est eius in Petro Capulleio laudando versutia. Nam hæc ex ipsius commentariis in 2. distinct. 7. art. 2. quæst. 1. punct. 1. verba recitat. *Quædam sunt ordinata ad finem beatitudinis, quæ ipsi vltimo fini beatitudinis coniunguntur, vt videre, & amare, & respectu horum est*

sempiterna & libera electio. Alia autem sunt imperfecta, eo quòd ab vltimo fine distant, vt fides & spes, & hæc excluduntur, nec est sempiterna electio respectu horum. At hæc ipsa sunt S. Thomæ verba, quæ nouus Doctor superiùs nobis intentauit. Cur illa rursus describit? cur sub alterius nomine denuo nobis ingerit?

Alia est noui Theologi in hoc citando loco non ferenda calliditas. Viderat ille vix aliquid ex S. Thomæ verbis in suam sententiam extundi posse; quia non ait S. Doctor *respectu amare futuram in Beatis liberam electionem*, sed: *respectu videre, & amare.* Quæ verba prorsus labefactant rationes omnes, quas inde elicere posset ad formalem libertatem amori beatifico vindicandam, quia vel nullæ sunt, vel efficiunt quoque ipsam visionem beatificam esse formaliter liberam, quod ineptissimum est, cùm formalis libertas solius voluntatis actibus competat. Vnde certissimè colligitur, vt demonstraui cap. 1. sect. 2. par. 1. vel illa S. Thomæ verba non esse intelligenda de visione & dilectione beatifica; vel saltem sermonem tantùm esse de electione quadam reflexa, quæ visionem & dilectionem beatificam approbet: siquidem alia circa visionem beatificam electio nec esse, nec fingi potest. Non enim ipsa visio beatifica est electio formaliter, vt Aduersarij concedunt: neque etiam antegressæ alicuius in Beato electionis obiectum est; quia nullus in Beato voluntatis actus visionem beatificam antecedit. Cùm hæc, inquam, omnia Aduersarius intelligeret, vocem illam, *videre*, quæ tantùm illi incommodat, extriuit cap. 38. eúmque sancti Thomæ & Capullei locum sic retulit: *Respectu amare (in Beatis) est sempiterna & libera electio.* Vnde colligit: *Omnem omnino rationalem voluntatem (hoc est voluntatis motum) & liberam esse, & electiuam sui obiecti.* Quis tantam támque immanem deprauationem ferat? Redde S. Doctori verba sua, & intelliges te non antè ex iis probaturum, *omnem omnino voluntatis mo-*

uum esse liberum, & electiuum sui obiecti, quin idem de intellectiuæ facultatis actibus efficias; siquidem non ait tantùm respectu *amare* futuram in Beatis liberam electionem, sed etiam respectu *videre*.

PARAGRAPHVS VII.

Durandus.

PARVM est noui Doctoris tela partim fregisse, partim in eum retorsisse, placet vel ipsas eius minas vlcisci. Minatus est nobis cap. 17. Durandi auctoritatem, sed eum postea inter reliquos Theologos appellare non est ausus: veritus scilicet ne seuerum potiùs in eo iudicem, quàm patronum haberet. Disertè enim tradit hic Auctor, quod hactenus pluribus Theologorum testimoniis confirmaui, duplicem esse libertatem, ampliorem alteram, quæ omni prorsus voluntatis actui competat, quæque sola coactione interna lædatur: alteram verò strictiorem, quæ liberi arbitrij propria sit, nec coactione tantùm, sed etiam simplici necessitate corrumpatur. Hæc eius verba sunt in 2. dist. 24. q. 2. n. 12. *Libertas absolutè sumpta, & libertas arbitrij differunt. Quia libertas absolutè sumpta est in plus* (id est, latiùs patet) *quàm libertas arbitrij. Nam cùm libertas sit in omni natura intellectuali, & in illa solùm, natura autem intellectualis includit intellectum & voluntatem, ideo omnis actus, ad quem concurrit intellectus & voluntas, potest dici liber, etiamsi non esset possibilitas ad oppositum actum. Quod patet per B. Augustinum Enchiridij sexto capite, vbi dicit sic, Neque enim aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ Beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolumus, sed nequaquam prorsus velle possumus. Libertas enim sic absolutè sumpta, solùm excludit à cognoscente & volente coactionem, quæ pertinet ad seruilitatem absolutè & simpliciter. Libertas verò arbitrij est, quâ quis potest in aliquem*

actum, vel eius oppositum contrariè, vel contradictoriè, & SIC LIBERTAS EXCLVDIT NON SOLVM COACTIONEM, SED OMNEM NECESSARIAM HABITVDINEM. En cur nouus Doctor Durandi auctoritatem formidauit. Videbat nimirum vel hoc vno testimonio damnari se, & præcipuum opinionis suæ firmamentum ex illo S. Augustini loco accersitum sibi extorqueri.

Eadem Durandus inculcat quæst. sequenti num. 11. *Potest*, inquit, *sumi libertas tripliciter. Vno modo pro carentia ordinis ad aliud tanquam ad finem, & sic dicitur liber, qui est gratia sui finaliter: seruus autem qui est propter alium scilicet propter diuinum &c. Secundo modo accipitur libertas pro carentia vel immunitate à coactione in cognoscente. Tertio modo accipitur pro immunitate à necessaria determinatione respectu oppositorum, quæ nihil est aliud, quàm facultas ad opposita.* Et num. 15. *Si loquamur de libertate tertio modo dicta, QVÆ SOLA DICITVR LIBERTAS ARBITRII, quæ nihil est aliud, quàm facultas ad opposita absque determinatione ad alterum* &c. Item num. 9. *Ratio liberi arbitrij consistit in indifferentia, per quam possumus in aliquid, & eius oppositum.* Hinc est quòd dist. 25. q. 1. num. 3. probat *liberum arbitrium, seu electionem, quæ est actus liberi arbitrij, esse tantùm eorum quæ sunt ad finem.*

Denique in 4. dist. 49. quæst. 4. num. 17. multa congerit, quibus hæc quæstio prorsus deciditur. Statuerat formalem beatitudinem non in voluntatis, sed in intellectus actione esse collocandam: cùm autem obiiceretur contrà, actum intellectus ignobiliorem esse, *quia actus voluntatis est liber, non autem actus intellectus.* Respondet: *Dicendum, quòd libertas potest sumi dupliciter, vno modo prout opponitur coactioni, & sic intellectus est liber intelligendo, sicut voluntas in volendo. quod patet: quia illud solum est coactum, quod est contra inclinationem rei, sed nullum intelligere est contra inclinationem*


intellectus &c. *Ergo impossibile est quòd intellectus intelligendo cogatur, sicut nec voluntas in volendo* &c. *Alio modo sumitur libertas, prout opponitur necessitati, & sic non oportet, quòd actus sit nobilior, qui est liberior, alioquin nobilius esset in Deo velle alia à se, quàm se ipsum, & in nobis nobilior esset voluntas eorum, quæ sunt ad finem, quæ liberè volumus, quàm voluntas finis, quem necessariò volumus. Quæ omnia sunt falsa.* Et iterum, *Si propter libertatem poneretur felicitas in actu voluntatis, deberet poni in actu libero, & non in actu necessario: sed actus voluntatis respectu Dei in patria erit necessarius, & non liber* &c. Nullum ferè hîc verbum, quod aliquod nouæ opinionis fundamentum, aut consectarium non euertat. Negat actum voluntatis respectu Dei in patria fore liberum. Negat nos liberè finem velle. Negat Deum liberè amare se ipsum. Negat denique voluntatem intellectu esse liberiorem, si de ea tantùm libertate sermo sit, quæ coactionem propriè dictam arcet. Quæ tamen omnia certissima esse tantumnon Aduersarius iurat.

Hi sunt Theologi, quos à Caluinistis prætermissos studiosè Aduersarius collegit, & in communem opinionem armare conatus est. Qua in re, vt nihil admodum laudis illi tribuendum puto; quia non alia ex posterioribus illis Theologis argumenta sumpsit, quàm quæ ex S. Thoma, S. Bonauentura, Scoto, Gabriele, aliísque Caluinistæ petierant: ita nec mihi aliquid arrogo, quòd postremum hunc eius impetum repressserim; nam illa tantùm duo illi opposui, quæ Caluinistis Guillemus Estius, aliíque Doctores Catholici obiecerant. Primum est, antiquiores Theologos, & *S. Thomam*, (Estij verba sunt in 2. dist. 25. §. 2.) *generaliùs loqui de libertate voluntatis, dum dicunt eam violentiæ vel coactioni opponi, non autem naturali necessitati. Sícque voluntas generali modo dicitur libera quatenus spontanea est, & non coacta; voluntatis autem arbitrium non*

dicitur, nisi quatenus potest ad vtrumlibet. Secundum est, eosdem Theologos sæpenumero *coactionem ponere pro necessitate.* Ad hanc geminam distinctionem, multiplici à Catholicis Doctoribus ratione firmatam, omnia Aduersariorum argumenta, quæ ex veterum Theologorum auctoritate depromunt, sic tanquam ad scopulos allisa franguntur.

Neque de illis tantùm Theologis loquor, quorum mentem sigillatim exposui; sed de illis etiam, qui ante S. Thomam floruerunt. Fatebuntur enim vel ipsi Aduersarij ruere prorsus omnia & labi, quæ ex antiquioribus Theologis producunt, si duplex illa Guilelmi Estij, & Catholicorum aduersùs Caluinistas scribentium obseruatio veritatem habet. Et verò id ex iis intelligere potuisti, quæ de Magistro sententiarum obiter attigi sectione 1. paragr. 2. vt Caluinum de eius auctoritate gloriantem castigarem. Idem quoque colligi inde potest, quòd nihil ferè ex S. Thoma, S. Bonauentura, Gabriele, Henrico à Gandauo, Richardo de Media villa, Thoma de Argentina, Dionysio Cartusiano, Marsilio, & Durando protulerim, quod ex Magistro sententiarum, & superioribus Theologis expressum non sit. Verùm si Magistri, & aliorum mentem fusiùs explicatam postulas, Petauium consule, virum omni laude & inuidia maiorem, qui cùm instituti sui non putaret esse posteriorum Theologorum, quos sibi nouus Doctor arrogat, sententias enucleare, Magistri tantùm & superiorum aliquot opinionem tractauit accuratè libro 3. de libero arbitrio cap. 8. 9. 10. Ratus videlicet ad Theologos omnes à nupera calumnia vindicandos satis esse, si eorum principes præposteræ nouitati capitaliter infensos esse demonstraret.

FINIS.



APPENDIX
AD SVPERIOREM DISPVTATIONEM.
SEV
PETRVS DV MOVLIN CALVINISTA
NOVI DOCTORIS BREVIATOR.



ON te dimittam (Erudite Lector) laboriosa disputatione fatigatum. Collectum ex ea tędium non inficeta narratione detergam. Venerat nuper in manus Petri du Moulin famosi Caluinistæ de gratia & libero arbitrio liber Latinè scriptus, & ante annos 25. editus in lucem. Non erant compacta folia: primum quidem infuscatum nonnihil videbatur atque detritum: sed reliqua omnia adeo tersa erant, & nitida, vt recens è prælo exiisse diceres. Cùm hunc percurrerem, & medium iam emensus posteriora folia haberem in manibus, superuenerunt ex amicis duo, quorum alter nouæ opinioni ad insaniam addictus erat, alter Sorbonicus

Doctor, & antiquæ Sorbonicorum doctrinæ retinentissimus. Post consueta vrbanitatis officia, ad noui dogmatis partiarium conuersus; Diu est, inquam, quòd Latinum & breue Doctoris vestri compendium expetis: en elegantissimum. Exilit ad hanc vocem, & aliquot mihi folia è manibus eripit, quorum titulos desultoria lectione peruolat. Arriserunt homini, & prurientem animum nouis illecebris proritarunt. Ergo nihil de Auctoris nomine sollicitus (neque enim dubitabat ex eadem prodiisse officina, vnde similes libelli in dies emergunt) subducit se à nobis, & ad fenestram secedit. Vix paginam vnam, aut alteram perlegerat, cùm in hæc verba admirabundus erumpit: O elegantem Iprensis summam! faxit Deus vt pari felicitate reliqua pertexat. Mihi verò risum mouit isthæc exclamatio. Continui tamen vt potui, nequid illi suboleret. dúmque auidissimis oculis librum deuorare pergit, Sorbonicum prehensa manu seuoco, &, O virum, inquam, splendidè delusum! quem Iprensis sui Breuiatorem putat, Molinæus est Caluinista, qui hunc librum annos plus viginti antè conscripsit, quàm Iprensis opus vulgaretur. Age, placet hominem ludum facere, eiúsque suffragio nouum Doctorem plagij reuincere. Priores libri paginas seponam, ne Auctoris nomen innotescat; tu omni asseueratione affirma illum de conficienda Iprensis summa non cogitasse.

Nondum annuerat, cùm alter præ admiratione vix sui compos, iterum exclamat: O expectatum diu Iprensis nostri compendium! Cui ego: Quandiu te nobis recens hic liber furabitur? Tantíne tibi est, vt eius lectionem amicorum colloquio præferas? Parcite, inquit, totum breui in epitome Iprensem mirabar. Tum Sorbonicus impositæ sibi personæ memor, Fallor, ait, aut qui hunc librum scripsit, de Iprensi ne cogitauit quidem. Subrisit ille, atq; vt erat aulica vrbanitate perpolitus, Nolim, inquit, tibi aduersari: sed vereor vt id alteri,

qui Iprensem legerit, persuadere possis. Tum me respectans innuere videbatur, vt qui meus esset super ea re sensus liberè expromerem. Cui ego, Si bene Auctorem noui, non is est, qui alienos eniti partus velit: potest & ipse proprio marte aliquid cudere, quod posteritas legat. Itáne verò, reponit ille, leuidense putas opus, & ingeniosi hominis labore indignum Iprensem contraxisse? Vt vt sit, inquit Sorbonicus, credere non possum Auctorem hunc Doctoris vestri Breuiarium concinnâsse. Tum ille, Diutiùs de re apertissima altercamur: libétne auctorem vtrumque componere? Libet verò, inquam. Age igitur, excipit ille, Iprensem expedi. Dum illum promo, Miror, ait Sorbonico, Iprensem adeo tibi ignotum esse, vt hanc eius imaginem, fidelem certè & expressam, non agnoscas. Ego verò plus miror, inquit ille, te adeo Iprensi plenum esse, vt quidquid legis ab eo delibatum putes. Interim nouum Doctorem profero, quem eius partiarius mihi ereptum, mensæ imponit: simúlque Molinæi folia explicans, Qui locus, inquit, obtigerit, fidem liberabit meam.

Liberum arbitrium non simplici necessitate, sed sola coactione violari.

COMMODVM incidit in paginam 255. ex qua ista legit: *Non pugnat libertas cum necessitate, sed cum coactione.* Temperare non potuit quin hîc moneret, Iprensem hanc suæ opinioni basim strauisse. Tum legere pergit. *Quocirca Augustinus Enchiridij cap.* 105. *& Ciuitatis* 22. *capite vltimo docet per necessitatem non peccandi, quæ erit in sanctis, liberum eorum arbitrium potiùs auctum & confirmatum, quàm diminutum iri. Quid Deo liberius? idem tamen necessariò est bonus, & agit bona. Nam vt ait Thomas Tomo* 8. *de libero Arbitrio quæst.* 24. *artic.* 3. *posse eligere malum non est de*

ratione liberi arbitrij. Idem sæpe dicit coactionem, non verò necessitatem pugnare cum libertate voluntatis, præcipuè verò eodem Tomo quæst. 10. de processione Diuinarum personarum articulo 2. En, inquit, paucis collectum quidquid Iprensis pluribus libri 6. de gratia Christi capitibus fusè disputat. Quod ait hic Breuiator docere Augustinum in Enchiridio & in libris de Ciuitate, Beatorum libertatem non peccandi necessitate minorem non fore, summa est capitis 8. cui hunc titulum Iprensis præfigit: *Idem ostenditur ex libertate Beatorum hominum & Angelorum.* Vbi illa ipsa S. Augustini testimonia profert & explicat. Illud verò: *Quid Deo liberius? Idem tamen necessariò est bonus*, capitis 7. compendium est, cuius hæc inscriptio: *Idem ostenditur ex libertate Dei.* Denique quod hic subtexit: *Thomam sæpe asserere coactionem, non necessitatem pugnare cum libertate voluntatis,* capitis 24. est epitome, vbi illud ipsum testimonium ex quæst. 10. de potentia, quasi firmissimum ad opinionem suam stabiliendam argumentum, Iprensis sæpius inculcat.

Cùm hæc diceret, atque illa ipsa Doctoris sui loca nobis ob oculos proponens rogaret vt obseruaremus eadem S. Augustini, eadem S. Thomæ testimonia ab illo proferri: nihil propius fuit quàm vt intempestiuo risu comœdiam hanc perturbarem. Iam Sorbonicus ipse sudariolo bis ori admoto sternutationem finxerat, vt erumpentem risum compesceret, cùm peropportunè cognatus eius adfuit, mihi pridem familiaritate coniunctus, qui graue sibi negotium esse dixit, quod cum vtroque quantociùs communicatum vellet. Rogauimus nouæ opinionis vindicem, per eum nobis vt liceret proximum in hortum concedere. Annuit ille comiter, addidítque se ex illa mora paratiorem fore. Ergo ab illo digressi plusculum in horto temporis cum amico exegimus. Quo dimisso, ad Iprensis patronum reuertimur: qui nos eminus vt vidit: Vici, exclamat,

vici.

vici. Vereor, inquit Sorbonicus, ne præcox sit hæc tua exultatio. Vici inquam, reponit ille. Clariora sunt omnia, quàm vt, vel à vobis, negari possint.

Quæ cùm ego nutu ipso refellerem. Breui, inquit, tuam illam pertinaciam expugnabo. Tum Doctorem suum euoluens; Nostis, ait, quàm præfractè Theologi vestri abnegent, homines finem vltimum liberè appetere, quàm inuictè verò contrarium Iprensis noster effecerit l. 7. de grat. Christi cap. 4. vbi euincit, *Motum in finem quia maximè voluntarius est, & sponte fit, maximè esse liberum*, licèt necessariò à voluntate prosiliat. Hoc ipsum paucis ac dilucidè collegit nouus hic Auctor pag. 253. En eius verba: *Finem vltimum, nempe felicitatem, volumus omnes necessariò. Attamen finem istum volumus liberè, quia sine coactione, & cum cognitione ac iudicio: Vnde fit vt hæc appetitio non modò sit spontanea, sed & voluntaria, ac proinde libera.* An ouum, inquit, ouo similius? Tum paginam vertens, En aliud, Iprensis ait, argumentum ex Dæmonum libertate petitum: sæpe illud inculcat, ac præcipuè libro 7. de gratia Christi cap. 11. Quo ex loco cùm pauca nobis prælegisset, quibus Iprensis contendit, libertatem in diabolis cum peccandi necessitate cohærere, quemadmodum in Beatis componitur cum non peccandi necessitate, Iam videte, inquit, quomodò hæc nouus Auctor contraxerit pag. 255. *Sic diaboli peccant necessariò, attamen liberè. Peccant enim non coacti, nec determinati ad vnum à causa extrinseca eos impellente. Sed aguntur proprio motu, & insita prauitate, & cum cognitione. Eodem modo quo sancti, qui peruenerunt ad gloriam, necessariò boni sunt, & immutabiliter, & tamen voluntariè ac liberè. Neque enim credibile est sanctos glorificatione libertatem amisisse.*

Volebam hîc aliquid intexere, cùm rursus ex Molinæo pag. 296. istud legit: *Quòd si Deus necessariò bonus est, non verò liberè, & longè præstantius est bonum esse liberè, quàm non liberè, homo proculdubio erit melior Deo, &*

subscribendum erit Senecæ blasphemiæ, qui Epistola 53. dicit, sapientem antecedere ipsum Deum, quia hic sapiens est naturæ beneficio, at ille suo. Abstinere non potuit, quin hîc nobis insultaret. En, inquit, quas in angustias atque blasphemias vos compingat bicornis illa liberi arbitrij indifferentia. Cui ego: Si mihi opinionem probare nostram, atque hanc ab illa calumniam propulsare incumberet, demonstrarem oppido iocularem illam esse atque ineptissimam argumentationem. Sed istud modò non agitur. Tuum est euincere hanc ab Iprensi tuo esse emendicatam. De illa, inquit, argumentatione (velis nolis validissima) dubium non est, nam illam Iprensis sæpius ingeminat. Sed illum quoque Senecæ locum ex eo descriptum contendo, certus sum enim ab Iprensi eundem adhiberi. Fateor tamen non satis explicatè recordari me, quo in libro, aut capite illum appellet. Ad hæc subrisi. Quod ille in malæ fidei accusationem interpretatus, Efficiam, inquit, vt intelligas, nihil me prorsus affingere. Tum Iprensis sui tabulam consulens, vbi illam aliquandiu peruolutauit, En, inquit, locum, libro 5. de Hæresi Pelagiana cap. 22. legite. Legit Sorbonicus, atque confessus est illud Senecæ testimonium ab vtroque vsurpari. Contendit nihilominus fieri potuisse, vt in eandem ambo opinionem fortuitò conuenirent. At ille: An istud etiam pugnabis, si eos in aliis omnibus consentire ostendero? Minimè verò, reposuit Sorbonicus. Id si effeceris, manus dabo.

Homines peccandi necessitate obstringi, nec idcirco à culpa excusari.

AGE ergo, inquit nouæ opinionis patronus, quæstionem aliam cum superiori cohærentem expendamus. Nouus hic Auctor ita scribit pag. 295. *Augustinus pluseulis in locis non dubitauit dicere inesse homini*

peccandi necessitatem. Sic disputat. 2. contra Fortunatum: Postquam homo libera voluntate peccauit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab eius stirpe descendimus. Et libro de perfectione iustitiæ ratiocin. 9. Quia peccauit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas. Quæ vbi perlegit, Iprensem continuò suum euoluit, & caput 12. libri 3. de statu naturæ lapsæ oculis nostris subiecit, iussítque vt legerem. Legi, vt imperarat, cúmque ad hæc verba perueni: *Nam hinc illa aduersùs Fortunatum: Postquam autem libera ipse voluntate peccauit* &c. Vides, inquit, vtriusque consensum. Tum proximum locum, quem mihi digito indicabat, ita legi: *Pergit Augustinus libro de perfectione iustitiæ: Quia verò peccauit voluntas, secuta est peccantem* &c. Tum ille subridens, nega si potes, vnum ab altero mutuatum esse.

Me respondere parantem his verbis repressit: Quæso tantisper sustine donec intimos huius quæstionis recessus explicuero. Scitis, quàm atrociter in superiorem Iprensis nostri opinionem recentiores Theologi declament. Aiunt illum homines culpâ purgare, dum eos peccandi necessitate constringit; putant enim non esse peccatum, quod necessariò fit, quódque vitari non potest. Ad tragicas illas declamationes refellendas tria Iprensis docet libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 22. 23. 24. 25. & libro 3. de gratia Christi cap. 13. 14. 15. Primum est, dudum istud à Pelagianis Augustino obiectum fuisse. Secundum, peccandi necessitatem à peccato non excusare cùm voluntaria est. Quod posteriori in loco probat exemplo Dei, Beatorum, & dæmonum, qui etsi necessariò, quia tamen voluntariè bene vel malè agunt, laudandi quoque sunt, aut vituperandi. Tertium est, peccandi necessitatem, quâ lapsi homines implicantur, idcirco peccatum non purgare, quia nostrâ culpâ, Adami scilicet peccato, contracta est. Hæc porrò omnia summa breuitate atque perspi-

euitate complexus est hic eius Epitomator. Nam primò, ita ad hanc quæstionem accedit: pag. 293. *Veniendum est ad declamationes potiùs, quàm ad argumenta, quibus causam nostram odiosè prægrauant. Dicunt non esse peccatum quod necessariò fit, & vitari non potest.* Tum aduersùs illam obiectionem ita præscribit: *Hanc Pelagianam crambem nobis reponunt, & millies eadem occinunt.* Deinde alias responsiones duas paucis ac neruosè colligit: *Principiò statuimus necessitatem peccandi non excusare à peccato, si est voluntaria: tum si est peccantis culpâ contracta.* Probat exemplis: *Sic Deus necessariò bonus est, sed tamen liberè: & Satan necessariò malus est, sed liberrima voluntate: & Sancti in cælo liberè boni sunt, & tamen necessariò.* Quare *si iniustè punitur qui peccat necessariò, quamuis peccet voluntariè, & peccandi necessitatem suâ sibi culpâ contraxerit, iniustè quoque cumulabitur bonis, & gloriâ qui non potest peccare, & qui necessariò bonus est; quales esse Angelos & Sanctos in cælis probauimus.* Quæ paulò pòst pagina nimirum 698. clariùs adhuc atque disertiùs exponit: *Statuimus igitur peccandi necessitatem excusare à peccato, si qui peccat hanc peccandi necessitatem suâ culpâ non contraxerit. Tum si per necessitatem intelligatur coactio, & vis maior agentis extrinseci, aut necessitas physica ad vnum determinata à creatore, destituta cognitione, qualis est inclinatio naturalis grauium ad centrum. At necessitas non excusat peccatum, si peccans sibi ipse contraxit peccandi necessitatem: & si sciens & prudens peccat, & ista ad peccandum propensione delectatur.* Et negabitis, inquit, hanc esse Iprensis epitomen?

Deum impoßibilia præcipere.

TIMVIT ne hic eius sermonem abrumperem; quare vix ducto spiritu, sic orationem pertexuit. Aliud est, inquit, quod aduersùs eandem Iprensis nostri doctrinam solet opponi: nimirum, frustra fore præ-

cepta, inanes exhortationes, promissiones atque consilia, si homo ineluctabili peccandi necessitate constringitur. Cui argumento sæpius occurrit Iprensis, atque ad illud eneruandum ea ipsa disputat, quæ hic eius Breuiator summatim comprehendit. Primò, ait hanc esse veterem Pelagianorum querelam, atque id inde probat libro 4. de Hæresi Pelagiana cap. 16. & libro 3. de gratia Christi cap. 13. quòd *in libro de perfectione iustitiæ summis viribus Celestius contendat præcepta esse debere possibilia.* Illud ipsum nouus hic Auctor breuiter contrahit pag. 299. nam vbi hanc obiectionem ita proposuit: *Asserunt frustra iuberi, si non est penes nos obsequi: inanes esse exhortationes, promissiones, minas, consilia* &c. Respondet: *Vetus hæc est obiectio Pelagianorum, vt videre est apud Augustinum libro de perfectione iustitiæ, rat. 6. & 11. vbi Celestius Pelagianus sic disputat* &c. Secundò, Iprensis ait libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. probare hoc argumentum esse in omnibus hominibus facultatem sponte operandi. Frustra enim essent præcepta si eiusmodi facultate homines carerent. Idem docet Auctor hic vester eadem pag. 299. *Respondeo frustra fore præcepta, minas, consilia* &c. *si homo careret facultate intelligendi, & aliquid volendi aut nolendi sponte.* Tertiò, Iprensis ait certum esse quosdam præceptis teneri, licèt ea implere non possint, quod probat exemplo dæmonum, quibus imperat *lex æterna* (legite, inquit, hæc ipsa sunt eius verba) *non blasphemandum, non superbiendum* &c. *& eos contra legem istam peccare nemo sanæ mentis diffiteri potest. Sicut igitur præcepti ratio non remouet à dæmonibus peccandi necessitatem, ita neque hominibus* &c. Quæ eius Breuiator ita colligit eadem pag. 299. *Nec semper verum est frustra dari præcepta, quæ non possunt impleri.* Quia *non est dubium, quin diabolus necessariò malus, & inhabilis ad obsequendum Deo, teneatur Deo obsequi, alioquin ne quidem peccaret, dum Deo aduersatur.*

Hîc ille exclamat, Ex miè pertinacem esse oportet, qui hæc ex Iprensi nostro descripta negauerit? Tum in nos intuens, & ex nostro silentio atque admiratione certam sibi victoriam auguratus ita demum prosequitur: Quartò, inquit, Iprensis contendit capite 17. *Posse Deum, id ipsum homini post peccatum æternâ suâ lege iubere, quod ante peccatum iusserat; quamuis ei iam propriâ culpâ factum sit impossibile; nec teneri ipsi conferre adiutorium sine quo peccatum iam vitare non potest.* Quibus quàm similia sunt quæ hic scribit pag. 347. *Non tenetur dare media ad fidem necessaria, quia homo illa media suâ culpâ amisit. Deus enim exigens ab homine quod debet, non tenetur restituere homini vires implendi quod iubet, quandoquidem homo has vires suâ culpâ amisit.* Quintò, ostendit Iprensis non superuacanea esse præcepta, quibus homo obsequi non potest. Quia, vt habet libro 3. de gratia Christi cap. 17. hæc est *eorum vtilitas, vt sciat homo quid sibi faciendum sit, neque peccatis suis prætexat ignorantiam.* Testem verò huius sententiæ suæ appellat S. Augustinum, atque hunc præcipuè eius locum profert, ex libro de correptione & gratia cap. 3. *O homo in præceptione cognosce quid debeas habere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere.* Quorum breue compendium hic Auctor ita concinnat p. 302. *Nec tamen idcirco Deus incassum iubet, aut inania sunt eius præcepta. Nam Deus iubendo, hortando, minando, afficit hominem sensu peccati. Docet quid homo debeat: quid aliquando potuerit, & vnde exciderit. Tum regulam iustitiæ proponit, ne quis peccatis suis obtendat ignorantiam &c. Præclarè Augustinus in hanc rem libro de corrept. & gratia cap. 3. O homo in præceptione cognosce quid debeas agere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere.*

Hæc cùm perlegisset, Sorbonicum intuitus: Negabis, inquit, hoc Iprensis nostri esse compendium? Nihil dissimulabo, excepit ille, extorsisti vt dubitarem. Non arbitrabar tantam inter illos germanitatem esse

atque consensum. Vix tamen adduci possum vt credam in aliis huius doctrinæ capitibus tam arcta eos societate coniungi. Cui ego: Planè istud tibi assentior; nam quolibet pignore contenderem, non hanc esse Iprensis epitomen. Næ tu, inquit alter, nimis pertinax es. Si valet illud Epicharmi: *Neruos esse sapientiæ non temere credere*, vix alium te sapientiorem puto. Sed faxo vt apertæ veritati obluctari non possis.

Gratiam sufficientem esse explodendam.

ALIVD aggredior, inquit, doctrinæ nostræ caput, quo monstrum nescio quod gratiæ, ex Aristotelica Philosophia, humanáque ratione prognatum Iprensis noster profligauit. Increbuerat apud recentes Theologos gratia quædam sufficiens omnibus promiscuè hominibus oblata, cuius naturam pluribus Iprensis explicat libro 3. de gratia Christi cap. 3. Breuissimè verò atque eius ferè verbis recens hic Auctor pag. 265. *Volunt hominem nihil posse boni sine gratia. Sed per hanc gratiam intelligunt gratiam vniuersalem, quæ est omnibus hominibus communis, & gratiam sufficientem, quæ vel iis datur, quibus Christus nunquam innotuit.* Et pag. sequenti: *In voce gratiæ decipulam tendunt, & simiæ Pelagianorum fingunt quandam gratiam omnibus communem, quæ æquè latè pateat ac natura.* Quàm sæpe, inquit, Iprensis inculcat, Pelagianorum simias esse, qui vanum illud gratiæ sufficientis spectrum Catholicorum in scholas inuexerunt? Quod vt debellet, docet primò, reiiciendam esse opinionem illam, quæ ipsis etiam infidelibus gratiam tribuit mediatè vel immediatè ad salutem sufficientem, idque docet libro 3. de gratia Christi cap. 11. cuius hæc inscriptio: *Infideles carent gratiâ sufficienti ad salutem tam proximâ, quàm remotâ.* Idem scribit hic eius Epitomator pag. 329. *Hæc doctrina, quæ ponit in homine irregenito & infideli gratiam, quæ vel mediatè, vel*

immediatè sufficiat ad fidem, vel salutem adipiscendam; Christianam fidem à stirpe conuellit.

Vbi nos fateri subegit, nihil hîc esse inter vtrumque discriminis, ita demum perrexit: Gratiam sufficientem idcirco Iprensis repudiat eodem libro cap. 3. quòd sic à fautoribus suis describatur, vt *effectu suo semper & vbique, non sine insigni absurditate, frustretur.* Quàm absurdum verò quámque ineptum sit quod negant *quemquam cum illa gratia operatum fuisse*, sic probat: *Si reuera talis istius gratiæ natura est, vt verè sufficientem tribuat potestatem vtendi, quæ quæso ratio est, vt nulla voluntas eam vnquam arripuerit?* Ego verò temperare non potui quin hîc exclamarem, communem sententiam nimis malignè ab Iprensi explicari. At eius patronus, Sentio, inquit iocans, quid tibi sit consilij, cùm te constrictum vides, aliò niteris quæstionem auocare. Sed non sic elabi te patiar: iure illud Iprensis dixerit, an iniuria, modò non quæritur. Sed tantùm an hæc ab illo nouus Auctor arripuerit. Quod nemo inficiabitur, qui cum superiori Iprensis loco hæc scriptoris illius verba componet ex pag. 320. *Vestram fidem, an potest gratia sufficiens vocari, quæ nunquam producit effectum, ob quem data est?* Et pag. 337. *Principiò hoc dogma de gratia sufficiente manifestè Deo illudit, dum fingit Deum seriò & ex animo velle seruare omnes homines, & in eum finem dare omnibus gratiam sufficientem, quâ possint conuerti & credere: sed istam gratiam maximæ parti generis humani tam parcè administrare, vt nemo possit dari toto orbe, qui per gratiam illam sufficientem seruatus sit.*

Nec ista legisse contentus, importunè nobis instabat vt locum vtrumque contenderemus, tandémque euicit, vt Sorbonicus ipse concederet omnia prorsus esse paria. Quo successu lætus ita prosequitur. Aliud est, inquit, aduersùs gratiam sufficientem Iprensis argumentum, inde accersitum, quòd illa omnibus promiscuè hominibus communis esse non possit, quin

verta-

vertatur in naturam. *Quid enim* (hæc ex Iprensi verba legebat libro 3. de gratia Christi cap. 2.) *magis ad naturam pertinet, quàm quod ita naturæ consertum arctéque iunctum est, vt ei auferri non poßit* &c. *Putant enim communiter non posse sufficiens adiutorium subtrahi, nisi velimus dicere actum secuturum non esse peccatum, vel Deum iubere impoßibilia.* Et cap. 18. probat, *Nihil absurdius dici posse, quàm quòd Deus hominibus etiam peccatoribus sufficiens auxilium dare teneatur.* Eadem, inquit, solers ille Iprensis nostri discipulus ad gratiam sufficientem exterminandam disserit pag. 325. Voluit vt ipse legerem, sic habebat: *Quid quod non modò affirmant, Deum dare omnibus hominibus gratiam sufficientem virésq; credendi, sed etiam pertendunt Deum teneri & adstringi ad hanc gratiã dandam, Deóque ipsi leges figunt, vt iam periculum sit ne Deo iniustitiæ dica scribatur.* Et pag. 260. *Censent Deum nihil exigere ab homine, ad quod præstandum non det vires sufficientes. Dicunt ergo Deum teneri dare omnibus vires implendi, quod iubet.* Tum alium mihi locum indicans ex pag. 266. En, inquit, quod aiebat Iprensis gratiam verti in naturam, dum omnibus communis fingitur, quem Pelagianorum errorem esse sæpius ingeminat. Hæc porro erant Molinæi verba, quæ digito annotabat: *Quin & videbimus per gratiam illam vniuersalem & sufficientem, ac omnibus communem* &c. *naturam vestiri specioso nomine gratiæ, quod & faciebat Pelagius.* Tandem, inquit, quod agit Iprensis cap. 18. cui titulus hic præfigitur: *Soluuntur quædam scripturæ loca, quæ pro asserenda gratia sufficienti proferuntur, vt, Quid debui vltra facere vineæ meæ* &c. præstat hic eius assecla pag. 345. sicque auspicatur: *Illud verò Isaiæ: Quid amplius faciendum fuit meæ vineæ, quod non fecerim, quo sensu debeat accipi docuimus. Nihil sanè hinc potest exculpi pro gratia sufficiente* &c.

Vix ista finierat, cùm nobis insultans, Estne, inquit, filius aliquis, qui propiùs ad parentis imagi-

nem, quàm nouus hic Auctor ad Iprensis similitudinem accedat? diffiteri ego non potui nullum inter eos hac in parte esse discrimen. Negaui tamen eandem in reliquis fore vtriusque consensionem. At ille comiter me subsannans: ergo, inquit, tot mihi committendæ pugnæ, quot hic quæstiones tractauit. Dura certè conditio, sed quandoquidem aliter expugnari vestra pertinacia non potest, libens illam amplector.

Nullam medicinalem gratiam effectu suo carere.

QVEMADMODVM, inquit, sufficientem gratiam, quæ ex Pelagianorum castris emersa Catholicorum in scholas irrepserat, Iprensis noster obtriuit, ita medicinali gratia, cuius vel nomen ipsum apud recentes Theologos obsoleuerat, splendorem suum dignitatémque restituit. Pugnat enim hanc esse eius indolem, vt suum semper effectum consequatur; atque id maximè probat ex illo celebri loco libri de corrept. & grat. cap. 11. & 12. quem vt fatalem subruendæ Scholasticorum opinioni machinam tam sæpè illis impingit. Hunc ipsum porrò ita describit recens hic scriptor parte 2. pag. 38. *Multa apud Augustinum præclara in hanc rem, sed nullibi apertiùs loquitur, quàm libro de corrept. & grat. quem scripsit in extrema senectute. Is cap. 12. hæc habet: Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adiutorium gratiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint.* &c. Subtexit & aliud indidem petitum, quod Iprensis sæpius inculcat *Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ* INDECLINABILITER *&* INSEPARABILITER *ageretur, & ideo quamuis infirma non tamen deficeret, neque aduersitate vlla vinceretur. Adamo fortissimo dimisit, atque permisit facere quod vellet: infir-*

mis seruauit, vt ipso donante INVICTISSIME *quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent*: Quæ vt intelligatis, inquit, non tam ex Augustino, quàm ex Iprensi esse descripta, obseruate, voces illas, *indeclinabiliter, inseparabiliter, inuictissimè.* Iprensis exemplo maiusculis ab eo characteribus fuisse exaratas.

Risum nobis excussit hæc eius obseruatio. Quia tamen annuere videbamur, quasi collectis animis istud addidit, vt nutantes iam & inclinatos prorsus euerteret. Est alius, inquit, opinionis nostræ quasi character, quem libro 6. de gratia Christi cap. 10. & 35. Iprensis explicat. Ait hominem gratia medicinali afflatum posse illi resistere, si velit, imò & Beatos posse Deum non amare, si velint: at id eos velle non posse. Vnde facilè difflatur quod ex Concilio Tridentino perpetuò nobis occinunt bicornis libertatis vindices: nimirum, *liberum hominis arbitrium Deo excitanti atque vocanti posse dissentiri, si velit.* Neque enim Concilium ait, hominem posse id velle, sed tantùm posse, si velit. Hæc ipsa, quæ recentibus Theologis prorsus erant ignota, paucis, at dilucidè nouus hic Auctor expressit pag. 17. eiusdem secundæ partis: vbi eos qui arbitrantur hominem posse Dei gratiæ *vel reniti, vel obsequi*, ita refellit: *Hoc eorum dogma nititur falsò hoc principio: nullam esse suasionem, cui non possit sic resisti, vt eius effectus tandem impediatur. Hoc principium falsum esse contendimus. Est enim quædam suasio tam efficax, vt hominem necessariò trahat in assensum: cui cùm possis resistere, si velis, non potes tamen velle.* Tum nos respectans, Magnus est, inquit, ille in re tam abstrusa, & aliis scriptoribus ignota, consensus. Qui & inde confirmari plurimùm potest, quòd eodem prorsus modo humanæ libertatis cum gratia efficaci concordiam explicent. Neque enim recens hic Auctor viam illam ingressus est, quæ & prædeterminationis physicæ, & contrariæ opinionis Assertorum ingenia contriuit: sed Iprensis

noſtri veſtigiis inſiſtens, grauem illam controuerſiam clariſſimè his verbis decidit pag. 13. *Quantacunque autem ſit hæc efficacia, non tamen Deus nos trahit vt ſtipites, ſed vt homines: & dum volentes facit de nolentibus, libertatem voluntatis non modò non tollit, ſed & reſtituit: quia vltro & cum gaudio ſeruire Deo libertas eſt.* Ita paucis complexus eſt, quidquid Iprenſis congerit libro 8. de gratia Chriſti cap. 5. 6. 7. 8. vt probet idcirco gratiam libero arbitrio nihil officere, quia non impedit, quo minus velimus, & vltro, ac ſponte velimus, quemadmodum clara Dei viſio etſi amandi neceſſitatem imponat, liberum tamen arbitrium non lædit, quia Beati nihilominus vltro ac ſponte Deum amant.

Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus hominibus, nec Deum velle omnes homines ſaluos fieri.

RESPIRAVIT hîc aliquandiu, noſtrúmque ſilentium admiratus, Tandem, inquit, argutari deſinitis. Vnum eſt, ait Sorbonicus, quod malè me habet, certus ſum Auctorem hunc, etſi cum Iprenſi tuo mirificè conſentiat, de eius tamen texenda ſumma non cogitaſſe. Ego verò, Idem ſcrupulus, inquam, tam altè menti infixus hæret, vt nondum prorſus eximi potuerit. Fateor tamen fluctuare me, nec aliquid certi occurrere animo, quod vel ſtatuere, vel ſuſpicari poſſim. At ille Doctorem ſuum euoluens, Nihil, inquit, effugij prætexere vobis licebit, vbi celebrem illam de Chriſti morte controuerſiam attigero. Nam eò vos deducam, vt vel recentem hunc Auctorem ab Iprenſi, vel Iprenſem ab illo mutuatum eſſe fateamini. Tum ex Iprenſi l. 3. de grat. Chriſti c. 20. titulum hunc legit: *Exponitur locus Apoſtoli: Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Atque vbi monuit Iprenſem eo loci ex S. Auguſtino, & Thoma oſtendere has Apoſtoli voces non de ſingulis, ſed de cuiuſli-

bet conditionis hominibus esse explicandas, eámque interpretationem contextui sacro congruentem esse: hæc compendio tractari dixit à recenti illo Auctore pagina 221. in hæc verba: *Speciosè ostentant locum prima ad Timoth. Deus vult omnes homines seruari & venire ad agnitionem veritatis. Sed hîc, per omnes, intelligi quosuis, loci textura euincit. Hunc locum prima ad Timotheum sic accipit Augustinus Enchiridio ad Laurentium cap. 130. & Thomas Commentario in hanc Epistolam.* Item: *Frequens est in sacra scriptura acceptio vocis, omnes, pro quolibet, vt Lucæ 11. Decimatis mentam, & rutam, & omne olus. Et Matth. 9. Christus sanabat omnem morbum, pro quolibet.* Addidit eundem Auctorem ex Iprensi descripsisse, quod habet pag. 213. *Quibus Christus impetrauit reconciliationem & remissionem peccatorum, pro iis orauit & intercessit: At non intercedit neque orat pro mundo, sed pro solis fidelibus, vt ipse Christus dicit* &c. Plurima in eandem sententiam ex vtroque Auctore composuit, nec antè potuit acquiescere, quàm summam inter vtrumque similitudinem intercedere concessimus.

Parallelum opinionis recentiorum cum Semi-Pelagianis.

QVOD vbi extorsit, Ne ipsum, inquit, Parallelum, quod in operis sui calcem reiecit Iprensis noster, hic eius Breuiator omisit. Vno libelli sui capite, nempe 42. totum illud Parallelum contraxit. Voluit, vt integrum illud Molinæi caput legerem, atque illa præcipuè adnotarem verba ex pag. 349. *Censebant igitur* (Semi Pelagiani) *mediam viam insistendam inter Pelagium & Augustinum. Docebant enim peccatum Adami fluxisse in posteros, & humanam naturam esse corruptam, viribúsque naturæ ad salutem non posse perueniri: sed gratiam, quæ medeatur naturæ, omnibus præsto esse: & omnes, siue per legem naturalem, siue per scriptam, siue per Euangelium sic*

vocari, vt cuilibet liberum ſit gratiam oblatam amplecti, vel reſpuere. Chriſtum enim omnibus hominibus impetrauiſſe reconciliationem. Quæ dum legeret, & cum iis conferret, quæ Ipreníis diſſerit cap. 3. eiuſdem Paralleli, vt vincat Semi-Pelagianæ hæreſis virus in eo poſitum fuiſſe, quòd aſſererent gratiam omnibus offerri, & libera cuiuſque voluntate vel admitti vel repudiari, exclamabat ſubinde, prorſus mirum eſſe, nos tam claræ veritati adhuc reluctari. Sales etiam aſpergebat non illiberales, nóſque pertinaciam vouiſſe iocabatur. Sorbonicum præcipuè vellicabat, & militibus illis aiebat eſſe perſimilem, qui indecorum arbitrantur, vel in ſumma rerum omnium deſperatione, hoſti non inſolenti deditionem facere.

Sic ille quaſi parta victoria triumphabat, ſic exultabat inſolentiùs, cùm reliqua Molinæi folia, quæ ſepoſueram, expediens, En, inquam, Breuiatoris tui folia aliquot, quæ nobis exciderant. Arripuit illa quantocius, & ex poſterioribus, quæ primùm illi occurrerunt, iſtud legit: *Additamentum ad caput 13. continens loca quædam excerpta ex confeſſione Eccleſiarum Gallicanarum, & ex præcipuis eius æui Doctoribus.* Hîc hæſit attonitus. Nam Caluini nomen quod paulò pòſt ſequebatur, in eius oculos incurrerat. At longè alius eum inuaſit ſtupor, cùm paginam vertens, in hæc nomina incidit, Bucerus, Philippus Melancthon, Wolphangus Muſculus, Hieronymus Zanchius, Dàuid Paræus, Ioannes Piſcator. Cohorruit ad has voces, fraudémque ſuſpicatus, cum ſuperioribus foliis hæc poſteriora contulit. At vbi conſentire omnia, & nihil prorſus doli ſubeſſe vidit, pallere, erubeſcere, & fulguritorum more obrigere. Collegit ſe tamen, vt potuit, & libri titulum conſulens tacitis oculis hæc perlegit: *Enucleatio controuerſiarum quæ in Belgio agitantur, ſuper doctrina de prouidentia: de prædeſtinatione, de morte Chriſti, de natura & gratia. Auctore Petro Molinæo Paſtore Eccleſiæ Pariſienſis. Lugduni Batauorum, Sumptibus Abrahami Pacard, via Iacobæa.* M. DC. XIX.

Vix iſta legerat, cùm inflammatus iracundiâ, inſalutatis nobis, foras ſe proripuit. Accurrimus ſubitò, vt hominem reuocare, & placare conaremur, ſed ille vento ocyùs euolârat.

Hic illius Comœdiæ exitus, improuiſus certè, nobiſque inexpectatus. Nam quis ſuſpicaretur hominem feſtiuæ ſanè indolis, qui iocabatur tam lepidè, nec modò inſultabat comiter, ſed etiam quandoque acriùs nos vellicabat, inde emerſurum tam inurbanè, quo ſe ipſe præter ſpem noſtram induerat. Hæc te velim (Erudite Lector) expendere, vt ſi fortè hominem noſti, ſi prodidit ipſe ſe ſe, & à nobis illuſum ſibi, apud te expoſtulauit, intelligas nihil nos contra amicitiæ, nihil contra vrbanitatis leges peccauiſſe.

Cæterùm ſi quæ ex Iprenſi, & Molinæo exceperat, inuicem contuleris, non illi ſuccenſebis opinor, quòd tam pertinaciter pugnaret, Molinæi libellum decumani alterius operis eſſe compendium. Nam adeo conſentiunt inter ſe, vt quilibet minimè peruicax iudicaturus ſit, vel alterum ab altero, vel vtrumque ab alio ſuperiori eſſe mutuatum.

FINIS.



INDEX.

Errat

Gratia medicinalis.


Idem

luntati

FINIS.

ERRATA.

P*Ag.* 38 *versu* 27 *lege* profligatis *pag.* 87 *versu* 22 *lege* Lobechius. *pag.* 90 *versu* 9 *lege* Puccio. *pag.* 141 *versu* 5 *lege* ad. *pag.* 226 *versu* 19 *lege* gratiæ. *pag.* 227 *versu* 23 *lege* prætextus. *pag.* 260 *versu* 30 *lege* infititias. *pag.* 261 *versu* 14 *lege* ille. *pag.* 305 *versu* 34 *lege* illecebras. *pag.* 363 *versu* 19 *lege* in 2. *pag.* 366 *versu* 3 *lege* abstergere. *pag.* 373 *versu* 14 *lege* summam. *pag.* 376 *versu* 30 *lege* quidem. *pag.* 409 *versu* 4 *l.* pœnas. *pag.* 417 *versu* 29 *l.* pœnas. *pag.* 434 *versu* 36 *l.* procreet. *pag.* 444 *versu* 16 *l.* Catholicum *pag.* 453 *versu* 12 *l.* 29. *pag.* 454 *versu* 31 *l.* non potest. *pag.* 457 *versu* 1 *l.* præceps. *pag.* 476 *versu* 34 *l.* recitationi. *pag.* 488 *versu* 14 *l.* cap. 33. *pag.* 498 *versu* 15 *l.* soluturus es. *pag.* 499 *versu* 35 *l.* reliquit. *pag.* 543 *versu* 22 *l.* prolectat. *pag.* 653 *versu* 21 *l.* quod. *pag.* 582 *versu* 29 *l.* perterreret *pag.* 637 *versu* 34 *l.* iniussisse. *pag.* 683 *versu* 29 *l.* Guillelmus. *p.* 698 *versu* 13 *l.* gratiæ.




Digitized by Google